OPERA SPIRITUALIA

IOANNIS PHIL. ROOTHAAN

SOCIETATIS IESU PRAEPOSITI GENERALIS XXI

VOLUMEN SECUNDUM

LUDOVICUS DE JONGE ET PETRUS PIRRI SACERDOTES S. I.

EDIDERUNT

ROMAE

APUD POSTULATOREM GENERALEM S. I.

5, BORGO S. SPIRITO

1936

IMPRIMI POTEST

Romae, 3 Iunii 1936.

P. Raphael Bitetti,
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Sorae, 7 Iunii 1936.

† Augustinus Mancinelli
Episcopus Sorae, Aquini et Pontescurvi

SOCIETÀ TIPOGRAFICA A. MACIOCE & PISANI — ISOLA DEL LIRI

LECTORI SALUTEM

In alterum Operum Spiritualium Ioannis Phil. Roothaan volumen ea collegimus, quae sive ipse Servus Dei typis mandata in lucem edidit vel edere in animo habuit, sive alii post eius mortem Superiorum iussu ediderunt. Quibus unam addidimus seriem meditationum, quas de Tepiditate Spirituali Scholasticis S. I. proposuit.

Quodsi quis quaerat, cur hoc alterum volumen ex officina alterius typographi prodierit, sciat id factum esse ut quam brevissimo tempore omnia Opera Servi Dei ederentur.

Omnibus quorum auxilio usi sumus magnas gratias agimus.

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII DE LOYOLA

Ut creditam sibi Societatem Iesu vero Sancti Patris Ignatii spiritu informaret, Servus Dei usum et scientiam Exercitiorum Spiritualium, e quibus orta auctaque erant, filiis suis etiam atque etiam commendavit. Quod eo magis faciendum sibi esse videbatur quo gravius erat periculum, ne Societas, vixdum e latebris rossiacis a Summo Pontifice Pio VII ad pristinam militiam revocata, parva etiamtum numero sed multis eisque magnis iam laboribus oppressa, ut petitionibus in diem crebrioribus satisfaceret, longam animorum mentiumque Suorum formationem, a Sancto Parente praescriptam, contraheret. Accedebat quod post suppressum anno 1773 Ordinem, varias ob causas, ipsius Ignatii textus si minus oblivio at saltem incuria quaedam et neglegentia paulatim irrepserat, quo factum erat, ut non tam ipse Exercitiorum liber quam eius commentarii adhiberentur. Quapropter Pater Roothaan novam textus hispanici in latinum sermonem conversionem, adnotationibus ornatam, curavit, quam primum anno 1835, dein emendatam identidem auctamque annis 1838, 1847, 1852 in lucem edidit. Quae conversio postquam procedente tempore ubique in usum venit, quasi sollemnis facta est.

PROLOGUS

AD PATRES EXERCITIORUM SPIRITUALIUM PRAECIPUE STUDIOSOS.

In hac nova, quam videtis RR. PP., Exercitiorum spiritualium S. P. N. editione adornanda, quid consilii fuerit, paucis accipite.

Inde a viginti eoque amplius annis, tum in secessu annuo, tum extra illum, evolventi mihi librum Exercitiorum in vulgata versione latina, dudum incesserat desiderium inspiciendi aliquando ipsum textum hispanicum, quo idiomate a Sancto Parente nostro conscriptum fuisse librum, nemo ignorat. Videbam enim, duplicem quidem versionem oblatam fuisse censoribus, quibus Paulus III. librum, antequam illum Apostolica auctoritate approbaret, examinandum commiserat, et utramque, *ne vocula quidem mutata*, probatam fuisse; ut habet Orlandinus noster Hist. Soc. Lib. VIII. n. 1., utque ex iis, quae in omnibus fere libri editionibus exstant, summorum illorum virorum testimoniis comprobatur: at ex duabus illis versionibus eam fuisse selectam ac typis editam, quae latinior visa erat et sensum potius sensui reddebat; omissa altera, quae verbum paene verbo reddiderat. Videbam, subsequentibus temporibus, auctoritate V. Congregationis Generalis, eamdem illam versionem recognitam et cum autographo hispanico collatam, variis in locis, quae obscuriora videbantur, fuisse notis aliquibus adiectis seu illustratam seu emendatam. Videbam eosdem Patres, qui versioni vulgatae cum autographo conferendae praefuerant, non dissimulasse, alia quaedam praeterea se reperisse quidem sed, quod minoris momenti visa essent, praetermisisse. Haec omnia, et quod aliqua etiamnum obscuriora viderentur, fortasse ex hispanico dilucidanda, et praesertim (hanc mihi veniam date) pecu-

liaris quaedam erga S. Patrem resque eius omnes reverentia ac devotio, desiderium ardens cognoscendi ipsum S. Patris textum excitaverant.

Itaque, cum paucis abhinc annis hispanicum exemplar, diu frustra quaesitum, nactus tandem essem, eo laetus uti coepi, illudque legere cupidissime atque attentissime. Inde, inter ipsum annuum secessum iterum iterumque librum textu hispanico meditate volvens atque revolvens, deprehendi scilicet non pauca, quae mihi quidem notatu dignissima esse, et sive ad maiorem perspicuitatem, sive ad maiorem spiritus unctionem non mediocriter conferre posse videbantur. Ergo quae observaveram, cum sedulo adnotare coepissem et cum quibusdam Patribus in Exercitiis spiritualibus studiosius versatis communicassem, his etiam digna visa sunt, quae non ignorarentur a Nostris; ne minutis licet illis, pretiosissimis tamen tanti thesauri particulis, quae in vulgata versione excidisse et quodam modo deperditae iacere videbantur, Nostri passim carerent.

Ac primum quidem non alia mens erat, nisi ut praecipua quaedam in nova Exercitiorum editione, adiectis adnotatiunculis, designarentur. Sed cum in rerum notandarum selectu saepe haereret animus, et illa etiam recurreret identidem cogitatio quod fortasse ea, quae mihi fere nullius viderentur momenti, aliis, maiori instructis lumine, non inutilia nec negligenda videri possent, in illud demum consilium deveni, ut quam fieri posset maxime litteralem versionem totius libri adornarem, ex qua illud etiam nasceretur commodi, quod illa nativa simplicitas, ac simplicitatis socia unctio, quae Sanctorum non sensa modo, sed et verba comitari solet, conservaretur facilius, et a legentibus, seu meditantibus potius, (nam meditate legi totum hunc librum omnesque eius partes necesse est) aliquo saltem modo etiam in versione percipi posset.

Atque hunc ego laborem eo etiam lubentius suscipiendum mihi existimavi, quod cum hisce temporibus tantum operae impendi passim ab hominibus litteratis videamus, ut non modo veterum, sed aliorum etiam saepe recentioris aevi scriptorum, novas editiones accuratissimas concinnent, variantium quos vocant lectionum diligentissime habita ratione, in iis etiam quae nullius esse momenti videri possunt, cum vel minimos apices inobservatos relinquere sibi nefas illi putent, (quam quidem diligentiam, ubi operae pretium est, nemo improbaverit, nemo reprehenderit): maiori profecto iure, maiori certe utilitate quam in plerisque ex illis quos dicebam auctoribus, libro huic S. P. N. curam huiusmodi impendendam nobis esse arbitrabar.

Ergo ad opus me accinxi, et subseciva tempora huic labori, qui mihi quidem suavissimae quietis loco plerumque fuit, impendi. Quo vero accuratius in eo ac certius progrederer, hispanica libri editione quacumque non contentus, eo usus sum exemplari, quod antiquissimum ms. in hoc romano Archivo nostro asservatur, et in cuius margine variis in locis correctiones aliquae ipsa S. P. manu notatae conspiciuntur. Atque hoc ipsum est, quod a Congr. V. *Autographum* vocatur. Nam exemplar manu propria S. P. totum exaratum ne tunc quidem exstabat, certe repertum non fuit. Adhibui item, et cum autographo hispanico perpetuo comparavi, antiquam versionem latinam, pariter ms., fere quidem et ipsam litteralem, quae an eadem illa sit, quae censoribus simul cum altera, quae vulgata est, oblata fuerat, non constat. At est certe antiquissima, conscripta videlicet anno 1841, ut in calce huius codicis ab amanuensi adnotatum legitur, eaque ipsum S. P. Ignatium usum fuisse, colligimus ex hisce verbis in exteriori eius folio manu S. P. exaratis: *todos exercitios* (*) *breviter en latin.* Ceterum ista versio, quae currenti calamo facta fuisse videtur, eiusmodi est, ut mirum non sit, visam non fuisse typis edendam, sed alteram, quae P. Andreae Frusii erat, praeferendam.

In hac itaque nostra editione habetis, PP., in primis quidem vulgatam versionem integram plane atque intactam, ob reverentiam quae ei merito debetur semperque debebitur, subiectis tantum suis in locis asterisco notatis illis correctionibus, quas olim V. Congregationis auctoritate P. N. Claudius ei addendas curavit; tum ex adverso versionem nostram litteralem textui vulgato perpetuo respondentem, in qua, ut primo statim intuitu appareat, ubi quibusve in vocibus aliquod habeatur a versione vulgata discrimen, voces huiusmodi, plures, pauciores, distincto charactere expressas videtis. Si quid interdum, vel ad sensus plenitudinem, vel ad dubiae significationis vim conservandam necessario visum fuit textui latino inserendum, id uncinis inclusum reperietis. Denique temperare mihi non potui, quin locis quibusdam adnotationes aliquas adiicerem, quibus vim textus autographi aliquantum illustrari posse existimabam. Ceterum latinitatis ratio in hac versione alia habita non fuit, nisi quantum intelligentia rerum requirebat; neque enim stili correctio quaerenda erat, sed fidelitas in verbis ipsius autographi, quam fieri poterat, accuratissime reddendis. Commodius quidem verti ad verbum vel gallice vel italice

(*) *Breviter.* Non quod brevius in hac versione, quam in Autographo hispanico. Sed quia textus libri non nisi *breviter* Exercitia continet, oretenus scilicet fusius explicanda.

potuisset, ob harum linguarum idiotismos hispanico idiomati plerumque magis affines, sed plurium utilitati consulendum fuit.

Iam quae mihi cogitatio saepe in mentem venit, textum hispanicum cum vulgata versione conferenti, eadem vobis, versionem cum versione comparantibus, fore ut non semel incidat, nullus dubito: ut scilicet quaeratis vobiscum ipsis, qui factum sit, ut versio, quae tam multis in locis vel a propria et ingenita vi hispanici textus differre, vel certe ea tanto esse inferior cernitur, sub ipsis S. P. oculis typis mandari potuerit? Ad quam ego quaestionem quid mihi ipse responderem, nihil inveni probabilius, quam quod S. P., qua erat humilitate, quidquid esset rerum suarum, id aliorum plane curae permitteret. Certe de verbis eum fuisse in Exercitiorum libro minus sollicitum, vel ex eo patet, quod cum a se conscriptus esset rudi calamo, ut erat tum litterarum plane expers, cumque multi in eo et linguae minime correctae errores, et in sententiarum nexu quaedam non raro anacolutha occurrerent, horum nihil sibi postea corrigendum existimaverit, sed omnia plane, sicut ea pro animi sensu primo illo tempore scripserat, porro scripta reliquerit, additis dumtaxat aliquibus identidem verbis, ad explicationem maiorem vel ad confirmationem propositae doctrinae, iisque paucissimis. Qui ergo tam parum curavit autographum suum, quid mirum, si versionis curam aliis omnem reliquerit? Adde, quod cum non tam scripto, primis illis temporibus, quam vivae vocis explanatione Exercitiorum series omnis ac methodus traderetur, parum intererat, aliqua esse in versione latina minus accurate ad hispanicum autographum exacta, cum eorum usui ederetur in lucem, qui vim rerum vel ex ore ipsius S. P. hauserant, vel certe ex iis, qui hanc ab ipso acceperant. Hac vero tempestate, postquam et lapsu temporis et multo frequentatissimoque Exercitiorum usu factum est, ut pauci omnino S. P. formam servare consueverint, plurimum referre putavi, si quam accuratissime et sensus S. P. et verba cognoscerentur. Quod si haec qualiscumque opella nostra aliquid etiam conferat ad Exercitiorum spiritualium studium ex ipso S. P. libro diligentius persequendum, operae pretium me fecisse, ad maiorem Dei gloriam, non poenitendum existimabo.

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII LOYOLAE

VERSIO VULGATA

—

ANNOTATIONES

quaedam aliquid afferentes intelligentiae ad Exercitia spiritualia quae sequuntur, ut iuvari possit tam is, qui ea traditurus est, quam qui accepturus.

Prima est Annotatio, quod ipso nomine spiritualium Ex-

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. P. IGNATII LOYOLAE

VERSIO LITTERALIS

—

ANNOTATIONES (1)

ad capiendam aliquam intelligentiam in Exercitiis spiritualibus, quae sequuntur, et *ut* [*earum subsidio*] adiuvet se *tam is qui ea traditurus est, quam qui accepturus.*

Prima Annotatio est, quod hoc nomine Exercitiorum spi-

(1) Hae Annotationes sunt quaedam veluti Introductio ad Exercitia. *Duo* in his Annotationibus spectavit S. P. in ipso hoc titulo expressa: 1. Ut *aliquam* daret praeviam notitiam, et *aliquo modo* explicaret, quid ex eius mente Exercitiorum spiritualium nomine intelligendum veniret, qui eorum scopus, quae media, etc. 2. Ut monita quaedam traderet generalia, quae tam eum, qui traditurus esset Exercitia, quam qui accepturus, dirigerent, quo certior et uberior fructus exsisteret.

Coniuncto *et,* ex autographo, non est supervacanea: *adiuvare sese,* activa voce, magis est ad litteram, et videtur etiam magis ad mentem S. P., quam *iuvari.*

Ex hoc titulo, quem S. P. Annotationibus praefixit, iam intelligi datur, Librum hunc non esse conscriptum simpliciter ut *legeretur,* neque etiam ut a *quovis* studio ac meditatione *versaretur.* Titulus hic ipse innuit, eum qui Exercitia facit illa *accipere* debere, ab alio scilicet, qui ea in se expertus, bene versatus sit in hac arte sacra, quique proinde *tradere* Exercitia dicitur. Quod quidem etiam in monito primae Exercitiorum editioni praefixo diserte dicitur, et sedulo notandum est. Neque enim in hanc viam dare se quisquam debet sine duce. Nam errari a non expertis in documentorum applicatione pronum est: error autem omnis periculosus. Ipsa etiam Libelli S. P. brevitas necessario aliquem, qui explicet, requirit. At nec ipse Libellus cuiquam, qui prima vice obit Exercitia, concedi debet; ut monet Directorium cap. X. § 1, vel de iis agens, qui in Novitiatu nostro probantur. Denique, eximium illum fructum, qui ex Exercitiis rite factis colligi solebat, Patres nostri magna ex parte humilitati tribuebant, qua homo quivis, quantumvis doctus ceteroqui ac litteratus, alterius sese directioni committebat. Et merito quidem. Haec enim humilitas mirum in modum disponit animam ad uberiores divinae gratiae influxus recipiendos.

Porro hae Annotationes, *omnes* quidem ei, qui *tradit* Exercitia, ad manum esse debent, ut iis sese iuvet; ei autem, qui *accipit* Exercitia, non omnes, sed *aliquae* utiles futurae sunt, ut singulas perpendenti patebit.

ercitiorum intelligitur modus quilibet examinandi propriam conscientiam: item meditandi, contemplandi, orandi secundum mentem et vocem: ac postremo alias quascumque spirituales operationes tractandi, ut dicetur deinceps. Sicut enim deambulare, iter facere, et currere exercitia sunt corporalia; ita quoque praeparare et disponere animam ad tollendas affectiones omnes male ordinatas, et iis sublatis,

ritualium intelligitur quilibet modus examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter, et aliarum (2) operationum spiritualium, prout deinceps dicetur: quia sicut ambulare, ire, *(3) et currere sunt exercitia corporalia; ita etiam* quilibet modus *praeparandi et disponendi animam ad tollendas a se omnes affectiones inordinatas* [*male ordinatas*] *et, (4)* postquam quis eas sus-

(2) *Et aliarum... prout deinceps dicetur.* - Quaenam sunt *aliae* operationes, praeter exercitia iam enumerata, *examinandi conscientiam, meditandi, contemplandi, orandi vocaliter et mentaliter?* Videntur enim omnia exercitia ad unum aliquod ex his revocari posse. - Sed nimirum *alia* plura sunt exercitia in Libello posita, quae stricte loquendo ad nullam ex modo dictis exercitationibus pertinent; sunt autem gravissima illa de *electione*, de *reformatione vitae*, et cetera huiusmodi documenta, quae traduntur *deinceps*, in quibus dum quis se exercet, proprie loquendo neque conscientiam examinat, nec meditatur, neque contemplatur, neque orat vocaliter aut mentaliter; vere tamen spiritum exercet. - Prudenter autem a S. P. ista expressa hoc loco non sunt, ne forte homini nondum praeparato aut disposito inutilis, vel sollicitudo, vel timor ingeratur. Quae quidem S. P. prudentia ac discretio ei, qui tradit Exercitia, imitanda est. Nam plerumque illi, qui primum Exercitia aggrediuntur, *non possunt portare modo.*

(3) *Ire,* seu, pedibus *iter facere.* - *Ambulare, ire, currere,* gradationem exprimunt, quae commode ab exercitiis corporalibus ad spiritualia transferri possunt. - *Beati* quidem *qui ambulant* (Ps. 118) *in lege Dominis* at beatiores procul dubio, qui, *benedictione legislatoris* accepta, *eunt* (Ps. 83.) *de virtute in virtutem:* ii vero beatissimi, qui *dilatato corde viam mandatorum Domini currunt* (Ps. 118). Itaque in Exercitiis spiritualibus nemo contentus sit *ambulare,* lento scilicet gradu, ac veluti in limitato spatio, in praestituto virtutis gradu se continendo, ultra quem non tendat; sed unusquisque *ire* porro maiori contentione, *ac progredi,* quin etiam *currere* conetur, *ad ea, quae sunt priora, extendens seipsum,* ut loquitur Apostolus ad Phil. 3. - Immo etiam alas ad *volandum* pie et humiliter desiderare licet. *Quis dabit mihi pennas sicut columbae? et volabo et requiescam* (Ps. 54.) - *Mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae* (Isai. 40.), *volabunt et non deficient.* (Antiph. 3. Noct. 2. plur. Mart.).

(4) *Postquam quis eas sustulerit.* - Ita ex autographo paulo expressius docemur, frustra futuros nos in quaerenda voluntate divina circa vitae nostrae dispositionem, nisi cura *prima* sit, ut affectiones inordinatas tollamus. Nisi enim ante omnia ad has tollendas incumbamus, nec *lumen* ad intelligendum quid velit Deus, nec *voluntas* ad illud amplectendum suppetet, nec *vires* ad illud opere exsequendum. Quaenam vero sint *affectiones inordinatae,* id tum ex peccatis, quorum quisque sibi conscius est, tum maxime ex *principio* et *fundamento* intelligi dabitur.

ad quaerendam et inveniendam voluntatem Dei, circa vitae suae institutionem, et salutem animae, exercitia vocantur spiritualia.

tulerit, *ad quaerendam, et inveniendam voluntatem divinam, in vitae suae dispositione,* ad *salutem animae, vocantur exercitia spiritualia.* (5)

Inordinata est omnis affectio, cuius principium non sit in *fide* vel recta *ratione* fundatum, vel cuius afferri non possit motivum vel causa probabilis ex *ratione* vel ex *fide*. Si quaeras ex te: *Quare* sic afficior? *Quare* laetor? *Quare* tristor? *Cur* hoc desidero, illud timeo? *Quare* hoc amo, illud aversor? *Cur* irascor vel indignor? nec primo semper responso contentus, huius ipsius responsi rationem, iterato *Quare?* investiges; facile reperies, sitne ordinata affectio, nec ne.

Observentur autem diligenter gradus, per quos Exercitia spiritualia nos ducunt. *Praeparant* enim, *et,* quod plus aliquid significat, *disponunt* animam 1. ad *tollendas affectiones inordinatas;* 2. ad *quaerendam* voluntatem divinam; 3. ad eamdem *inveniendam;* 4. ad hanc, cum primum invenerit, amplectendam porro ac sequendam *in vitae suae dispositione;* id quod profecto facere non dubitabit, qui ab affectionibus inordinatis sese expediverit. Atque ita demum *salus animae,* qui ultimus est Exercitiorum finis, in tuto collocabitur.

Porro, recte dicitur per Exercitia *praeparari ac disponi* animus ad illa omnia; ne forte quis existimet, se per Exercitia sola, brevi illo tempore, et affectiones male ordinatas tollere a se posse, et cetera omnia quae dicta sunt praestare. Est enim hoc opus, hic labor totius vitae; sed per Exercitia animus ad ista *praeparatur ac disponitur.* Monitum hoc est momenti non levis, incipientibus praesertim, qui, cum in Exercitiis aliqua bona desideria conceperint, facile sibi quasi de victoria jam parta blandiuntur, cum vix dum ac fortasse ne vix quidem pugnare coeperint.

Nec tamen ideo negandum, eos, qui strenue Exercitia ingrediantur, ita solere per illa *praeparari ac disponi,* ut etiam fructus optatos, magnam certe partem, ipsorum Exercitiorum tempore consequantur. Immo vero non pauci ita parati ac dispositi ex Exercitiis vel semel factis prodierunt, ut inde, novi plane homines, in novitate vitae ambularent, ipsamque illam novam vitam porro tenerent ac perficerent usque ad mortem. Estque hoc ipsum, ad quod Exercitia *praeparant* animum ac *disponunt* mira quadam efficacia; et hunc omnem fructum producere *per se* nata sunt in eo, qui sibi ipse non desit.

(5) Haec prima Annotatio ei, qui Exercitia spiritualia facturus est, tradi seu explicari debet. Nam, et *quid* Exercitiorum nomine veniat, et *qui* eorum sit *scopus,* convenit ut probe intelligent quotquot ea obituri sunt. Ex ipso enim nomine Exercitiorum, comparatione facta cum exercitiis corporalibus, sentient debere ipsos *sese exercere,* id quod etiam ubi multis simul, etiam ubi populo publice traduntur Exercitia, inculcandum est, ne scilicet audientes *passive* potius, quam *active* se habeant, ut solent plerique in audiendis concionibus. Scopus autem, qui est ante omnia: *praeparare ac disponere animum ad tollendas affectiones male ordinatas,* prae oculis semper ac praecipue habendus est. Itaque ab eo, qui tradit Exercitia, explicandus est hic scopus Exercitiorum, percursis seu indicatis per summa capita iis praesertim affectionibus inordinatis, quibus teneri maxime solent, pro sua quique conditione, qui Exercitia faciunt, et ad quas proin tollendas per Exercitia praecipue incumbere debent. Quapropter haec *duo: quid* sint Exercitia, et *qui* eorum *scopus,* primum et ante omnia ei, qui Exercitia

Secunda est, quod ille, qui modum et ordinem alteri tradit meditandi, sive contemplandi, fideliter narrare debet meditationis, seu contemplationis historiam; percursis obiter dumtaxat punctis illius praecipuis, et adiecta solum brevi declaratiuncula, ut si, qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea et ratiocinetur per seipsum. Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit, quod elucidationem vel apprehensionem historiae aliquanto maiorem praebeat (sive ex discurso proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat) gustum delectabiliorem, et uberiorem fructum percipiat, quam si res ipsa ei ab altero diffusius narrata et declarata esset. Non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet.

Secunda est, quod ille, qui tradit alteri modum et ordinem ad meditandum vel contemplandum, debet narrare fideliter historiam talis contemplationis, discurrendo solum per puncta cum brevi vel summaria *declaratione;* quia *is, qui contemplatur, sumens verum fundamentum historiae, discurrendo ac ratiocinando per se ipsum, et aliquid inveniendo,* [*i. e. cum ita aliquid invenit*] *quod paulo magis declarari vel sentiri* [*s. gustari*] *faciat historiam; sive* [*id accidat*] *per propriam ratiocinationem, sive in quantum intellectus divina virtute illustratur;* [*id*] *maioris est gustus ac fructus spiritualis quam si ille, qui tradit Exercitia, multum declarasset ac dilatasset* sensum historiae (6): *non enim abundantia scientiae* satiat *animam eique* satisfacit, *sed sentire ac gustare res interne* (7).

facturus est, proponenda sunt et explicanda, *praeparationis* seu *introductionis* loco.

(6) *Sensum historiae.* - *Sensus,* qui dicitur, *historiae,* seu materiae contemplandae, hoc loco ex autographo non solum ad *intelligentiam* refertur, sed etiam, idque potissimum, ad *affectum,* qui producitur, cum res, quam contemplamur, et veritas in ea contenta, intime *sentitur.*

(7) In hanc secundum Annotationem, quae tota et unice est ad directionem eius, qui tradit Exercitia, observa:

1. *Modum et ordinem* meditandi seu contemplandi esse tradendum: *modum,* quomodo scilicet meditandum vel contemplandum sit, quomodo tres animae facultates exercendae, quomodo applicanda practice ea, quae quis meditatur, etc.; *ordinem,* id est, quo ordine materia meditationis in puncta dividenda sit, quoque ordine facultates animae ordinate singulis punctis, quae de re meditanda proponuntur, punctorumque etiam partibus singulis successive applicari debeant, vel possint. *Modus* rite perceptus ac servatus, valet plurimum, ut *facile,* absque capitis nimia defatigatione; *ordo,* ut non *confuse,* non vagantes; utrumque, ut *fructuose* meditemur. Utrumque ergo docere se debere intelligat, qui Exercitia tradit, et *modum,* inquam, et *ordinem,* quae duae voces nequaquam sunt synonymae.

2. *Historiam* contemplationis seu meditationis intelligi hoc loco generatim materiam sive argumentum meditationis, sive illa sit proprie

Tertia est, quod cum in sequentibus omnibus Exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus quando discurrimus, voluntatis vero quando afficimur, advertendum est in operatione, quae praecipue est voluntatis, dum voce aut mente

Tertia, cum in sequentibus omnibus Exercitiis spiritualibus utamur actibus intellectus, dum discurrimus, et voluntatis, dum afficimur: advertere debemus, quod in actibus voluntatis, *quando vocaliter aut mentaliter cum Deo Domino*

dicta *historia,* ut in mysteriis vitae Christi Domini, sive sit *mysterium* aliquod fidei, ut de peccato, de inferno, de morte, judicio, etc. Recte vero etiam haec argumenta vocari *historia* possunt; semper enim *facta* quaedam his etiam argumentis subesse solent, tamquam fundamenta veritatis illius, quae contemplanda venit. Nam et peccata, et peccatorum poenae, *facta* sunt *historica;* atque idem recte dici de omnibus potest, quae a S. P. meditanda seu contemplanda proponuntur.

Declarari vel sentiri. - *Declarari* ad intelligentiam, *sentiri* ad affectum referendum existimo. Monetur ergo qui tradit Exercitia, ne nimius sit, seu in speculativis considerationibus suggerendis, seu in applicationibus practicis, inque affectuum diversis motionibus indicandis: sed eius qui exercitatur industriae, et vero divino lumini divinaeque inspirationi plurima relinquat; ipsum meditantem hortetur, animum ut serio applicet, et vero oret ac suspiret; desideriis enim ac suspiriis ad Deum negotium hoc potissimum peragendum esse. Ita et *gustus* maior, et uberior *fructus* percipitur, ut S. P. notat. Ait autem, PAULO plus declarationis vel sensus, quod per se ipse quis repererit, *maiorem* adferre gustum solere, quam MULTAM dclarationem ab altero factam; animadverte antithesin *paulo, multam,* qua videtur paradoxum dici, et tamen verissimum est. Praeterea, si nimii simus in variis *conceptibus* proponendis, obruetur facile intellectus Exercitantis, et periculum est etiam, ne illius curiositati magis, quam veritati intime perspiciendae serviamus: si nimii in *applicationibus* practicis, fortasse vestes afferemus vel calceamenta, non isti corpori, non istis pedibus accommodata. - Ceterum, ratio habenda est personarum, et rudioribus, et qui minus invenire per se ipsi sciunt quae iuvent aut necessaria sint, prolixius utique exponi res meditandas, earumque applicationem necesse est. Sed cavendum, ne de eorum, qui exercitantur, dispositione seu capacitate nimium diffidamus. Certe, si qui sint voluntate bona, quique vero proficiendi desiderio ferantur, etiamsi nec litterati sint, nec rerum spiritualium experti, vix erit quod ipsi per se cum divino lumine et gratia non assequantur uberius ac melius, quam instructoris longiori sermone. Volentibus enim et orantibus adest Deus, eosque iuvare ac promovere mire amat infinita illa Bonitas.

Addam tamen, hanc secundam Annotationem intelligendam potissimum videri de iis Exercitiis, quae privatim simgulis vel certe paucis traduntur, qui proprius est Exercitiorum modus a S. P. intentus. Nam quae in hominum multorum coetu, aut etiam publice populo traduntur, in his fieri potest, ut necesse non sit, et intellectum audientium enucleata veritatum expositione percellere, et voluntati torpenti faces subicere, et vero etiam veritates, quae meditandae proponuntur, minutatim ac diversimode applicare, prout tam variis hominibus, ex quibus coetus isti componi solent, convenire videbitur. Moneantur tamen semper, ne mere passive se habeant, neve *audire* contenti sint; sed et ipsi meditabundi animum ad ea, quae dicuntur, applicent.

cum Domino Deo, vel Sanctis eius colloquimur, maiorem exigi a nobis reverentiam, quam dum per usum intellectus, circa intelligentiam potius moramur.

Quarta est, quod licet Exercitiis sequentibus assignentur quatuor hebdomadae, totidem Exercitiorum partibus, singulae singulis respondentes, videlicet, ut in prima hebdomada fiat consideratio de Peccatis; in secunda de Domini nostri Jesu Christi Vita usque ad ingressum ejus in Hierusalem die Dominica Palmarum; in tertia de Passione eiusdem; in quarta de Resurrectione et Ascensione, adiectis tribus orandi Modis; non tamen ita accipiendae sunt dictae hebdomadae, ut necesse sit unamquamque continere septem vel octo dies. Cum enim contingat

nostro, vel cum Sanctis ejus loquimur, requiritur ex parte nostra maior reverentia, quam dum utimur intellectu, intelligendo [*percipiendo*]. *(8)*

Quarta, licet pro Exercitiis sequentibus sumantur quatuor hebdomadae, ut respondeant quatuor partibus, in quas dividuntur Exercitia: [*quarum partium*] *videlicet prima est consideratio et* Contemplatio *de Peccatis; secunda est Vita Christi Domini nostri, usque ad diem Palmarum* inclusive; *tertia Passio Christi Domini nostri; quarta Resurrectio et Ascensio, appositis tribus Modis orandi; tamen non* [*ita hoc*] *debet intelligi, quod quaevis hebdomada necessario contineat in se septem vel octo dies. Cum enim contingat,* in prima hebdomada *alios* [*aliis*]

8. Quam recte ita moneat B. P. per se manifestum est. Nam in operationibus intellectus, dum ratiocinamur, nobiscum ipsi, cum nostro ut ita dicam spiritu, colloquimur; in actibus vero voluntatis sermonem ad Deum vel Sanctos convertimus, quos proin veluti praesentes, nobisque proxime adstantes, vel certe intentis nos oculis de coelo spectantes, revereri impensius par est. - Nec tamen dicitur exigi reverentiam solum in hisce volutatis actibus, sed in his *maior* exigi reverentia; quia toto meditationis tempore, etiam dum ratiocinamur, in Dei praesentia peculiari modo nos versari meminisse necesse est.

Haec tertia Annotatio, ut patet, omnibus tradenda est. Ex cuius applicatione et usu non exiguum capere possunt attentionis ac devotionis incrementum ii, qui divinum Officium seu Horas canonicas recitare solent: si nempe divini Officii partes rite inter se distinguantur, cum in aliis mera habeatur lectio, ut narratio, sermo seu homilia, in aliis proprie dicta precatio ad Deum vel Sanctos. Quod si quis etiam personam, ad quam oratio dirigitur, distincte respicere assuescat, modo enim ad Patrem, modo ad Filium, modo ad Spiritum Sanctum, modo ad Christum ut Mediatorem, modo ad B. V. aliosque Sanctos sermo in divino Officio dirigitur; mirum quantum sibi gustum spiritualem et fructum augeri sentiat. Neque vero ad huiusmodi attentionem habendam paulatim ac suaviter assuescere, nimis esse difficile existimandum est; modo ne violenter aut scrupulose quis id assequi contendat. Humilem porro *reverentiam* spirant illa verba, quibus Ecclesia in sacra liturgia uti solet; *da* QUAESUMUS, - *concede* PROPITIUS, - *te* SUPPLICES, - et cetera huiusmodi.

alios aliis tardiores, vel promptiores esse ad consequendum id, quod quaerunt (puta in prima hebdomada contritionem, dolorem, et lacrymas de peccatis suis) aliquos etiam plus aut minus agitari probarique variis spiritibus; expedit nonnumquam (*) succidi hebdomadam quamcumque, vel extendi, iuxta materiae subiectae rationem. Solet tamen totum Eercitiorum tempus triginta dierum, aut circiter, spatio concludi.

tardiores esse ad inveniendum id quod quaerunt, scilicet, contritionem, dolorem, lacrymas de peccatis suis; item cum alii aliis sint diligentiores; *alii etiam [aliis] magis agitentur aut probentur diversis spiritibus;* necesse est *ut aliquando contrahatur [prima] hebdomada, et [contra] aliquando protrahatur; et idem fiat in omnibus reliquis hebdomadis subsequentibus: quaerendo res [seu fructum proprium] iuxta subiectam materiam. Finientur tamen [integra Exercitia] plus minusve intra triginta dies. (9)*

(*) *Annotatione quarta in fine, ubi dicitur:* Expedit nonnumquam succidi hebdomadam; *sensus erit clarior si legatur:* contrahi hebdomadam.

9. Haec quarta Annotatio ad eum spectat, qui tradit Exercitia. Eius enim est, ex illis, quae in Exercitante observaverit, vel ab eo rationem Exercitiorum, quae fecit, reddente acceperit, statuere protrahendane sit an contrahenda haec vel illa Exercitiorum pars. Spectandus autem semper fructus proprius, *iuxta subiectam materiam*, ut ait S. P. Hic autem fructus retardari solet, vel naturali tarditate, vel minori diligentia seu minori applicatione, vel denique agitationibus diversorum spirituum, quae tria a S. P. praecipue commemorantur.

Licet autem ad omnes Exercitiorum hebdomadas spectet haec Annotatio, praecipue tamen habenda prae oculis est in prima hebdomada, quia scilicet, nisi huius scopum in primis Exercitans consequatur, quae est animi purgatio, frustra pergatur ad cetera Exercitia; cum scriptum sit: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas* Jer, 4 v. 3. Nec minus sedulo applicanda est haec Annotatio ad *Principii* et *Fundamenti* considerationem, cui tamdiu inhaerendum est, donec bene ac solide ab Exercitante perceptum sit, etiamsi, in Exercitiis praesertim integris, plures insumendi essent dies. Ceterum magna hic discretione opus est in Directore, cum et alii minus purgatione indigeant, et interdum ipsae spirituum agitationes exigant, ut ad alia potius transeatur, si saltem sufficienter fructus, qui quaerebatur, perceptus sit.

Patet autem, hanc Annotationem nonnisi imperfecte servari posse ubi multi simul collecti Exercitiis excoluntur. In his enim praecipua ratio habenda dispositionis maioris partis exercitantium eorumque necessitatis, illud semper prae oculis habendo, ut saltem *Fundamentum* probe defigant animo, et primae hebdomadae fructum solidum omnes colligant, et iuventur in ceteris, quantum fieri potest, ii qui magis possunt proficere.

Quinta est, quod mirum in modum iuvatur, qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori, ut de se, suisque omnibus id statuat, in quo ipsi potissimum servire possit, iuxta eiusdem beneplacitum.

Quinta, illi, qui accipit Exercitia, valde prodest, intrare in illa animo magno et cum liberalitate erga Creatorem ac Dominum suum, (10) *omne suum velle et libertatem* [*suam*] *illi offerendo, ut* divina eius Maiestas, *tam de se, quam de omnibus quae habet,* disponat (11) *iuxta* sanctissimam *suam voluntatem. (12)*

Sexta est, quod tradens Exercitia, si animadvertat ei qui recipit, nullas incidere spirituales animi commotiones, ut sunt consolationes, vel tristitiae, neque diversorum spirituum agitationes; sedulo debet percontari, an ipsa Exercitia

Sexta, ille, qui tradit Exercitia, cum sentit ei, qui exercetur, nullas incidere spirituales motiones (13) in anima, ut sunt consolationes vel desolationes, neque eum agitari variis spiritibus: multum debet eum interrogare circa Exerci-

(10) *Erga Creatorem ac Dominum suum.* - Nomina Dei, quibus S. P. frequentissime utitur, et quibus ad omne obsequium *liberaliter* Deo exhibeandum obstringimur. - Simile quid observandum in sequentibus: *divina eius Maiestas* - *iuxta sanctissimam suam voluntatem.*

(11) *Disponat.* - Ex autographo hispanico: *utatur,* quod proprie de instrumentis dicitur, quae, cum propria voluntate careant, utenti numquam resistunt, sed obsequuntur in omnibus. Talem ergo se Deo offerre debet, quisquis multum proficere desiderat. An vero aequum non est, ita comparatum esse hominem erga *Creatorem ac Dominum suum,* erga *Maiestatem divinam,* ut omnem voluntatem propriam *sanctissimae illi* voluntati subiiciat omnino in omnibus?

(12) Dispositio animi, quam in hac Annotatione commendat S. P. ut *valde prodesse* Exercitanti dicitur, ita diligenter exponenda et suadenda est omnibus, qui sive privatim sive communiter ad Exercitia facienda accedunt.

Porro, quae inculcanda est *liberalitas* in offerendo se toto divinae Maiestati in omnem *Creatoris* ac *Domini* voluntatem, duo continet, ut scilicet et intellectu illustrari quam copiosissime cupiat: *Domine quid me vis facere?* et voluntate omne illud quod cognoverit exsequi desideret: *Domine doce me facere voluntatem tuam.* Quae duplex oratio valde est necessaria. Licet enim Deus non sit instar heri morosi, qui cum voluntatem suam clare manifestare dedignetur, nihilominus irascatur servo, si quando illam divinando non assecutus sit; tamen quia saepe alias vel agnoscere Di voluntatem noluimus, vel agnitam sequi aut contempsimus aut negleximus, merito instandum est orationi: *Domine quid me vis facere?* non sine deprecatione praeteritae nostrae seu caecitatis, seu negligentiae, seu etiam contumaciae.

(13) Nullas haberi motiones inter Exercitia spiritualia, ita scilicet, ut nec boni spiritus stimuli aut excitamenta, nec mali tentationes aut impedimenta sentiantur, non est bonum signum, sed potius dubium ingerit de seria applicatione Exercitantis; qui propterea interrogandus est de modo quo Exercitia praescripta peragit.

praescriptis agat temporibus, et quibus modis; an etiam observet diligenter cunctas additiones; et de singulis ratio postuletur. Porro de Consolationibus, et Desolationibus infra tractabitur, in primis Reg. de discern. spiritibus. De Additionibus vero in fin. hebd. primae.

tia, an ea faciat praestitutis temporibus, et quomodo [*ea faciat*]: *item de Additionibus, an diligenter eas observet: singillatim de unaquaque ex his rebus rationem postulando. — Agitur de Consolatione et Desolatione*... [*vide infra, ad finem libri*]... *de Additionibus*... [*infra, ad finem primae hebdomadae*].

Septima est, quod is, qui alterum exercendum curat, si eum videat desolatione affici seu tentatione, cavere debet ne se durum vel austerum ipsi exhibeat, sed mitem potius, ac suavem praestet, confirmato eius animo ad agendum strenue in posterum, detectisque inimici nostri versutiis, eum ad consolationem studeat disponere tamquam brevi subsecuturam.

Septima, ille, qui tradit Exercitia, si videat eum, qui ea recipit, esse desolatum ac tentatum, non exhibeat se illi durum, neque asperum, sed blandum ac suavem, (14) addendo ei animum ac vires in posterum, et detegendo illi astutias (15) inimici naturae humanae et efficiendo [*admonendo, hortando*], ut se praeparet ac disponat ad *futuram consolationem.*

(14) *Tria* Directori praestanda: 1. *vires addere* in futurum; 2. *detegere* praesentes *versutias inimici;* 3. *efficere ut* alter *se paret ac disponat* ad consolationem. - Notanda praesertim ultima verba ex autographo. Neque enim directoris est disponere eum, qui exercetur, ad consolationem; sed illius *ipsius* est, *se* disponere; utque hoc faciat directoris est efficere, hortando, monendo, instruendo etc. Ubique vult S. P. eum *ipsum, qui facit Exercitia,* agere et conari. Quod item ex 1. Annotatione manifestum est, ubi, quid sint Exercitia spiritualia, similitudine exercitiorum corporalium explicatur. Corporaliter autem exercetur, non qui alium *ambulantem, euntem, currentem* spectat vel audit, sed qui *ipse* ambulat, *ipse* it, *ipse* currit. - Qua vero ratione disponere se homo ad consolationem debeat, docemur *Reg.* 6. *ad spir. discernendos, pro prima hebdomada.*

(15) *Inimici naturae humanae* - *Naturae humanae inimicus,* expressio est, quae propriam rationem odii, quo daemon homines prosequitur, attingit. Odit enim in nobis ipsam *naturam* nostram, quae scilicet tota Dei opus est, et in Filio Dei ad summam dignitatem elevata. Iste ergo *naturae humanae inimicus* quidquid est in homine opus ac donum Dei odit, illudque prae odio et invidia pessumdatum cupit. Inde omnes artes exserit nocendi et animae et corpori, et si utrique non potest, alterutri certe, et si nocere non potest, certe tricas inferre et impedimenta suscitare conatur. Amplam meditandi materiam praebere hoc nomen potest, quo passim S. P. daemonem appellare solet: *inimicus naturae humanae,* cuius scilicet inimicitiae et odii monumenta mundum universum repleverunt, et replere quotidie non cessant; et experimur scilicet hanc inimicitiam, hoc odium daemonis, tum

Octava est, quod circa consolationes, et desolationes sumentis Exercitia, et circa astutias inimici, poterunt usui esse Regulae quae (*) in prioribus duabus hebdomadis habentur, de variis spiritibus internoscendis.

Octava, ille, qui tradit Exercitia, iuxta necessitatem (16) quam senserit [*esse*] in eo qui illa accipit, *circa desolationes et astutias inimici, uti etiam circa consolationes,* poterit ei *tradere* [*explicare*] *Regulas primae et secundae hebdomadae quae sunt ad varios spiritus internoscendos...* [*infra, ad finem libri*].

Nona est, quod quando exercendus est quispiam spiritualium rerum inexpertus, unde contingat, eum in prima hebdomada crassis quibusdam apertisque tentationibus vexari, ostensis jam inde prosequendi obsequii divini certis impedimentis (cuiusmodi sunt molestia, anxietas, pudor, timor, habita honoris mundani ratione), tunc illi, qui eum exerceri docet, supersedendum est usu Regularum, quae ad secundam hebdomadam pertinent, de discretione spirituum, et iis utendum solis, quae in prima dantur. Quia quantum alter ex his accepturus est

Nona, advertendum est, [*quod*] *cum ille qui exercetur, versatur in Exercitiis primae hebdomadae, si sit persona, quae in rebus spiritualibus non fuerit versata, sique tentetur crasse et aperte,* veluti cum *ostendat impedimenta progrediendi ulterius in servitio Dei Domini nostri, v. g. labores* [*molestias*], *pudorem et timorem ob honorem mundanum, etc...* [*tunc*] *qui dat Exercitia, non ei tradat Regulas de diversis spiritibus,* [*quae sunt*] *secundae hebdomadae: quia quantum ei proderunt sunt*] *secundae hebdomadae;* [*tantum*] *nocebunt eae, quae*

(*) *Annotatione octava ubi dicitur:* In prioribus duabus hebdomadis; *lege:* Pro prioribus duabus hebdomadis.

universi, tum singuli, utinam *vigiles* semper et *orantes!* Et vero orandi fiduciam magnam ingerit ista consideratio, quod *inimicus* iste *naturam* nostram in nobis persequatur, illud scilicet omne in nobis a Deo est: unde non tam nos odit, quam Deum ipsum in nobis; quare adverseu eius vim fraudes merito dicamus: *quoniam ecce* INIMICI TUI, DEUS... (Ps. 82).

(16) Notanda sunt verba: *iuxta necessitatem eius, qui accipit Exercitia.* Neque enim omnia, quae in illis Regulis habentur, omnibus aeque conveniunt, sed qui tradit Exercitia omnes illas Regulas probe teneat necesse est, et in illis tradendis et explicandis multa utatur discretione; eae scilicet explicandae sunt et applicandae, quae conveniant, *pro* illius, qui facit Exercitia, *necessitate.* - Idem distinctius notatur in subsequentibus Annotationibus 9. et 10.

commodi, tantumdem ex illis dispendii referret ob subtilitatem rei, et sublimitatem, quae est supra eius captum.

Decima est, quod qui exercetur, si tentationibus iactetur, boni speciem prae se ferentibus, tunc muniendus est per dictas Regulas hebdomadae secundae. Humani enim generis inimicus, per boni speciem, eos ut plurimum oppugnat, qui antea in via vitae, quam illuminativam appellant, respondente Exercitiis secundae hebdomadae fuerint potius versati, quam in altera quae purgativa dici solet (*), atque per Exercitia primae hebdomadae comprehenditur.

Undecima est, quod exercenti se in prima hebdomada, expedit nescire, quid in secunda sit acturus: sed ad consequendum illud, quod tunc quaerit, acriter laborare, perinde ac si nihil boni postea esset reperturus.

secundae sunt; eo quod materia subtilior sit ac sublimior, quam ut ille possit intelligere.

Decima, quando qui tradit Exercitia, sentit eum, qui ea accipit, oppugnari ac tentari sub specie boni, tunc proprium est [convenit] ut sermonem ei habeat de Regulis secundae hebdomadae iam dictae, quia communiter (17) *inimicus humanae naturae* magis *tentat sub specie boni, quando homo se exercet in [via] illuminativa, quae respondet Exercitiis secundae hebdomadae, et* non tantopere [*tentat sub specie boni*] *in [via] purgativa, quae primae hebdomadae Exercitiis respondet.*

Undecima, ei, qui accipit Exercitia, in prima hebdomada prodest, ut nihil sciat eorum, quae facturus est in secunda hebdomada; sed ut ita laboret in prima ad obtinendum id quod quaerit, ac si in secunda nihil boni se reperturum speraret.

(*) *Annotatione decima in fine, ubi habetur:* Atque per Exercitia primae hebdomadae comprehenditur; *lege:* Atque Exercitiis primae hebdomadae respondet.

---

(17) Diligenter notanda sunt illa verba ex autographo: *communiter-magis-non-tantopere.* Scilicet *plerumque* ita fit, non tamen *semper.* - Item advertendum est, non tam referri hanc Annotationem ad primam vel secundum hebdomadam Exercitiorum, quam ad habitualem animae statum illius, qui exercetur. Nam, et primae hebdomadae Exercitia saepe illi faciunt, qui, quantum ad vitae suae modum, versantur in via illuminativa, qui proinde, etiam in prima hebdomada, non raro indigent Regulis secundae hebdomadae; et ex iis, qui Exercitiorum spiritualium tempore in secunda hebdomada versantur, non pauci vitae habitu et animae statu haerent in purgativa, et crassis tentationibus pulsati, dirigendi etiam tunc sunt primae hebdomadae Regulis. Itaque unusquisque *fere,* pro ratione sui in vita spirituali gradus, tentari *solet,* ac Regulae vel primae hebdomadae, vel secundae, applicandae sunt

Duodecima est, quod admonendus est is, qui exercitatur, ut cum in quotidiano quolibet Exercitio, ex quinque infra describendis, expendi debeat unius horae tempus: curet semper animi quietem in hoc reperire, quod plus temporis potius, quam minus insumpsisse, sibi conscius sit. Frequens est enim daemoni, hoc agere, ut praefixum meditationi vel orationi temporis spatium decurtetur.

Duodecima, ille, qui tradit Exercitia, debet eum, qui ea accipit, multum [s. impense, *instanter*] *admonere, ut, cum in unoquoque ex quinque Exercitiis vel contemplationibus, quae singulis diebus fient, durare debeat per unius horae spatium: ita procuret semper, ut animus contentus maneat recogitando* [*i. e. eo quod conscius sibi sit*] *perdurasse* horam integram *in* [*illo*] *Exercitio, et* immo *plus* [*temporis impendisse*] *potius quam minus. Nam inimicus* [*daemon*] non parum solet (18) *procurare, ut hora contemplationis eiusmodi, meditationis, vel orationis decurtari faciat.*

Decima tertia est, quod cum facile sit ac leve affluente consolatione integram contemplationis horam traducere: difficillimum e contra, incidente desolatione: idcirco adversus tentationem, ac desolationem semper pugnandum est, producto ultra praefinitam horam Exercitio, vincendi gratia. Ita enim non solum discimus resistere adversario, sed eum etiam expugnare.

Decima tertia, item advertendum est, quod sicut tempore consolationis facile est ac leve durare in contemplatione per horam integram, ita desolationis tempore valde est difficile illam explere. Idcirco is, qui exercetur, ad agendum contra desolationem, et ad tentationes vincendas, *debet* semper *durare* aliquantulum *ultra horam completam: ut non solum assuescat resistere adversario, sed etiam illum prosternere.*

Decima quarta est, quod si vacans Exercitiis cernatur consolatione multa, et fervore magno ferri, obviandum est, ne promisso aliquo vel voto inconsulte ac praecipitanter

Decima quarta, ille, qui tradit Exercitia, si videat eum, qui illa accipit, in consolatione et cum multo fervore procedere, debet praemonere, ne promissionem aliquam faciat,

pro ratione tentationum, quas quisque patitur; sive ille primae hebdomadae Exercitia peragat, sive secundae, sive etiam tertiae, vel quartae.

(18) *Non parum solet.* - Intellige non solum de *frequentia* huius tentationis, sed etiam de *multa vi ac fraude,* qua daemon id efficere contendit, hora ut decurtetur. *Solet-non parum.*

facto, se obstringat: idque tanto fuerit diligentius praevertendum, quanto ille ingenii esse instabilioris perspicitur. Quamvis enim unus alterum iuste movere possit ad ingressum Religionis, in qua emittenda sint obedientiae, paupertatis, atque castitatis vota; quamvis praeterea maioris meriti sit opus ex voto quam sine voto factum; plurima nihilominus ratio habenda est conditionis propriae personarum. Item attente est considerandum, quid commodi vel incommodi possit occurrere, ad illud praestandum, quod aliquis promissurus sit.

nec votum aliquod inconsiderate ac praecipitanter; et quanto magis eum cognoverit levis indolis esse [*s. instabilem*] *tanto magis debet illum praemonere,* (19) *et* [*porro*] *admonere. Quamvis enim recte possit quis movere alium ad Religionem amplectendam, in qua intelligitur* [*quis*] *facere votum obedientiae, paupertatis, et castitatis; et quamvis bonum opus, quod fit cum voto, sit magis meritorium, quam quod sine illo; multum* [*tamen*] *attendenda est* propria conditio et subiectum (20) *eius, qui facit Exercitia*], *et quantum possit invenire auxilii vel impedimenti, in explenda* [*deinceps*] *ea re, quam vellet promittere.*

Decima quinta est, quod tradens Exercitia non debet alterum impellere ad paupertatem et promissionem eius magis quam ad oppositum; neque ad hoc potius, quam ad illud institutum vitae: quia licet extra Exercitia licitum sit, et pro merito ducendum,

Decima quinta, ille, qui tradit Exercitia, non debet ea accipientem movere magis ad paupertatem neque ad promissionem [*aliquam*] *quam ad opposita, neque ad unum* statum vel modum vivendi [*magis*] *quam ad alium; quia licet, extra Exercitia, possimus*

(19) *Praemonere et* (porro) *admonere.* - Hisp. *prevenir y admonir* - Scil. ubi de homine levi adeo et inconstanti agitur, non sufficit semel *praemonuisse,* sed necesse est porro iterum atque iterum identidem *admonere,* ne forte in fervoris aestu inconsulto promittat aliquid aut voveat, cuius eum postea poeniteat.

(20) *Subiectum.* - Hisp. *subjecto.* Quae vox refertur ad universam hominis naturam, et ad eius dispositionem, tum physicam, tum moralem. - Itaque *subiectum* considerandum est, ut iudicium rectum feratur de ipsa persona; *conditio* vero spectat ad externam eius relationem cum aliis, ut si paterfamilias, si filiusfamilias, si magistratus, si dives vel pauper, et alia eiusmodi, personae ipsi non intime propria, sed potius extrinsecus adhaerentia. - Utrumque vero, et *conditionem,* et *subiectum,* diligenter considerandum esse monemur, ut futura ex voto aliquo tum commoda tum incommoda prudenter aestimari possint ac proin certius iudicium ferri, utrum facilis futura sit an difficilis voti exsecutio, utrum difficultates superandae sperentur necne, etc. huiusmodi.

si quis coelibatum, religionem et aliam quamcumque evangelicam perfectionem amplecti suadeat iis omnibus, quos ex personarum et conditionum ratione probabile sit fore idoneos: longe tamen convenientius meliusque est, inter Exercitia ipsa id non attentare: sed Dei potius voluntatem quaerere, atque praestolari, donec ipse Creator ac Dominus noster animae sibi devotae sese communicet, eamque amplexans, ad sui amorem, laudem, et servitium disponat, prout maxime scit esse commodum. Quapropter dictanti Exercitia standum est in quodam aequilibrio, sinendumque ut citra medium Creator ipse cum creatura, et haec vicissim cum illo rem transigat.

licite ac meritorie movere omnes, qui probabiliter idoneitatem habeant, ad eligendam continentiam, virginitatem, *religionem et* omnem modum *perfectionis evangelicae: tamen, in talibus Exercitiis spiritualibus, convenientius est, et multo melius, quaerendo divinam voluntatem, ut ipse Creator ac Dominus animae* (21) suae [*sibi*] *devotae se communicet, eam amplexans in suum amorem ac laudem, eamque disponens* (22) ea via, qua melius poterit ei deinceps servire, [*vel, quae melius poterit ipsi convenire in posterum*]*; ita ut qui tradit Exercitia,* non divertat, nec se inclinet ad unam neque ad alteram partem; *sed consistens in medio, ad instar bilancis, sinat Creatorem cum creatura, et creaturam cum suo Creatore ac Domino immediate operari.*

Decima sexta est, quod, ut Creator ipse, Dominusque noster in creatura sua certius operetur, si accidat animam ad aliquid minus rectum affici

Decima sexta, ad id [*quod supra dictum est*], *scilicet, ut Creator ac Dominus certius operetur in sua creatura; si forte talis anima* inordinate (23)

(21) *Animae suae* (sibi) *devotae.* - *Tò suae,* ex autographo, Creatoris dominium exprimere videtur. - *Eam amplexans.* Ita vertimus cum vulgata versione ex autographo, ubi habetur *abraçandola.* Antiqua versio *ms.* pariter habet: *eam acceptando.* Sed in vulgatis editionibus hispanicis legitur: *abrasandola.* i. e. *eam accendens, inflammans.* Quod quidem certe magis est ad rem. Et fortasse scriptor litterulam *ç* pro *s* posuit, S. Patre minima ista non observante.

(22) *Ea via, qua..* (*vel quae* -.) Utraque haec versio potest cum autographo hispanico componi, ita ut sensus S. P. sit, vel: *ea via, qua melius possit homo deinceps servire Deo;* vel: *ea via, quae melius possit servire,* idest convenire *homini,* ut *in posterum* Deo serviat melius, ac salutem certius consequatur. - Et uterque sensus rectus est, et rei quae tractatur convenit, ac tandem in idem recidit, habito prae oculis fine creationis.

(23) *Inordinate.* - Ita ex autographo. Non enim id solum spectatur, ne anima *ad aliquid minus rectum* afficiatur, ut habet vulgata versio, sed ne afficiatur *inordinate* ad ullam rem, sive minus recta ea sit, sive

atque inclinari, summopere ac totis viribus nitendum est in contrarium: (ut puta si ad officium vel beneficium adipiscendum aspiret, non divinae gloriae aut communis animarum salutis causa, sed commoditatis suae negotiorumque temporalium dumtaxat;) tunc affectus ad oppositum impelli debet, per assiduas orationes, et alia Exercitia pia, in quibus a clementia Dei oppositum petatur; videlicet, hunc ut ille animum offerat ipsi Deo, se tale officium vel beneficium, aut aliud quidvis, jam non appetere, nisi priorem affectum adeo mutaverit, ut nihil jam omnino desideret, vel possideat alia ex causa, quam divini cultus et honoris.

(*) Decima septima perutilis est, quod scilicet tradens Exer-

affecta est et inclinata ad rem aliquam; valde conveniens est [*eam*] movere se, *adnitendo totis viribus, ut* veniat [*perveniat*] *ad contrarium ei rei cui male affecta est; veluti si* [*anima*] *affecta est ad quaerendum et* possidendum *officium aliquod vel beneficium, non ob honorem et gloriam Dei Domini nostri, neque ob salutem spiritualem animarum, sed ob sua propria commoda et utilitates temporales, debet affici* [*affectum suum impellere*] *ad contrarium, instando in orationibus aliisque Exercitiis spiritualibus, et petendo contrarium a Deo Domino nostro;* [*protestando*] *scilicet, nolle se tale officium vel beneficium, aut aliud quidquam, nisi* divina sua Maiestas, in ordinem redigens eius desideria, (24) *primum affectum* ipsi *mutaverit, ita ut causa desiderandi vel tenendi unum vel alterum, sit solum obsequium, honor et gloria suae divinae Maiestatis.*

Decima septima, multum conducit, *ut qui tradit Exerci-*

(*) *Annotatio decima septima ita poni debet:* Decima septima, Perutile est, ut qui tradit Exercitia, quamvis inquirere, ac scire non intendat proprias alterius cogitationes et peccata, certior tamen fideliter fiat de variis agitationibus et cogitationibus, quas varii spiritus immittunt. Perspecto enim maiori aut minori eius profectu, nonnulla spiritualia Exercitia praescribere illi potest, praesenti animae necessitati opportuna.

bona et optima. Quia etiam ad rem per se bonam affici inordinate possum, sive quod rem bonam cupiamus non ob finem bonum, ut in exemplo hìc a S. P. proposito, sive quod res illa, quantumvis bona, non sit aptum medium ad finem, sive etiam quod inconsulto, praecipitanter, aut nimio ardore, nimiave anxietate in rem illam feramur. Haec omnia sub ista vocula: *inordinate* comprehenduntur.

(24) *Nisi divina sua Maiestas, in ordinem redigens eius desideria... affectum ipsi mutaverit.* - Scilicet illa affectus inordinati mutatio di-

citia, inquirere ac scire nolens proprias alterius cogitationes et peccata; superest, ut certior factus fideliter de cogitationibus a vario spiritu immissis, et ad maius, aut minus bonum trahentibus, spiritualia nonnulla Exercitia illi praescribat, praesenti animae necessitati opportuna.

tia [quamvis] non intendens percunctari neque scire proprias ejus, qui illa accipit, cogitationes et peccata, [tamen] fideliter certior fiat de variis agitationibus et cogitationibus, quas diversi spiritus ei immittunt; quia secundum maiorem aut minorem [*eius*] profectum, *potest ei tradere quaedam Exercitia spiritualia convenientia, et conformia necessitati animae huiusmodi sic agitatae* (25).

Decima octava est, quod iuxta eius, qui exercetur, ha-

(26) *Decima octava, iuxta dispositionem eorum, qui vo-*

vinae potissimum gratiae effectus est, quae proinde *instanti* oratione postulanda.

(25) Haec Annotatio decima septima, licet omnibus sub ipsum Exercitiorum initium explicanda non sit, interdum tamen pro opportunitate exponi poterit, si quando Exercitans non satis communicare sensa animi sui videbitur. Plerumque tamen per solam accurate interrogandi frequentiam, iuxta Annot. sextam, res tota conficietur, ita ut ne mentionem quidem fieri necesse sit huius decimae septimae Annotationis. Semper tamen ei, qui tradit Exercitia, prae oculis habenda est, ut Exercitantem recte dirigere possit.

(26) Diligenter considerandae sunt hae tres Annotationes ultimae, quae de *variis* hominum generibus agunt, quibus *vario* modo, singulorum captui accommodato, tradi Exercitia possunt. Quae ergo a S. P. dicuntur, paucis ita resumi possunt:

In dandis Exercitiis ratio habenda est personarum, et dispositionis etiam, seu voluntatis, qua quis sese ad Exercitia sumenda offerat. Hinc:

1. Si quis tantum instrui cupit, ut ad aliquem gradum quietis in anima perveniat, huic tradatur Examen, tum particulare, tum generale; item primus orandi Modus; et ad confessionem rite faciendam et frequentandam, sanctamque Eucharistiam frequentius suscipiendam instruatur, disponatur et excitetur. - Huic S. P. ne *Fundamentum* quidem explicari iubet, licet fortasse non censeatur prohibere. - Atque hoc quidem modo *Exercitia* proprie dicta fieri vix ac ne vix quidem dici possunt. Est tamen modus iuvandi plurimos facillimus simul et utilissimus, et rudioribus etiam quibusque conveniet, quibus praeterea explicanda distincte sunt omnia, quae ipsis proponuntur.

2. Si quis, bonae licet voluntatis, exiguam habeat dispositionem naturalem, puta ingenii aut indolis, ita ut fructus insignis sperandus non sit, huic nonnisi faciliora, nec fere nisi primae hebdomadae Exercita tradi conveniet; ne scilicet ille supra vires oneretur. - Consulendum etiam tempori, ne forte tali homini opera impendatur, quae utilius, proindeque cum maiore Dei gloria, in aliis magis idoneis exercendis poni posset. Haec fere in *Annot. decima octava.*

3. Accidere potest, ut quis, vel litterarum studiis excultus, vel certe

bitudinem, puta pro aetate, doctrina, vel ingenio, accommodari debent Exercitia; ne cui rudi aut imbecilli seu debili ea imponantur, quae ferre non possit citra incommodum, nedum ad profectum suum assumere. Similiter prout cuique in animo est sese disponere, impartiendum id demum est, quod eum potissimum iuvare possit. Propterea ei, qui se instrui dumtaxat postulat, et ad gradum aliquem perduci, in quo animus suus conquiescat, tradi potest particulare primum Examen infra positum; deinde generale, simulque Modus orandi mane per horae dimidium, ex praeceptorum Dei et peccatorum mortalium consideratione, de qua suo loco infra. Suadendum etiam fuerit, ut octavo quoque die peccata sua confiteatur, et quindecim dierum intervallo, vel octo potius, si affectus impellat, sumat Eucharistiae Sacramentum. Ista exercitationis ratio proprie competit rudioribus seu illitteratis, quibus insuper exponenda erunt singula praecepta Dei, atque Ecclesiae; mortalia peccata, cum

lunt Exercitia spiritualia suscipere, id est, secundum eorum aetatem, doctrinam, vel ingenium, applicari debent talia [*huiusmodi*] *Exercitia; ne homini rudi vel exiguae* [*delicatae*] *complexionis* tradantur *ea, quae commode* [*s. suaviter*] *ferre non possit, et quibus non possit proficere. Similiter, prout quisque voluerit se disponere, id ei dandum est, per quod magis possit se iuvare et proficere. Itaque ei qui* [*tantum*] *iuvari vult ut instruatur, et ut perveniat usque ad certum gradum contentam reddendi animam suam, dari potest Examen particulare* [*infra post Fundamentum*] *ac postea Examen generale* [*ibidem*], *simul et Modus orandi, mane per mediam horam, circa praecepta, peccata mortalia etc.* [*infra in fine post quartam hebdomadam*], *commendando ei etiam Confessionem suorum peccatorum* [*faciendam*] *octavo quoque die, et, si potest, Communionem decimo quinto* [*quoque die*], *et, si* [*ita*] *afficitur,* melius *octavo quoque die. Hic modus magis est conveniens rudioribus seu illite-*

ingenio pollens, Exercitiis dare operam cum vero magnoque proficiendi desiderio cupiat, sed negotiis distineatur, a quibus expedire se vel abstinere per multorum dierum spatium non possit. Huic, si saltem quotidie horam unam cum dimidio suis occupationibus, vel etiam quieti suae, suffurari potest, quomodo tradi Exercitia etiam omnia possint, praeclara industria docemur *Annot. decima nona.*

4. Denique, qui et a negotiis liber est, et quam plurimum proficere cupit, et, ut supponitur, ab ingenii dotibus idoneus est, huic tradantur Exercitia ordine quo praescripta sunt, et suadendus secessus, cuius tria praecipua commoda enumerantur. Haec *Annot. vigesima* - Ceterum videndum de hac ipsa re Directorium, cap. 1. num. 7. - Utinam vero omnis haec doctrina Operariis nostris et Confessariis familiaris semper esset, quo fidelium saluti et *perfectioni,* pro vocationis nostrae ratione, *magis* magisque consulerent!

quinque sensibus, et operibus misericordiae. Itidem si is, qui tradit Exercitia, alterum viderit debilis esse naturae, ac parum capacis, unde modicus proventus et fructus sperari queat, satius fuerit aliqua ex dictis levioribus Exercitiis ipsi praescribere, usque ad Confessionem peccatorum: postea nonnulla conscientiae Examina, et methodum confessionis frequentioris dare, quibus iam paratum sibi animae profectum seu lucrum tueri possit. Non erit autem progrediendum ad Electionum dictamina, aliorumve, quam primae hebdomadae Exercitiorum; quoties praesertim alii adsunt maiori cum fructu exercitandi nec omnia omnibus praestare temporis permittit angustia.

ratis, declarando illis [singillatim] unumquodque praeceptum, et sic de peccatis mortalibus, praeceptis Ecclesiae, quinque sensibus, et operibus misericordiae. Similiter si ille, qui tradit Exercitia, videat eum, qui ea accipit, esse exigui subiecti (27), *vel parvae capacitatis naturalis, a quo non speratur multum fructus, convenientius est ei tradere aliqua ex* his (28) *Exercitiis levibus, [levia, s. leviora ex libro Exercitiorum] donec faciat Confessionem suorum peccatorum; ac dein dando illi aliqua Examina conscientiae et ordinem confitendi frequentius,* quam solebat, *ut se conservet in eo quod adeptus est, non progredi ulterius in materias Electionis neque in alia ulla Exercitia, quae sunt extra primam hebdomadam; maxime quando in aliis maior profectus fieri potest, dum tempus deest [non sufficit] ad omnia.*

Decima nona est, quod homini negotiis publicis, vel aliis convenientibus districto, sive ingenio sive litteris praeditus sit, suppetente ipsi hora una et dimidia diebus singulis ad

Decima nona, ei qui implicatus *[s. occupatus] esset in rebus publicis vel negotiis convenientibus [utilibus, necessariis]* (29), *sive litteris sive ingenio [v. industria ad mechani-*

(27) *Subiecti.* - Vide supra notata ad Annotat. 14. n. 20.

(28) *Ex his Exercitiis - ex his*, non ut habet vulgata: *ex dictis Exercitiis,* quasi vero ne illa quidem omnia dari possint, quae paulo ante enumerata fuere; cum immo paulo infra multo latius extendat, quae hic dicuntur, scilicet ad omnia primae hebdomadae Exercitia. Ergo, *ex his,* intellige, non *ex dictis;* sed *ex his*, quae in libro ipso continentur.

(29) *Negotiis convenientibus* (utilibus, necessariis) scilicet, eiusmodi negotiis et officiis, sive litterariis sive mechanicis, a quibus se ille per plures dies subducere omnino *non possit.* Si enim posset, pro illa bona voluntate, quae hic supponitur, libere vacaturus ab illis negotiis intelligeretur, et Exercitia facturus eo modo, qui dicitur in sequenti *Annot. vigesima.*

sumenda nonnulla Exercitia; exponendum primo erit, quem in finem homo creatus sit: deinde per horam dimidiam Examen particulare, deinceps generale cum modo rite confitendi, sumendique sacri Sacramenti, tradi ei possunt; praescribendo etiam, ut mane, per triduum, spatio unius horae meditationem agat de primo, secundo, ac tertio Peccato, ut docetur infra. Postea per alios tres dies eadem hora de Processu peccatorum. Per alios totidem de Poenis, quae peccatis respondent.

Dictandae quoque illi erunt intra totum dictarum trium meditationum tempus, decem Additiones illae, quae habentur in fine primae hebdomadae.

Observabitur eadem meditandi ratio circa mysteria Domini nostri Jesu Christi, quae infra in ipsismet Exercitiis late explicatur.

ca] polleat, [dari Exercitia possunt] si sumat unam horam cum dimidia [quotidie] ad se exercendum (30), *explicando ei [primum] ad quid creatus est homo; tradi item potest per horae dimidium Examen particulare, ac postea generale, et modus confitendi ac sumendi [sanctissimum] Sacramentum ; faciat [que] per tres dies quolibet mane spatio unius horae meditationem de primo secundo et tertio Peccato, [infra in prima hebdomada]; deinde per alios tres dies eadem hora meditationem de Processu peccatorum, [infra ibidem]; postea per alios tres dies eadem hora, faciat de Poenis quae peccatis respondent, [infra ibidem]; tradendo illi in omnibus tribus meditationibus decem Additiones, [infra ibidem]; servando eumdem discursum [s. ordinem] circa mysteria Christi Domini nostri, qui infra ac fuse in ipsis Exercitiis declaratur.*

(50) *Ad se exercendum.* - Quod vulgata habet: *ad sumenda* NONNULLA *Exercitia,* non est accurate positum. Non enim *aliqua* solum, sed etiam *omnia,* modo hac in Annotat. exposito, fieri possunt, quod etiam ex sequentibus intelligi datur. - Hoc quidem modo Exercitia se fecisse scribit P. Antonius Possevinus, cum esset Societatis nostrae sub P. Everardo secretarius, quod munus cum ei nonnisi horam cum dimidio vacui a solitis occupationibus relinqueret temporis, dies 47, solis primae hebdomadae Exercitiis impendit, duce et instructore P. Jacobo Mirone, qui ab ipso B. Patre ea acceperat. « Quadraginta « septem dies, in meditationibus primae hebdomadae positi, horis sub- « secivis: quod tempus videri poterat longius, nisi commentatio cu- « iusque non tam puncti quam verbi Possevinum adegisset, ut quam « accuratissime omnia ponderaret, notaret et scripto, quae sibi P. Mironem interroganti exponebantur ». Ita ipse de se Possevinus Annal. *ms. dec.* 1. *lib.* 4. *c.* 6. Qui dein fructu incredibili animarum hisce armis spiritualibus usus est, etiam in itineribus, cum Legationes iussu s. Pontificis obiret.

Vigesima est, quod ei, qui a negotiis liberior est, et fructum consequi spiritualem optat, quam possit maximum, tradenda sunt omnia Exercitia eodem, quo procedunt, ordine: (et quidem scribi rerum capita, ne excidant e memoria expedit) in quibus (secundum successum communiorem) tanto maiorem faciet progressum spiritualis vitae, quanto magis ab amicis notisque omnibus, et ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit; ut si ab aedibus pristinis migret in domum cellamve aliquam secretiorem, unde ipsi liberum securumque sit egredi ad Matutinum, sacrum Missae, vel ad Vesperarum officium cum libuerit audiendum, absque familiaris cuiusquam interpellatione. Ex qua quidem loci secessione inter alias multas commoditates hae tres praecipue consurgunt. Prima, quod exclusis amicis et familiaribus, negotiisque minus recte ordinatis ad Dei cultum, gratiam apud Deum non mediocrem meretur. Secunda, quod per huiusmodi secessum intellectu minus quam antea distracto in diversas partes,

Vigesima, ei, qui magis expeditus est [*liber a negotiis*], *et qui desiderat, quantum possibile est proficere, tradantur omnia Exercitia spiritualia eodem ordine, quo procedunt, quibus, via ordinaria* (31), *eo plus proficiet, quo magis segregaverit se ab omnibus amicis ac notis, ab omni sollicitudine terrena, verbi gratia, migrando e domo in qua habitabat, et eligendo aliam domum, vel* [*aliud*] *cubiculum, ut ibi degat* quam secretissime possit; *ita ut in eius potestate sit ire quotidie* ad Missam, et ad Vesperas (32), absque timore *ne noti sui eum impediant. Ex qua secessione sequuntur tres praecipuae utilitates, inter alias multas. Prima est, quod segregando se quis a multis amicis ac notis, itemque a multis negotiis non bene ordinatis,* ut serviat Deo Domino nostro eumque laudet (33), *non parum meretur coram sua divina Majestate. Secunda,* [*quod*] *ita segregatus* non *habens intellectum divisum circa multa, sed ponens omnem curam* [*sollicitudinem, conatum*] *in una re sola, scilicet, in serviendo Creatori suo, et in* profectu

(31) *Via ordinaria.* - Ita habet etiam antiqua versio *ms.* et est ac si dicas: *plerumque, communiter.* Textus hisp. habet: *por via ordenata,* quod proprie est: *via ordinata,* seu *ordine servato,* et posset intelligi: *pro ratione personarum et circumstantiarum habita discretione debita.*

(32) *Ad Missam et ad Vesperas.* - In vulgata versione mendose irrepsit *Matutinum;* in autographo certe non habetur.

(33) *Ut serviat Deo Domino nostro, eumque laudet.* Intelligenda haec verba ita, ut finem exprimant, ob quem quis ab amicis et a negotiis secedat, non vero referenda ad negotia non bene ordinata, quemadmodum vulgata versio habet. - In antiqua versione *ms.* sic legitur: *ita se separando a multis amicis et negotiis non bene ordinatis, ut melius quis Deo serviat, non parum meretur.*

sed collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo, et saluti animae suae consulendum, multo liberius ac expeditius utitur naturae viribus in quaerendo eo, quod desiderat tantopere. Tertia, quod quanto se magis reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem seipsam reddit ad quarendum, attingendumque Creatorem et Dominum suum: ad quem insuper, quo proprius accedit, eo melius ad suscipienda Bonitatis divinae dona disponitur.

animae propriae, liberius utitur naturalibus suis potentiis, ad quaerendum diligenter *id quod tantopere desiderat. Tertia,* [*quod*] *quanto magis anima* nostra *reperit se solam et segregatam,* [*tanto*] *se reddit aptiorem ad* appropinquandum *Creatori ac Domino suo, eumque attingendum; et quanto magis ita eum attingit,* [*eo*] *magis se disponit ad suscipiendas gratias ac dona a sua divina ac summa Bonitate.*

EXERCITIA	*EXERCITIA*
quaedam spiritualia, per quae homo dirigitur ut vincere seipsum possit, et vitae suae rationem, determinatione a noxiis affectibus libera, instituere.	*spiritualia, ut* [*homo*] vincat *se ipsum, et ordinet vitam suam, quin se determinet* (1) [*non determinando se*] *ob* ullam *affectionem, quae* inordinata *sit.*
In primis ut per huiusmodi Exercitia, tam qui ea tradit, quam qui accipit, iuvari queat, supponendum est Christianum unumquemque pium debere promptiore animo sententiam seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quam damnare. Si vero nulla eam ratione tutari pos-	(2) *Ut tam is, qui tradit Exercitia spiritualia, quam qui accipit, magis* se se iuvent ac proficiant, *praesupponendum est, quemvis bonum Christianum promptiorem esse debere ad salvandam propositionem proximi, quam ad eam condemnandam; et si non potest eam salvare, inquirat* [*ex ip-*

(1) *Quin se determinet.* - Notatu digna est hoc loco S. P. sapientia ac discretio singularis. Scriptum erat primum in autographo: *ordenar su vida* SIN AFFECCION ALGUNA *que desordenata sea;* id est: *ordinet vitam suam* ABSQUE AFFECTIONE ULLA *quae inordinata sit.* At visa dein fuit S. P. haec expressio non satis discreta, vel certe eiusmodi, ut indiscrete intelligi ab aliquo aut explicari posset. Et vero, quam difficile est inveniri aliquem ita plane constitutum, ut sit *absque ulla affectione inordinata!* Correxit itaque S. P., suaque manu in margine adscripsit: SIN DETERMINARSE *por alguna affeccione* etc., id quod omnis inordinatae affectionis absentiam restringit ad tempus et ad actum ipsius determinationis: ut scilicet, qui se in ordinanda vita sua ad aliquid determinat, id faciat, semota et exclusa omni affectione inordinata, neque ulla huiusmodi affectio eum ad ita determinandum inducat. Quod certe, ut in praxi necessarium est, ita nec indiscretum est illud exigere.

(2) Hoc monitum, seu proemium, quod non magis ad Exercitia pertinere videtur, quam ad communem legem charitatis, ideo praemitti a S. P. existimo, quod primis annis expertus esset minus aequa multorum iudicia, apud quos, ut erant illa tempora ob serpentes haereses suspiciosa, Exercitiorum occasione notam novatoris incurrerat. Ceterum est sane charitati et discretioni consentaneum hoc monitum, eiusque usus non raro necessarius, ne praeceps de quoquam feratur iudicium. Monemur ergo, ne obscuram vel dubiam alicuius propositionem continuo in peiorem, sed contra potius in meliorem partem interpretemur; quod si fieri nequeat, exploremus, an forte ille recte sentiens male sensum suum expresserit, quo in casu non animus quidem, sed lingua corrigenda et emendanda esset; quod si etiam animo errasse deprehendatur, tum quidem nihil relinquatur intentatum ex convenientibus et praescriptis ab Ecclesia mediis, ut ab errore ille revocetur.

sit, exquirat dicentis mentem, et si minus recte sentiat, vel intelligat, corripiat benigne: hoc nisi sufficit, vias omnes opportunas tentet, quibus illum sanum intellectu, ac securum reddat ab errore.

so] *quomodo eam intelligat, et si quidem male illam intelligit, corrigat illum cum amore; et si* [*id*] *non sufficit, quaerat omnia media convenientia, ut* [*ille*] *bene eam intelligens* se salvet (3).

(3) *Se salvet.* Cum in hoc monito verbum *salvare* iam bis ita positum sit, ut referatur ad *propositionem* proximi, nil impedit, quominus etiam hoc ultimo loco ita intelligatur, ut sensus sit: *eadem proposito rite intellecta salvetur,* i. e. salva sit, immunis sit ab errore. Et hic sensus magis convenit cum hisp. autographo, et sic habet antiqua versio *ms. proximus sane illam propositionem intelligens salvet eam.*

PRINCIPIUM SIVE FUNDAMENTUM

Creatus est homo ad hunc finem ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua vero supra ter-

PRINCIPIUM, (1) ET *FUNDAMENTUM*

Homo creatus, est, (2) ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per haec [*haec agendo*] salvet animam suam:

(1) *Principium* ET *Fundamentum.* Coniunctio *et autographo, non sive,* innuit voces has: *Principium, Fundamentum,* ex mente S. Auctoris non esse synonymas. Ergo *Principium* potissimum in theoria, ex quo cetera fusius in Exercitiis tractanda deducuntur, quodque omnem reliquam Exercitiorum materiam intime penetrat, et ad quod omnia reducuntur; *Principium,* quod sana ratione utentibus, nedum fidelibus, probandum non est, sed ex ratione ac fide praesupponitur; iis vero, qui fide debiles vel ignorantes valde sint, probabitur potissimum, ut solent probari principia, ex absurdis, quae ex negato hoc principio, vel admisso quocumque alio de hominis fine, sequerentur; item, *Principium,* disquirendum diligenter, studiose meditandum, evolvendum accurate, diu multumque ponderandum, et alte animo imbibendum. - *Fundamentum,* in praxi, in quo tota Exercitiorum spiritualium moles, totumque vitae spiritualis aedificium innititur. Est enim haec doctrina de fine hominis prima veritas, super qua, ut fundamento, ceterae veritates deinceps proponendae, et virtutes, quae his veritatibus superstruunt, solidissime ac firmissime assurgunt. - *Principium et Fundamentum.* Sine hoc *Principio* qui vivit, vivit cupiditatum suarum ludibrium, vel certe veluti casu vivit, bonus, malus, pro rerum, temporum, locorum, personarum circumstantiis. Sine hoc *Fundamento* virtus ipsa non erit solida, erit vita etiam bona similis *domui aedificatae super arenam,* cuius *ruina magna* semper timenda. - Est autem haec doctrina *Principii* eiusmodi, ut non modo catholico homini, sed cuicumque, modo homo sit, etiam haeretico, schismatico, etc. conveniat. Quicumque vero serio illa consideret, non poterit non victas dare manus.

(2) *Homo creatus est etc.* Plura sese offerunt in hac litterali versione notatu sane dignissima, quorum unum alterumve expendere iuverit. 1. *Laudare, reverentiam exhibere, servire,* tria haec officia hominis erga Deum ordine exprimuntur ex autographo; cum in versione vulgata tertium illud, per participium *serviens,* ex pulchra illa officiorum serie veluti avulsum ac solitarium iaceat. Difficultas nata erat ex eo, quod in hispanico tria illa verba eumdem casum admittant; in latino, contra, verbum *servio* cum accusativo construi non possit. Nos ob hanc difficultatem coacti fuimus inserere testui pronomen *ei.* 2. *Salvet animam suam,* active, non *salvus fiat,* passive; scilicet iam ipsius hominis est, *salvare animam suam.* Nihil enim deesse ex parte Dei potest, quando ad hunc finem existentiam et vitam donavit Creator, qui profecto cum hunc ei finem constituerit, immo vero ipse in homine creando hunc *sibi* finem proposuerit, necessariis ad finem consequendum praesidiis carere hominem non sinit. - *Tandem* quod habetur in vulgata versione, abest in autographo sed eius loco: *per haec,* i. e. *haec agendo,* sive *his mediis;* hisp. *mediante esto* ad verbum diceretur italice: *mediante questo,* gall. *moyennant cela,* nempe *laudando, reverentiam exhibendo et serviendo.*

ram sita creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae prosequendum iuvent: unde sequitur utendum illis, vel abstinendum eatenus esse, quatenus ad prosecutionem finis vel conferunt, vel obsunt. Quapropter debemus absque differentia nos habere circa res creatas omnes (*) (prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non

et reliqua (3) super faciem terrae [*sita*], *creata sunt propter hominem*, et *ut eum iuvent in prosecutione finis, ob quem creatus est. Unde sequitur, homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum iuvent ad finem suum, et tantum* debere *eum* expedire (4) [*retrahere*] *se ab illis, qantum ipsum ad eum* [*finem*] *impediunt; quapropter* necesse est facere (5)

(*) *In Fundamento ubi dicitur:* Prout libertati arbitrii nostri subiectae sunt, et non prohibitae; *clarius ex autographo dicatur:* Prout libertati arbitrii nostri permissum est, et non prohibitum.

---

(3) *Et reliqua... propter hominem,* et *ut eum iuvent.* - Notanda ista coniunctio *et.* Duplex creaturarum finis exprimitur. *Propter hominem,* seu *hominis causa,* innuit finem *proximum* creaturarum, simulque Creatoris liberalitatem, cuius ea vox est ad Adam: *Ecce dedi vobis* (Gen. 1. 29.), itemque ad Noë: *tradidi vobis omnia* (Gen. 9. 3). *Et ut eum iuvent...* finem *ultimum* indicat, ad quem omnia tandem referuntur. - *Super faciem terrae,* ex autographo visum fuit retinendum, quod distinctius exprimat, de quonam potissimum creaturarum genere hìc sermo sit ex mente S. Patris. - *Tantum-quantum* - hisp. *tanto-quanto* - scilicet: *nec plus-nec minus.* - DEBERE *eum expedire se.* Severiori loquendi forma utitur S. P., ubi de *abstinendo* a noxiis loquitur, quam ubi de *utendo* opportunis: hisp. HA *de usar* - DEBE *quitarse* - ital. HA *da servirsi* - DEVE *disfarsi* - gall. IL A *à se servir* - IL DOIT *se défaire.*

(4) *Expedire* (retrahere) *se, magis proprie* ex autographo, quam *abstinere.* Et vero, unusquisque solet fere nimio affectu alicui saltem creaturae adhaerere, aut implicatus esse, cui propterea non sufficiat ab ea *abstinere,* sed necesse sit *retrahere,* seu *expedire se.* Isque primus est fructus in Exercitiis spectandus, ex Annot. 1. inter. 20.

(5) *Facere* (exhibere) *nos indifferentes.* - Ita ex autographo: *facere,* non: *habere. Habere nos indifferentes* perfectio est, ad quam tendere docemur. Dum vero dicitur, *facere nos indifferentes,* conatus innuitur, quo opus est ad illam indifferentiam consequendam. Ceterum, verbum hoc *facere* hisp. *hacer,* eodem sensu occurrit in contempl. de Nativitate punct. 1. ubi dicitur: (*haciendo me*) *faciendo me pauperculum,* itemque in prioribus Regulis ad spiritus discernendos regg. 12. 13. et 14. ubi dicitur: *inimicus* (*se hace*) *facit se* etc., et in omnibus his locis commode verti potest: *exhibere.* Hic itaque sensus est: *necesse est exhibere nos indifferentes,* id est, ita nos gerere erga res creatas omnes, vincendo nosmetipsos, perinde ac si inclinationem vel repugnantiam non sentiremus, sensum nostrum, sive placeant illae sive displiceant, abnegantes. Et hic est ille conatus, quo necesse est nos eniti ad illum perfectionis gradum sane excelsum, in quo creaturis utamur vel abstineamus *tantum quantum, nec plus nec minus,* quam ratio finis ultimi postulat.

prohibitae): ita, ut (quod in nobis est) non quaeramus sanitatem magis quam aegritudinem, neque divitias paupertati, honorem contemptui, vitam longam brevi praeferamus (*). Sed consentaneum est, ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere ac desiderare.

[*exhibere*] *nos indifferentes erga res creatas omnes, quantum permissum est libertati nostri liberi arbitrii, et non est ei prohibitum, adeo ut non* (6) velimus *ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et* consequenter (7) in ceteris omnibus, unice (8) desiderando et eligendo *ea, quae* magis *nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.*

(*) *Circa finem Fundamenti, ubi habetur:* Sed consentaneum est ex omnibus ea demum, quae ad finem ducunt, eligere ac desiderare; *dicatur:* Sed consentaneum est ex omnibus eo demum, quae ad finem, cuius gratia conditi sumus, nos ducunt, eligere ac desiderare.

---

(6) *Velimus,* ita ex autographo, non: *quaeramus.* Agitur enim potissimum de *affectu.* Et vero *quaerere* infirmitatem - itemque *quaerere* vitam brevem et alia huiusmodi, vix ac ne vix quidem dici recte potest; *velle* vero seu *cupere,* bene dicitur, et est plane ad rem.

(7) *Et consequenter in ceteris omnibus.* Ita ex autographo. Et sane multa sunt, ac propemodum infinita, quae ad quatuor illa rerum genera referri vix possunt, et circa quae nihilominus indifferentes nos exhibere necesse est. Vide infra in explanatione, quam subiicimus.

(8) *Unice desiderando et eligendo.* - Notandum ex autogr. *unice,* ut et subsequens *magis;* utrumque enim non modicam vim habet. - Deinde *desiderare* recte a S. P. ponitur prius quam *aligere.* Nam et ratione prius est *desiderare* quam *eligere,* ac denique longe maior est in *eligendo* difficultas quam in *desiderando.*

FUNDAMENTI EXPLANATIO

Quoniam summi momenti est intima huius Principii et Fundamenti intelligentia, aliqua hoc loco explanationis et applicationis instar apponere iuvat, ut quodammodo vena considerantibus necdum expertis indicetur. Poterit haec explanatio etiam exemplo esse, quo quisque discat quomodo verba S. P. in hoc libro singula fere ponderanda sint. Passim enim hic grandia sensa sub cortice paucorum verborum veluti abscondita continentur, quae diligenti consideratione excutienda sunt et in lucem producenda in usum nostrum.

In primis animadvertendum est, *Principium* hoc et *Fundamentum* esse *considerationem,* et dirigi potissimum ad illustrandum *intellectum;*

quamvis nil vetet, quominus, ut fieri solet, in formam *meditationis* redigatur, atque ita ad voluntatem movendam etiam dirigatur. Praecipua tamen cura esse debet, ut de hac veritate primaria et fundamentali *intellectus* plene convincatur. Atque hoc loco adnoto, vim Exercitiorum S. P. N. in eo vel maxime consistere, quod *intellectui* illuminando mirifice serviant. Huc enim ubique spectant, ut ante omnia veritatem, quae proponitur meditanda, clare, plene, intime Exercitans apprehendat, intelligat, deque ea plane convictus maneat. Quae veritas ubi mentem semel occupavit, eamque penetravit, affectus scilicet voluntatis serii ac solidi sequuntur. Utrumque vero donum, *intellectus* et *voluntatis*, petendum a Domino assidue monet S. P.

Ergo et hic monendus statim est, qui Exercitia aggreditur, ut postulet instantissime a Domino *lumen*, ad intime penetrandam primam hanc veritatem, et *gratiam*, qua voluntas conclusiones practicas ex illa sponte sua sese cuique serio meditanti offerentes amplectatur; itemque, ut *sibi*, sibi uni potissimum, veritatem hanc, eiusque consectaria serio ac sincere applicet. *Notum fac mihi, Domine, finem meum... ut sciam quid desit mihi* (Ps. 38.) - *Deus meus illumina tenebras meas* Ps. 17). Vere enim *in tenebris* versamur. Accedente vero Dei lumine, illud nobis accidit, quod homini in caeca nocte constituto, accedente die. Qui primo quidem crepusculo videre incipit grandiora quaeque obiecta, quin tamen adhuc, quaenam illa sint, satis discernat; - crescente luce, in primis illa grandiora, quae et qualia sint, distinguit; - deinde minora etiam; - tandem, radio solis per fenestram penetrante, in illo infinitos pulvisculos veluti atomos, quasdam deprehendit. Ita nos illuminari solemus, Divino accedente lumine, ut videamus, *quid desit nobis*. Nec tamen illuminari *intellectum* satis est, nisi etiam *voluntas* torpescens exstimuletur et infirma roboretur. Hinc orationis pro utraque gratia necessitas.

1. FINIS HOMINIS

HOMO CREATUS (ad hoc, ad hunc finem), UT LAUDET DEUM DOMINUM NOSTRUM, EI REVERENTIAM EXHIBEAT, EIQUE SERVIAT, ET PER HAEC (haec agendo) SALVET ANIMAM SUAM.

HOMO, - inter omnes creaturas visibiles solus ipse rationalis, intellectu praeditus ad cognoscendum, et libero arbitrio ad eligendum quod voluerit - nobilissimus inter omnes res creatas visibiles - *Homo* quivis, - omnes, *quorum* unus *ego sum*.

CREATUS EST, - *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* - Homo, ego, opus eximium omnipotentiae Dei, cuius infinita sapientia nihil facere, nihil creare potest, quin sibi finem se dignum proponat, quique non potest non velle et exigere, ut huiusmodi creatura sua rationalis et libera fini sibi praestituto satisfaciat. Nec potest Deus Creator meus indifferentem se habere, ut scilicet nihil curet, faciamne fini huic satis nec ne. Id enim sapientiae Eius infinitae ceterisque attributis omnino repugnat.

UT LAUDET DEUM DOMINUM NOSTRUM, EI REVERENTIAM EXHIBEAT, EIQUE SERVIAT. - Creator est *Deus*, qui solus *est qui est*, et a quo omnia, sine quo nihil; ac proin *Dominus*, summo et ineluctabili, et numquam recusando, numquam amittendo dominio - *noster* - Deus ac *Dominus universorum*. - Erga hunc *Deum* ac *Dominum* tria hominis officia.

1. *Laudare*. Et vero quis non laudet, cuius summe admirandas perfectiones quaecumque circa nos et in nobis sunt annuntiant? *Caeli enarrant gloriam Dei etc. - Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? - Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum*

in universa terra - Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

2. *Reverentiam exhibere* - cultu interno et externo, - ac reverendo ubique praesentem. *Quis non timebit te, o Rex gentium?*

3. *Servire* - ex Eius voluntate pendere, idque in omnibus, - ubique et omni tempore, - et eo semper modo agere omnia, quo Dominus velit. Hoc enim est *servire Deo.* Qui enim *servit* alicui, non suam facit, sed eius cui servit voluntatem. Hoc officium complectitur: 1. Observantiam mandatorum Dei, et hoc quidem commune est omnibus; 2. fidelitatem in explendis obligationibus status cuiusque propriis; 3. in iis qui statum vitae nondum habent, et quibus electio libera relinquitur, seriam de hoc deliberationem; 4. denique totius vitae, cogitationum, verborum, actionum, rectam ordinationem, non pro lubito, sed secundum voluntatem Dei, manifestatam nobis seu per auctoritatem legitimam, seu per lumina et inspirationes divinas etc. - *Servire Deo* est etiam obsequia Deo praestare, quibus licet ipse minime indigeat, tamen est dignissimus ipse cui, quidquid ei gratum esse et acceptum novimus, exhibeamus, et vero haec ille obsequia pro sua benignitate admittere et liberalissime remunerari dignatur. Quo quidem obsequiorum genere ii maxime *Deo servire* censentur, qui suam operam et industriam in eo ponunt, ut ab aliis etiam quam plurimis laus Deo et reverentia et obsequium praestetur.

Circa tria haec nostra erga Deum Creatorem officia, observa: primum, quod est, *laudare,* esse facillimum; neque adeo secundum, quod est *revereri,* esse difficile; verum in tertio officio, quod est *servire,* difficultatem potissimum reperiri, idque ex natura scilicet nostra per peccatum vitiata. Licet enim *servire Deo* sit per se honorificentissimum et etiam iucundissimum, cum *voluntas Dei* non possit non esse bona et optima, et ipsi etiam creaturae suae desiderabilissima, fit tamen ex naturae nostrae corruptione, ut nec *intellectus* quid velit Dominus clare cognoscat, et *voluntas* rebellis cognitam etiam Dei voluntatem implere detrectet; quia scilicet sui iuris esse vult homo, et, quo modo apud Prophetam regium dicere amat: *labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* eodem et in actione, et in omni propriarum facultatum rerumque omnium usu male sanam affectat libertatem sive independentiam. Hinc praecipue omnis mali labes. Ceterum in serviendo Deo, in facienda Dei voluntate ipsius hominis beatitudo sita est. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* - Instanter ergo orandum: *Domine, quid me vis facere?* Ut *sciam. Doce me facere voluntatem tuam,* ut opere *expleam.*

Prae ceteris ergo hoc officium *serviendi Deo,* ponderandum est. Nam, praeterquam quod in hoc praesertim difficultas habetur in nobis, officium hoc praestari semper Deo debet, nec umquam intermitti. Nam neque *actu* LAUDARE Deum semper possumus, nec eum REVERERI *actu* semper; nec enim fert hanc contentionem mortalis nostra conditio. SERVIRE autem Deo, idest voluntatem eius facere, et possumus et debemus semper, neque ab hoc officio vacua abire pars ulla vitae nostrae potest, etiam dormientium, etiam morientium.

Ponderato bene triplici hoc erga Deum Creatorem officio, considera nihil esse posse *aequius, nihil* creaturae rationali *honorificentius;* et quantumvis difficile videri aliquando possit, esse tamen eiusmodi finem nobis propositum, qui, per Dei benignitatem, totus *in nostra* sit *potestate;* et a quo persequendo et consequendo *nihil* extra nos *impedire* nos aut prohibere possit, vel si totus infernus totusque mundus ad impediendum nos ab hoc officio praestando conspiraret. Qua in re summa Creatoris bonitas elucet, qui talem nobis finem prae-

stituerit, cui satisfacere a nobis ipsis pendeat. Hic pacis ac tranquillitatis animi in omnibus vitae casibus plena securitas, cum horum nihil nos prohibere possit, quominus Deum laudemus, eum revereamur, ei serviamus, modo ne nobis deesse ipsi velimus. *Amicus Dei esse si voluero, esse nunc fio.* (S. Aug. Conf.).

Est *facile* etiam hoc nomine, quod Deus non successum, ut homines solent, sed voluntatem solam requirat et aestimet, quae per eius donum tota nostra est. *Nihil enim tam facile bonae voluntati est, quam ipsa sibi, et haec sufficit Deo.* (S. Aug. serm. 9. de Verb. Domini).

Denique difficultatis quidquid inesse possit, superari facile, immo etiam plane evanescere necesse est, si ad considerandam *utilitatem* summam et *necessitatem* finis nostri animum applicemus. Sequitur enim: ET PER HAEC (haec agendo) SALVET ANIMAM SUAM.

PER HAEC, haec agendo, - ea, quae dicta sunt, exsequendo.

SALVET ANIMAM SUAM. Quid est, et quanti *salvare animam?* Quid est, quod cum tanto bono venire in comparationem possit? Quid videri potest difficile nimis? Quid vero etiam non facile, nihil, ut tantum consequamur bonum, cuius iacturam ex opposito summum malum excipit? Etenim nisi *salvem manimam meam,* illam indubitato *perdam: perdere* vero *animam* est *aeternum damnari!* Nihil est medium, nihil ubi consistere possim, ut neque salvem animam meam, neque damner. Summa ergo *utilitas, necessitas* summa. Porro finis hic ultimus, beatitudo summa, boni summi consecutio et summi mali evitatio, praecedentia illa consequitur. *Salus animae* ab hoc pendet; si nempe in hac vita officia praedicta erga Deum exsequar, eum *laudando* et *reverentiam exhibendo,* ei, quod caput est, *serviendo, haec,* inquam, *agendo,* salvabo animam meam.

Haec est infinita illius Dei Creatoris bonitas ac liberalitas, ut cum sua laude, reverentia, famulatu, meam summam utilitatem, ac plane interminabilem et infinitam felicitatem, intimo ac necessario quodam nexu coniunctam esse voluerit.

Servire Deo, prius est; *salvare animam,* posterius. Hoc posterius *finis* est *ultimus,* in altera demum vita consequendus; prius illud *finis* est *proximus,* ac praesentis temporis - Frustra ergo sunt, qui de salute animae semper solliciti, semper anxii, de hac sola loqui amant, si de *serviendo Deo* parum aut nihil solliciti sunt. *Haec agendo - salvet animam suam.* - Serviamus Deo corde sincero, et salutem de Domini bonitate consecuturos nos non speremus modo, sed etiam confidamus.

Iure merito hic applicari solet illud: *Porro unum est necessarum.* Nam non modo omne bonum nostrum in hoc vertitur, *hoc est enim omnis homo;* non modo hoc solum ad unumquemque spectat, et cuique est personale, cui ipse solus, nemo sine ipso, providere potest; sed etiam quaecumque actio fiat, si quaeritur: *num ad hoc vivis?* nulla dari potest adaequata responsio, nisi perveniatur ad illud quod in hoc *Principio* et *Fundamento* exponitur. Nisi enim ad hunc verum et unicum finem, quidquid a nobis fiat referatur, vel absurda dicentur, vel manebit semper quod ultra quaeratur. Nam et in actionibus natura sua vel necessariis vel utilibus, vel honestissimis etiam et sanctissimis si quaeratur: *num ad hoc vivis?* v. g. ut litteris des operam? ut scribas? ut ores? etc. poterit quidem fortasse dici: ETIAM *ad hoc,* sed nequaquam AD HOC absolute; alioqui talis actio deberet esse totius vitae nec umquam interrumpi, quod fieri in nulla potest. At *servire Deo,* officium est omnis temporis, ac plene respondet ultimae quaestioni: *num ad hoc vivis?* immo vel in moriente valet: *Sive* enim *vivimus, sive mo-*

rimur, Domini sumus. Illi servire, seu vivendo seu moriendo, necesse est. *Hoc ergo unum necessarium.*

Principii huius *applicatio practica* varia erit pro personarum varietate. - *Quid hoc ad servitium Dei? Quid hoc ad vitam aeternam?* Varia pro varietate circumstantiarum, vicissitudinum, desideriorum etiam, quibus probabiliter implicantur, qui Exercitiis dant operam - Praelati - Sacerdotes - Ecclesiastici - Religiosi - Saeculares - Nobiles - Mercatores - Artifices - Milites - Juvenes - Senes etc. - *Servire Deo* quisque necessario debet in primis (quod commune omnibus) ut *homo,* ut *Christianus;* - tum praeterea, hic ut *Sacerdos,* - ille ut *Religiosus,* - ut constitutus in tali *gradu,* - *officio* tali etc. - Sane amplissimus hic aperitur campus considerationi maxime practicae. *Notum fac mihi, Domine,* FINEM MEUM .... UT SCIAM QUID DESIT MIHI.

MIHI.

2. FINIS CREATURARUM.

ET RELIQUA SUPER FACIEM TERRAE (sita) CREATA SUNT PROPTER HOMINEM, ET UT EUM IUVENT IN PROSECUTIONE FINIS, OB QUEM CREATUS EST.

RELIQUA SUPER FACIEM TERRAE - intelliguntur a S. Patre, ut ex consequentibus patet, non modo *creaturae* Dei proprie sic dictae, ut animalia, fruges, plantae, et cetera quae sunt super terram, sed omnia omnino, quae extra Deum sunt; inter quae etiam rerum humanarum, totiusque adeo huius universi orbis vicissitudines censentur, omnia plane tum quae bona dicuntur, tum quae mala. Atque haec quidem *mala,* licet a Creatore in originario hominis statu non fuerint intenta, tamen post hominis lapsum, in hoc novo ordine providentiae, merito etiam *creata* dicuntur, eo sensu, quatenus scilicet quaecumque Deus creavit *bona,* creata tamen sunt omnia non sine imperfectionibus ac defectibus, quorum quidem defectuum seu imperfectionum effectus Deus Creator vel intendit vel permittit. Quo sensu in Scripturis dicitur: *Ego Dominus.... creans tenebras... creans malum* (Is. 45); et ea quae toties de calamitatibus etiam publicis, deque ipsis adeo sceleribus hominum leguntur: *Adducam super eos etc. A Domino exiit verbum hoc;* et alia huiusmodi.

CREATA SUNT PROPTER HOMINEM.

1. PROPTER HOMINEM. - Homo in aspectabilis huius mundi creatione finis est Creatoris. Itaque in primis illa omnia creavit, domicilium paravit et affatim omni, ut ita dicam, suppellectili instruxit et adornavit; tum hominem creavit, qui his omnibus praeesset eisque uteretur.

2. PROPTER HOMINEM. - Ut homo propter Deum, ita ista propter hominem. Sine homine, sine creatura rationali et corporea qualis est homo, omnis haec rerum spectabilium universitas, omnia ista insensata et irrationabilia, fine, qui sapientia Dei dignus sit, carerent.

3. PROPTER HOMINEM. - Ergo ista propter hominem, non homo propter illa. Homo itaque eorum dominus, non servus; illis esse superior debet, non eorum subesse servituti. Utinam, ut natura, ita affectu essemus semper creaturis omnibus superiores!

4. PROPTER HOMINEM. - ut homini serviant, eius scilicet *necessitati* - *utilitati* - *oblectationi* etiam - et vero, ut *occupationem* praebeant, qua homo pro sua natura, qua animal rationale creatus est, omnino in-

diget. Nam et in statu naturae integrae Adam a providissimo Creatore positus erat *in Paradiso voluptatis*, UT OPERARETUR *et custodiret illum.* Admiranda Creatoris in hominem tum liberalitas, tum providentia! - Quod si in praesenti rerum ordine, post hominis lapsum, multa sunt quae poenam homini inferant, etiam haec ipsa merito creata dicuntur *propter hominem,* ut eum scilicet et a peccato *purgent,* et *virtutis* exercendae *occasionem* praebeant: quae duo homini lapso non utilia modo, sed maxime necessaria sunt. Praesertim, cum ultimus creaturarum finis sit, qui sequitur.

ET UT EUM IUVENT IN PROSECUTIONE FINIS, OB QUEM CREATUS EST.

Iuvent scilicet, 1. *ad serviendum Deo in hac vita,* qui *proximus* est hominis finis, 2. *ad salvandam animam suam,* qui finis est hominis *ultimus.*

Porro huic *fini,* quem tum sibi, tum homini, Creator in harum rerum omnium creatione proposuit, respondere homo, in usu creaturarum, tribus modis potest, ac debet.

1. *Contemplatione,* ascendendo ex consideratione creaturarum ad cognitionem Creatoris; *invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur;* ad cognitionem, inquam, illius increatae sapientiae, potentiae, bonitatis, pulchritudinis etc.

2. *Usu,* illis pro necessitate, utilitate, honesta etiam oblectatione, et pro facultatum suarum, seu corporis, seu animi exercitatione recte utendo. Item, si molestae, tolerando patienter.

3. *Abstinentia,* ab earum usu, si delectabiles, temperantiae et mortificationis virtute abstinendo.

Ex his tribus modis, primus absque dubio est *nobilissimus;* secundus *communis;* tertius, cuius applicatio in statu naturae integrae, ex Creatoris praecepto, erat minima atque facillima, in praesenti statu naturae corruptae, maxime *necessarius est,* eiusque frequens esse debet usus ac vix non assiduus; adeo ut, nisi *tertium hunc* (abstinentiae) modum in creaturarum usu excerceamus, numquam simus futuri fideles ac moderati in *secundo,* ad *primum* vero exercendum futuri simus prorsus inepti. Nisi enim homo in usu creaturarum sibi imperet, propriaeque voluntati et inclinationi naturae multa neget, certo certius in illarum usu modum excedet, neque ex illarum consideratione ad Creatorem ascendere poterit, sed iis ipsis haerebit affixus et infixus. *Si dederis animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* (Eccli. 18).

Denique ad primum, quem diximus, modum *contemplationis,* illud pertinet, ut ex omnibus, quae videmus, seu bona sint, seu mala, ad bona et mala invisibilia consideranda mente assurgamus, visibilia aspiciamus ut imagines invisibilium, praesentia ut imagines futurorum. Quo etiam sensu Propheta dixit: *verumtamen* IN IMAGINE *pertransit homo.* Et Apostolus: *praeterit* FIGURA *huius mundi.*

His itaque rationibus reliqua super terram sita, instrumenta sunt homini, quae ipsi inserviunt, eumque iuvant ad finem, quem ipsi Deus proposuit consequendum - Quam ampla hic considerationis materia, cum applicatione ad propriam Exercitantis necessitatem!

3. CREATURUM RECTUS USUS.

UNDE SEQUITUR, HOMINI TANTUM UTENDUM ILLIS ESSE, QUANTUM IPSUM IUVANT AD FINEM SUUM, ET TANTUM DEBERE EUM EXPEDIRE (retrahere) SE AB ILLIS, QUANTUM IPSUM AD EUM (finem) IMPEDIUNT.

Haec est consecutio, quae ex praemisso Principio de fine creaturarum sponte sua fluit. Etenim, si res creatae omnes reliquae sunt propter hominem, ut eum ad suum finem iuvent, profecto, ut illis vel utamur vel abstineamus, illud praecipue in illis spectandum est, an iuvent revera, necne. Proinde, si quae vere iuvent ad finem, admittendae, et in *tantum* admittendae, in *quantum* iuvant, NEC PLUS, NEC MINUS. Contra, si quae ad finem impediant, vitandae, reiiciendae, et in *tantum* vitandae, in *quantum impediunt,* NEC PLUS, NEC MINUS. Haec enim est ratio eorum, quae *media* sunt, quae *instrumenta* sunt, ut illud praecipue, imo vero illud unice in illis spectetur, an et quantum *media* sint, *instrumenta* sint, apta et idonea ad finem, ad opus. Si apta, si idonea non sint, iam *media* non sunt, *instrumenta* non sunt; multoque minus, si ad finem, si ad opus, quod exsequendum est, impediant.

Hoc verae sapientiae principium est, cuius applicatione practica vita vere ac proprie ordinatur secundum rectam rationem; ut scilicet *finis* prae oculis habeatur semper ut *finis*, *media* ut *media,* nec nisi ut *media. Fine* semel rite intellecto ac praestituto, *media* ad *finem* propter solum finem appetenda et adhibenda.

Porro huius Principii practici applicatio propemodum est infinita. Et vix fieri potest, ut serio quis Principium hoc ad vitae suae rationem applicare incipiat, quin mox inordinationem multiplicem in omni vita sua deprehendat. Quia enim homo verum hunc finem creaturarum omnium e mente ac memoria elabi sibi plerumque sinit, et solum ferme quid *placeat,* quid *displiceat,* cogitare et considerare ante omnia consuevit, hinc inordinatio, hinc imperfectio omnis, hinc peccata. Sane, *placeant* illae sensui, vel *displiceant,* haec ratio illis utendi vel non utendi profecto est *nulla.* Nam et quae *placeant,* possunt impedire, et persaepe iuvant, et plerumque iuvant maxime, nec raro iuvant unice. At nos plerumque adversa sensui fugimus, horremus, minus iis utimur; sensui iucunda appetimus, quaerimus, admittimus, iis utimur aut etiam fruimur, nec modum servantes nec ordinem. Hinc omnis mali labes!

Est autem etiam haec applicatio facienda pro ratione personarum. Nam aeque ad homines mundanos pertinet, ut peccatorum caeno immersi aliquando se respiciant, et ad vitae spiritualis ac perfectae sectatores, ut perfectionis impedimenta tollant.

Quod vero dicitur: TANTUM - QUANTUM - NEC PLUS - NEC MINUS - eiusmodi est, ut perfectionem altissimam comprehendat. Quam cum videamus prorsus *homine,* qui ratione utatur, dignam, quamque vel sola ratio ab homine requirat, (ab *homine,* inquam, quid vero a *Christiano,* a *Religioso?*) qui erit, qui iam hinc videre non incipiat, quam multum sibi *desit? Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi.*

4. CONCLUSIO PRACTICA ET MEDIUM.

QUAPROPTER NECESSE EST FACERE NOS INDIFFERENTES ERGA RES CREATAS OMNES, QUANTUM PERMISSUM EST LIBERTATI NOSTRI LIBERI ARBITRII, ET NON EST EI PROHIBITUM, ADEO UT NON VELIMUS EX PARTE NOSTRA MAGIS SANITATEM QUAM INFIRMITATEM, DIVITIAS QUAM PAUPERTATEM, HONOREM QUAM IGNOMINIAM, VITAM LONGAM QUAM BREVEM, ET CONSEQUENTER IN CETERIS OMNIBUS, UNICE DESIDERANDO ET ELIGENDO EA, QUAE MAGIS NOBIS CONDUCANT AD FINEM, OB QUEM CREATI SUMUS.

QUAPROPTER, et ut hoc consequamur, ut tam ordinate agamus in usu creaturum, NECESSE EST FACERE (exhibere) NOS INDIFFERENTES ERGA RES CREATAS OMNES. - Haec est conclusio practica ex praecedentibus legitime deducta, qua simul *medium* PROPONITUR, quo ad illam perfectionem, quae supra dicta est, eniti debemus; scilicet docemur animi dispositionem, sine qua numquam poterimus regulam illam servare, utendi videlicet *creaturis vel non utendi,* TANTUM, QUANTUM vel iuvant, vel impediunt; NEC PLUS, NEC MINUS. Ad hoc NECESSE EST, NB. *necesse est,* medium omnino *necessarium, facere* (exhibere) *nos indifferentes erga res creatas omnes.* Res omnes creatae per se *indifferentes* sunt; possunt enim omnes aeque obesse ac prodesse ad finem. Hanc veritatem vel ipsa philosophia lumine naturali cognovit, cum omnia ista, nec *bona* nec *mala* proprie dicenda esse docuit, sed *ἀδιάφορα, indifferentia.* Nobis vero fide illustratis haec eadem veritas ita perspecta est, ut, si cuicumque Deus ipse optionem daret, ut eligeret quod vellet, praemissa ista quaestione: *Quodnam ex his tibi melius, tibi opportunius ad finem aeternae salutis tuae futurum est?* nemo sit qui non intelligat, ab eo, qui modo rationis compos sit, aliud responderi non posse, nisi :*nescio, Domine, tu scis.* Quod cum ita sit, nihil profecto esse potest aequius, nihil opportunius nobis ad salutem, nihil verae sapientiae magis conforme, quam ut plane *indifferentes* nos exhibeamus erga res creatas omnes.

QUANTUM PERMISSUM EST LIBERTATI NOSTRI LIBERI ARBITRII, ET NON EST EI PROHIBITUM — Haec clausula merito apponitur; quia, licet omnia *per se* indifferentia sint, *relate* tamen *ad nos* et in particulari sumpta, multa sunt quae cavere ac pro viribus repellere, multa item, quae curare vel conservare lege divina, officii ratione, iustitia, charitate iubemur; quae proin relate ad nos vere vel *bona sunt,* vel *mala,* in quibus propterea indifferentes nos esse libertati arbitrii nostri permissum non est. Ubi enim voluntas Dei, vel prohibentis aliquid admittere, vel iubentis, intervenit, illud nos omnino velle aut nolle necesse est, quod velit vel nolit Deus. -Hoc eodem sensu infra interponuntur illa verba: *ex parte nostra,* id est, quantum in nobis est, quantum a nobis, a nostra voluntate pendet.

ADEO UT NON VELIMUS EX PARTE NOSTRA MAGIS SANITATEM QUAM INFIRMITATEM, DIVITIAS QUAM PAUPERTATEM, HONOREM QUAM IGNOMINIAM, VITAM LONGAM QUAM BREVEM. - Ad particularia descendit S. P., et quatuor rerum genera, quae paucis plurima comprehendunt, enumerat, ad quam hanc de indifferentia doctrinam applicare debemus.

NON VELIMUS. Intelligitur animi dispositio, voluntatis determinatio ex parte nostra. *Non quaeramus,* recte quidem diceretur de *paupertate,* ac de *divitiis;* itemque de *honore* et *ignominia:* haec enim plane indifferentia sunt. De *sanitate* autem ac de *infirmitate,* de *vita* item *longa* vel *brevi,* cum haec alterius sint ordinis, et sanitatis ac vitae conservatio arbitrio nostro relicta non sit, sed sub praeceptum cadat, QUAERERE *infirmitatem,* QUAERERE *vitam brevem* utique non licet, VELLE tamen ex parte nostra *sanitatem* magis quam *infirmitatem, vitam longam* quam *brevem* merito prohibemur; semper enim necessaria est animi dispositio ex parte nostra indifferens ad haec ut ad alia quaevis, quae in nostra potestate sita non sunt, sed a Dei providentia, omnia omnino gubernantis, pendent, qui solus novit quid cuique ad ultimum *finem* consequendum opportunius sit, quid unumquemque *adiuturum.* Sane, *divitiae* et *honores* paucis quibusdam multorum meritorum occasionem praebuerunt, plurimis contra ruinam pepererunt ac damnationem; alii per *paupertatem* et *ignominiam* salvi facti sunt; *infirmitas* item saluti plurimis fuit, et *praematura mors* non paucos

in aeternam vitam asseruit; dum aliis *sanitas* ac *vita longa,* et gloriae Dei amplificandae, et meritis quam plurimis sibi in beatam aeternitatem colligendis mirifice inservivit. Nobis autem quid ex his omnibus maxime profuturum nobis ad finem nostrum sit, ignorantibus, aliud nihil restat, si sapimus, nisi ut nec unum *velimus* magis nec alterum, sed Deo fidenter nos plena animi, voluntatis, inquam, *indifferentia* committamus. Illud vero pro indubitato teneamus, si Deo dante adversa tolerare contingat, in illis maxime futuram nobis occasionem exhibendi Deo Domino triplex illud officium *laudis, reverentiae* et *famulatus,* modo praeclarissimo et heroico, ac proin etiam *salutem* nostram in tuto collocandi.

ET CONSEQUENTER IN CETERIS OMNIBUS. - His verbis necessitas ista *exhibendi nos indifferentes* extenditur ad alia omnia, quae forte ad quatuor illa genera reduci non possunt, et sane sunt quamplurima. - Profecto indifferentiae huius exercendae materia sunt etiam *talenta* ac dotes naturales, plures, pauciores - *dona* quin etiam *supernaturalia* - *consolationes* ac *desolationes* - item *vitae conditio* ac *status* - *locus habitationis* - *officium* - *officii occupationes* ac *modi* - *socii* etiam quibuscm vivendum sit, eorumque *habitudines* ac *mores* - rerum denique omnium *succesus* seu *prosperi* seu *adversi* - nec nostrarum modo rerum, sed *alienarum* etiam - eorum praesertim qui nobis quacumque ratione *coniuncti* sunt - horum *fortunae* - *vicissitudines* - *vita ipsa* - res denique omnes *privatae* - *publicae.* Omnia haec, et alia prorsus infinita, ad illa *Reliqua super terram sita* pertinent, et ad omnia extendat se necesse est *indifferentia* nostra, - sive grata illa sint naturae, sive ingrata - semper utique, ut supra dictum est, *quantum permissum est libertati arbitrii nostri, et non est ei prohibitum.*

UNICE DESIDERANDO ET ELIGENDO QUAE MAGIS NOBIS CONDUCANT AD FINEM - *Desiderium* latius patet quam *electio* - sed sive *eligendi* potestas sit, aut necessitas *eligendi* urgeat, ut in multis quotidie usu venit, sive *desiderii* solius adsit copia, regula verae sapientiae eadem semper, ut UNICE illud spectetur, quod MAGIS conducat ad finem.

Iam quis non videt, quam late pateat huius doctrinae applicatio? Quantae etiam perfectionis sit eius exercitium? Praeterea, cum illud plerumque contingat, ut quae naturaliter *placent,* ea *minus* conducant ad finem nostrum, et contra, quae *displicent,* plerumque conducant *magis:* quam clare vel ex ipso hoc Principio elucet necessitas *abnegationis* ac *mortificationis,* quae voluntas nostra virtutis amore a rebus sibi gratis abstinere, et ingratas amplecti vel invita assuescat? Quod item philosophia agnovit et docuit vulgato illo praecepto: *sustine* et *abstine.* Frustra enim vero est, quisquis sine hac mortificatione ad illam, quam hic docemur, *indifferentiam* pervenire se posse arbitretur; cum in ista mortificatione, vel sola, vel potissimum, consistat illud FACERE NOS (exhibere nos) INDIFFERENTES.

Ceterum, explere, quae Fundamentum requirit, non est, nisi per Christi gratiam, et quantumvis evidentia sint principia, iuxta quae gubernare se homo ratione praeditus debet, tamen voluntatis infirmitas absque Christi gratia ad ea opere sequenda numquam valebit. Quod quidem, ut initio huius explanationis praemonuimus, ita hoc loco iterum monuisse iuvat, ne quis sibi viribusque suis in rebus tam clare perspectis male fidens, triste illud experiri cogatur: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Orandum ergo est omnibus, *ut et quae agenda sunt videant, et ad implenda quae viderint, convalescant.* (Oratio Ecclesiae Dominica infra oct. Epiph.).

EXAMEN PARTICULARE

et quotidianum, tria tempora complectens, ad dispositionem sui, ac duplicem discussionem accomoda.

Primum tempus est matutinum, quo debet homo, statim dum a somno surgit, proponere diligentem sui custodiam circa peccatum aut vitium aliquod particulare a quo emendari cupit.

Secundum est pomeridianum, in quo petenda est a Deo gratia, ut reminisci possit ille, quoties in peccatum seu delic-

EXAMEN PARTICULARE

et quotidianum; continet in se tria tempora, et examinationem sui bis [*quotidie*] *faciendam.*

Primum tempus est, quod mane statim ac [*e strato*] *surgit homo, proponere debet cavere diligenter ab* illo *peccato* (1) *particulari, vel* defectu, *a quo se vult* corrigere et *emendare.*

Secundum [*tempus est*], *post prandium,* [*quo debet*] *petere homo a Deo Domino nostro* id quod vult (2) [*cupit*], scilicet

(1) *Ab illo peccato particulari, vel defectu.* - Itaque Examinis particularis materia sunt *peccata* et *defectus* quicumque seu imperfectiones, id quod revera praxis habet communis inde a S. P. N. temporibus, ut ex historiis nostris satis constat. - Atque hic notare iuverit, omnem Examinis particularis materiam commode revocari posse ad tria illa, quae Sacerdos hostiam offerens commemorat, cum dicit: *pro innumerabilibus* PECCATIS, *et* OFFENSIONIBUS, *et* NEGLIGENTIIS *meis.* Erunt ergo Examinis huius materia:

1. *Peccata* quaevis, seu gravia, seu levia, in quae prolabi hominem frequentius accidat, sive cogitationis sint, sive verborum, sive operum, sive etiam omissionis. Peccata, intelligo *culpas* proprie sic dictas.

2. *Offensiones,* culpae minus proprie dictae, seu involuntariae, in quas scilicet *offendere* fragilitatem nostram in tot tamque variis vitae huius casibus pronum est, ferme ut per viam salebrosam incedenti frequenter offendere seu impingere vel nolenti accidit. Et tamen, cautius incedendo, *offensiones* huiusmodi minuere, Examinis particularis ope, Dei famulus potest et debet. Postulatur enim a nobis, ut *solliciti ambulemus cum Domino Deo nostro.* (Mich. 6).

3. *Negligentiae,* eae, quae ad rationem quidem *peccati omissionis* non pertingunt, sed in actiones nostra irrepere, easque si minus vitiare omnino, tamen imperfectas, minusque acceptas Deo reddere solent; suntque profecto innumerae, sive *intentionis* puritatem et intensionem spectes, sive *modos* omnes, quibus actiones nostras ornari ac perfici in Dei conspectu decet, pro mensura luminis et gratiae nobis a Domino communicatae. Applicandum ergo Examen particulare 1. ad tollenda *peccata,* - 2. ad tollendas vel certe minuendas *offensiones,* - 3. ad tollendas vel certe minuendas *negligentias,* per earum *virtutum exercitia,* quibus exornari actiones singulas, omnemque vitam nostram oportet.

(2) *Id quod vult, (cupit), scilicet.* - Verba haec passim a S. Patre usurpari solent, ubi de gratia peculiari a Deo petenda sermo incidit. Videtur velle nos admonere, ut ante orationem diligenter cogitemus,

tum istud particulare inciderit, et in posterum cavere: deinde priorem faciat discussionem, exigens ab anima sua rationem de peccato, seu vitio iam dicto, et singulas diei partes praeteritas percurrens ab ea hora, qua surrexit, usque ad praesentem, quoties illud commiserit, et puncta totidem signet in priore linea figurae subscriptae. Quibus peractis denuo proponat per spatium diei reliquum, diligentius sese cohibere.

gratiam, ut recordetur quoties lapsus sit in illud peccatum particulare vel defectum, *et ut se emendet in posterum; et consequenter faciat primum examen, exigens rationem ab anima sua* de illà re proposita et particulari, a qua se vult corrigere et emendare, *discurrendo* per horas singulas, vel per (3) tempora singula, *incipiendo ab hora qua surrexit, usque ad horam* et momentum *examinis praesentis, et faciat* [*notet*] *in prima linea* [*subsequentis*] *figurae totidem puncta, quoties in illud peccatum particulare seu defectum incurrerit, ac postea proponat denuo* emendare se usque ad alterum examen, *quod faciet.*

Tertium erit vespertinum tempus, in quo, post coenae horam, facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis, ab examine priore usque ad praesens lapsis, et eodem modo rememoratis enumeratisque vicibus, quibus deliquerit, parem ei punctorum numerum signabit in posteriore linea figurae sequenti similis ad hoc praeparatae.

Tertium tempus, post coenam [*quo*] *fiet secundum examen eodem modo per horas singulas, incipiendo a primo examine, usque ad secundum praesens, et faciat* [*notet*] *in secunda linea eiusdem figurae totidem puncta quoties incurrerit in illud particulare peccatum seu defectum.*

quid illud sit, quod hìc et nunc *impetrare* a Domino *cupimus.* - *Gratia* vero *peculiaris,* quam hìc postulare docemur, ut alias semper, duplex est; scilicet non modo *luminis,* ut cognoscamus lapsus nostros, eosve in memoriam revocemus, verum etiam *auxilii,* ut reipsa nos emendemus in posterum. Nimirum. de *omnipotentis et misericordis Dei munere venit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter serviatur;* Eius proin gratia imploranda, qua *ad* Eius *promissiones sine offensione curramus,* ut loquitur Ecclesia in Oratione Dominicae XII, post Pentecosten. - De re per se satis omnibus nota, et plane certa per fidem, monere hoc loco placuit, quod fortasse nulla re magis Examinis particularis fructus solidus impediri soleat, quam quod, occulta quadam, aut non satis observata praesumptione, in propositis nostris et industriis confidamus; cum tamen *omnis sufficientia nostra ex Deo sit.* (2. Cor. 3).

(3) *Per horas singulas, vel per tempora singula.* - *Per horas, vel per tempora singula,* commode fieri etiam potest *per actiones singulas,*

Additiones quatuor utiles ad faciliorem et celeriorem peccati seu vitii cuiusvis exstirpationem.

Sequuntur quatuor Additiones, ad citius tollendum illud peccatum seu defectum [*il-lum*] *particularem.*

Prima est, ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admota, doleat de lapsu, quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec advertentibus.

Prima additio est, ut, quotiescumque homo cadat in illud peccatum seu [*in*] defectum [*illum*] *particularem, pectori manum admoveat dolens quod ceciderit; id quod fieri potest etiam coram* multis, *quin advertant quid faciat.*

Secunda est, ut sub noctem numeratis comparatisque invicem punctis linearum, quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur, attendat, an a priore examine usque ad secundum aliqua successerit emendatio.

Secunda, cum prima linea figurae significet primum examen et secunda linea secundum examen, videat [*observet*] *sub noctem* an sit emendatio *a prima linea ad secundam,* (4) *id est, a primo examine ad secundum.*

Tertia est, ut conferat diei secundae atque praecedentis examine invicem; considerans ecquid sibi emendationis intervenerit.

Tertia, conferre secundum diem cum primo, id est, duo examina diei praesentis cum aliis duobus examinibus diei praecedentis, et videre [*observare*] an ab uno die ad alterum *se emendaverit.*

Quarta, ut collatis hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo, factae vel omissae emendationis rationem habeat.


Quarta additio, conferre unam hebdomadam cum altera, et videre [*observare*] an se emendaverit *in praesenti hebdomada* plus quam *in prima praeterita.*

quae per tempus illud, quod sub examen venit, sibi aliae atque aliae successerunt, non omissis tamen intervallis temporum ab una actione ad alteram.

(4) *A prima linea ad secundam etc.* - Antiqua versio literalis *ms.* habet: *in secunda linea plusquam in prima, hoc est, in secundo examine plusquam in primo.* - Iam enim et in prima linea, seu in primo examine, emendatio subsecuta merito supponitur; quippe necessarius fructus primi propositi.

Item notandum est, ex sequentibus figuris, primam ceteris longiorem deputari diei primae, puta Dominicae; secundam vero diei lunae, paulo breviorem, et ita deinceps; cum par sit diminui in dies erratorum numerum.

Notandum est, primam [lineam figurae] D = maiusculam, quae sequitur, significare Dominicam, secundum minorem diem lunae, tertiam diem martis, et ita consequenter.



EXAMEN CONSCIENTIAE GENERALE

ad purgationem animae, et ad peccatorum Confessionem utilissimum.

Pro comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus: unum ex proprio surgens motu ipsius hominis, reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet vel mali spiritus suggestione.

EXAMEN CONSCIENTIAE GENERALE (5)

ad purgandum se, et ad melius *confitendum.*

Praesuppono esse *tres cogitationes* in me (6), *scilicet, unam meam propriam, quae exsurgit ex mea* mera libertate et voluntate; *ac duas alias, quae adveniunt extrinsecus, alteram quae venit a bono spiritu*, et alterum [quae] a malo.

De Cogitatione.

Duobus modis elicitur meritum ex mala cogitatione in materia peccati mortalis, de qua hic sermo est.

Primo, quando suggeritur de patrando mortali crimine cogitatio, sed ea confestim repugnando vincitur.

Secundo, quando pravae istiusmodi suggestioni semel ac iterum repulsae, et subinde nihilominus revertenti continue resistit homo, donec penitus expugnetur; quod quidem vic-

De Cogitatione.

Duo sunt modi merendi in *mala cogitatione,* quae advenit extrinsecus.

[*Primo*], *verbi gratia, advenit cogitatio de committendo peccato mortali, cui cogitationi* resisto *in promptu, et* [*illa*] victa manet.

Secundus modus merendi est, quando mihi *venit illa eadem mala cogitatio, et* ego *illi* resisto, *et* [*ea*] *iterum atque iterum ad me redit, et* ego *semper* resisto, *donec illa co-*

(5) In vulgata Examinis generalis versione, quibusdam in locis aliqua addita vel interserta sunt, maioris perspicuitatis gratia. Simile quid, tum in praecedentibus observare licuit, tum in sequentibus deinceps licebit. Semel id hoc loco monuisse sufficiat.

(6) *Esse tres cogitationes in me,* - seu triplex cogitationum genus. - *Esse,* ita autographum hispanicum. - *Incidere,* quod habet vulgata versio, posset intelligi de quavis cogitatione seu evagatione mentis momentanea, in qua nulla fiat mora, nulla advertentia, in qua voluntas nullam habeat partem. At de istiusmodi cogitationibus hìc non agitur. - Notatu dignum est etiam, a S. P. dici: *in me,* in prima persona, quod et alias observari poterit. Iuvat hic modus loquendi, ut qui exercetur *de se* solo cogitet, *sibi* res applicet, dicatque sibi: *tu es ille vir.*

toriae genus merito alterum antecellit.

gitatio victa recedat; et hic secundus modus maioris est meriti, *quam primus.*

Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in suborta peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliqua obiter sensus delectatione afficitur, vel in ea retundenda sese exhibet negligentem.

Venialiter peccatur, quando eadem cogitatio peccandi mortaliter venit, et homo ei praebet aures, aliquantulum ei immorando, vel recipiendo aliquam detectationem sensus, vel ubi sit [*interveniat*] aliqua *negligentia in reiicienda tali cogitatione* (7).

Mortale vero peccatum, per cogitationem duobus modis admittitur.

Duo sunt modi peccandi mortaliter.

Primo, quando cogitationi peccati praebetur quacumque ratione assensus.

Primus est, quando homo praebet consensum malae cogitationi ad operandum postea sicut consentit [*iuxta consensum*], *vel ad eam opere exsequendam si posset.*

Secundo, quando peccatum illud opere completur, idque gravius est priore, ex tribus causis: videlicet, ob maiorem temporis decursum, ob actum intensiorem, et ob plurium denique offendiculum sive detrimentum.

Secundus modus peccandi est quando opere completur illud peccatum, et est gravius [*priore*] *ob tres rationes: primo, ob longius tempus, secundo, ob maiorem intensionem, tertio ob maius damnum* utriusque personae (8).

De Loquela.

De Verbo.

Verbo etiam multifariam offenditur Deus; ut in blasphe-

Non iurandum neque per Creatorem, neque per creatu-

(7) Notum est, hanc praesertim doctrinam S. Patris de mortalis ac venialis peccati distinctione suspicionibus olim occasionem praebuisse, eumque propter illam in iudicium fuisse vocatum. Recte autem probat Suarez (T. IV. de Relig. Lib. 9. c. 5. n. 13) ex verbis S. Patris, omnem *consensum* hoc loco omnino excludi, ac solam *negligentiam aliquam* admitti, qua venialiter, non mortaliter peccetur.

(8) *Utriusque personae.* - Ita proprie in autographo, quae verba, uti et quod supra dicitur de *sensus delectatione,* inuunt agi hoc loco potissimum de cogitatione in materia sexti praecepti. Antiqua versio *ms.* sic habet: *ob maius damnum plurium quandoque sequens.* Ceterum et ab aliis dudum observatum fuit, et cuivis examen hoc inspicienti patet, nequaquam eam fuisse S. P. mentem, ut omnem examinis generalis materiam persequeretur.

mia, iuramento. Nam iurandum non est, neque per Creatorem neque per creaturas ullas, nisi concurrentibus his tribus, veritate, necessitate ac reverentia. Porro intelligenda est necessitas, non in veritatis cuiuslibet affirmatione, sed eius tantum, quae circa spirituale, corporale, vel etiam temporale bonum aliquod, momenti est non levis. Reverentiam dicimus, quando assumens divinum nomen adhibet considerationem, ut Deo Creatori ac Domino debitus honor tribuatur.

Sciendum est autem, licet iuramentum temere seu vane factum per Creatorem, sit gravius peccatum, quam per creaturam, difficilius tamen esse, per hanc, quam per illum licite iurare, servatis debitis circumstantiis, quas diximus.

Primo, quia in mentione creaturae facienda per iuramentum, non ita excitamur aut reddimur attenti, ut ex veritate ac necessitate iuremus, sicut nominato rerum omnium Creatore.

Secundo, eo quod ad honorem Deo exhibendum cum reverentia, longe debilius movemur ex commemoratione cre-

ram, nisi fuerit cum veritate, necessitate et reverentia. Necessitatem intelligo, non quando affirmatur cum iuramento quaecumque veritas, sed quando [*veritas illa*] *est* alicuius *momenti circa utilitatem animae, vel corporis, vel bonorum temporalium. Intelligo reverentiam, quando in nominando Creatore ac Domino suo* [*homo*] *considerando* [*reflectendo*] *religiose observat illum honorem ac reverentiam debitam.*

Advertendum est, quod licet in vano [*falso*] *iuramento peccemus gravius, iurando per Creatorem quam per creaturam, est* [*tamen*] *difficilius iurare* debito modo, [*id est*] *cum veritate, necessitate et reverentia, per creaturam quam per Creatorem, ob rationes sequentes.*

Prima, quando volumus iurare (9) *per aliquam creaturam, in illo* [*actus*] *dum* nominare volumus *creaturam,* [*haec creatura, vel istud velle iurare per creaturam*] *non adeo reddit nos attentos* et cautos *ad dicendam veritatem vel ad illam cum necessitate affirmandam, sicuti dum* nominare volumus *Dominum et Creatorem rerum omnium,*

Secunda est, quia iurando per creaturam non est tam facile exhibere reverentiam et honorem Creatori, sicut iu-

(9) *Quando volumus iurare... nominare volumus.* - Ita clarius exprimitur, agi hic de attentione, quae iuramentum *praecedere* debet, non *comitari* tantum.

aturae, quam ipsius Dei Creatoris. Quamobrem iurare per creaturas perfectis magis conceditur, quam crassioribus sive idiotis: quandoquidem perfecti ex contemplationis usu assiduo, et illustratione intellectus, considerant propius atque deprehendunt Deum secundum essentiam, praesentiam et potentiam suam creaturae cuilibet inesse; unde ad praestandam illi debitam in iuramento reverentiam paratiores sunt aliis, qui eo perfectionis nondum provecti sunt.

rando [per Deum] et nominando ipsum Creatorem ac Dominum; nam velle nominare *Deum Dominum nostrum affert secum maiorem reverentiam et venerationem, quam velle nominare rem creatam. Propterea magis conceditur perfectis iurare per creaturam, quam* imperfectis; *quia perfecti, per assiduam contemplationem et illustrationem intellectus, considerant, meditantur et contemplantur magis, esse Deum Dominum nostrum in unaquaque creatura, secundum suam propriam essentiam, praesentiam et potentiam; atque ita in iurando* per creaturam *sunt magis apti et dispositi ad exhibendum honorem ac reverentiam Creatori ac Domino suo, quam imperfecti.*

Tertio, quia creaturis ad confirmationem iuramenti crebrius adscitis, periculum esset idololatriae: id quod imperfectis magis, quam perfectis fuerit timendum.

Tertia est, quod in iurando assidue per creaturam, timenda est idololatria magis in imperfectis quam in perfectis.

Vitandum est insuper verbum otiosum (inter alia locutionis peccata), quale esse intelligitur, quodcumque nec loquenti nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur, ut afferat utilitatem. E converso vero minime otiosum censendum est verbum illud, quodcumque ad animae vel propriae vel alienae, aut ad corporis, aut rei etiam temporalis commodum pertinet, aut certe ad tale quippiam ex dicentis mente dirigitur; etiam si quis de negotiis loquatur, ab instituto suo alienis, ut religiosus

Non dicendum verbum otiosum, quale intelligo, quando [quod dico] nec mihi, nec alteri prodest, neque ad talem intentionem ordinatur; ita ut, in loquendo propter omne id quod prodest, vel [cum] intentio est ut prosit [sermo] animae propriae, vel alienae, vel corpori, vel bonis temporalibus, numquam sit otiosum [verbum], neque propterea quod quis loquatur in [de] rebus quae sunt extra statum suum, ut si religiosus quispiam loquatur de bellis, vel mercimoniis. Sed in omnibus

de bellis, vel mercimoniis. Ceterum ex sermone quidem, ad finem bonum ordinato, meritum contingit: ad malum vero finem, aut futiliter prolatus sermo, generat peccatum.

quae dicta sunt, meritum est, si bene ordinetur [sermo], et peccatum, si male dirigatur, vel vane proferatur.

Sunt et oris peccata, mendacium, falsa testimonia, detractio. Nam detrahendum non est alteri, nec obmurmurandum. Revelato enim mortali alicuius peccato, quod publicum non sit, cum mala intentione, vel gravi damno famae alterius, mortale itidem peccatum committitur: veniali autem, veniale solum. Ad haec quotiescumque alienum patefacimus vitium, vel defectum, nostrum ipsorum vitium ac defectum simul commonstramus. Verumtamen ubi recta mens est, de proximi delicto licebit loqui bifariam.

Non dicendum quidquam in diffamationem [alterius] vel murmurationem: quia si [ego] revelo peccatum mortale, quod publicum non sit, pecco mortaliter; si veniale, venialiter; et si defectum, patefacio [*meum*] proprium defectum; *si vero intentio sit sana, duobus modis potest quis loqui de peccato vel defectu alterius.*

Primo, quando publicum est, ut meritricium, vel damnatum in iudicio, vel perniciosum, puta ob errorem publicum, animos conversantium corrumpentem.

Primo, quando peccatum publicum est, sicut meretricis publicae, vel de sententia in iudicio lata, vel de errore publico, qui inficit animas [eorum] quibuscum est conversatio.

Secundo, quoties occultum alicuius crimen indicatur alteri, per cuius subventionem ille relevari a peccato possit: dummodo rei huius probabilis aliqua ratio, vel coniectura offeratur.

Secundo quando peccatum occultum revelatur alicui, ut is iuvet eum, qui in peccato est, ad erigendum eum [a lapsu]; si tamen habeat [quis] aliquas coniecturas vel rationes probabiles [ob quas speretur] fore ut [alter] possit eum iuvare.

Possent inter oris peccata, irrisiones, contumeliae, et alia id genus adscribi, quae persequi licebit tradenti Exercitia, prout opus esse iudicaverit.

De Opere.

Propositis ante oculos decem mandatis Dei, cum Ecclesiae praeceptis et iussis Maiorum, seu Superiorum, aestimandum est, quidquid fit operis adversus quodlibet eorum, id peccatum esse: levius aut gravius tamen pro inaequali peccandi modo, et pro diversa peccantium habitudine. Porro reduci ad iussa ducimus Superiorum, Diplomata seu Indulta Pontificum, pro infidelium expugnatione, vel Christianorum pace, concedi atque promulgari solita: per quae ad Confessionem peccatorum, et Eucharistiae sanctae sumptionem Christi fideles invitantur. Peccat siquidem non leviter, quicumque tam pias Rectorum Ecclesiae cohortationes sanctionesque aspernari audet, ac transgredi.

De Opere

Assumendo pro obiecto decem mandata [*Dei*], *et praecepta Ecclesiae, et Superiorum commendationes, quidquid opere quis facit contra aliquod ex his tribus, iuxta maiorem aut minorem qualitatem, est maius vel minus peccatum. Intelligo* [*autem*] *per commendationes Superiorum, v. g. Bullas Cruciatae et alia Indulta, ut pro pace* [*Christianorum*] *confessis et communicatis* [*concedi solita*]*; quia non parum peccatur tunc,* causam praebendo [*ut contra ea agatur*], aut faciendo contra *tam pias exhortationes et commendationes Superiorum nostrorum.*

Examinis generalis modus particulas seu puncta quinque complectentis.

Primum punctum est, Domino nostro Deo, pro beneficiis acceptis, gratias agendas esse.

Secundum, quod debemus pro cognitione et expulsione peccatorum gratiam flagitare.

Tertium, de admissis praesenti die peccatis rationem ab anima nostra exigere, per horas singulas, ex quo surreximus, vestigando. Et primo quidem circa cogitationem, deinde circa loquelam atque operationem, eodem ordine, quo in particulari Examine traditum est.

Modus faciendi Examen generale, et continet in se quinque puncta.

Primum punctum est, gratias agere Deo Domino nostro pro acceptis beneficiis.

Secundum, petere gratiam ad cognoscenda peccata eaque expellenda.

Tertium, exigere rationem ab anima, [*incipiendo*] *ab hora qua surrexit* [*quis*], *usque ad examen praesens, per horas singulas,* vel per singula tempora, *ac primum de cogitatione, deinde, de verbo, ac* postea *de opere, eodem ordine quo dictum est in Examine particulari.*

Quartum, poscere veniam de delictis.

Quintum, proponere cum Dei gratia emendationem; et orationem Dominicam post dicta omnia recitare. *Pater noster.*

Quartum, petere veniam a Deo Domino nostro de defectibus [seu culpis].

Quintum, proponere emendationem cum eius gratia. Pater noster.

CONFESSIONIS GENERALIS ET COMMUNIONIS USUS.

CONFESSIO GENERALIS CUM COMMUNIONE.

Ex Confessione generali ultro facta, inter alia pleraque, percipiuntur tria haec emolumenta.

In Confessione generali, pro eo qui eam sponte [non ex necessitate] facere velit, inter alias multas *invenientur tres utilitates* hoc loco, [*s. hoc Exercitiorum tempore*].

Primum, quod tametsi, qui annis singulis saltem confitetur semel, ad generalem huiuscemodi Confessionem minime obligetur, eam tamen facienti ipsi multo plus commodi et meriti accedit, ob dolorem scilicet de peccatis, et malitia vitae praeteritae, quem ita sentit vehementiorem.

Prima, licet ille, qui singulis annis confitetur, non obligetur ad faciendam Confessionem generalem, [tamen] faciendo illam, habetur maior profectus et [maius] meritum, ob maiorem dolorem actualem *de omnibus peccatis et pravitatibus* totius *vitae suae.*

Secundum, quoniam inspecta, per spiritualem Exercitationem, longe quam antea manifestius natura et malitia peccatorum , tanto amplius commodum ac meritum percepturus est.

Secunda, cum in talibus Exercitiis spiritualibus cognoscantur magis intime *peccata et eorum malitia, quam* tempore quo homo non ita vacabat rebus internis, *obtinendo nunc maiorem notitiam et* dolorem *de illis, habebitur maior utilitas et [maius] meritum, quam ante habitum esset.*

Tertium, quia consentaneum est, hominem sic rite confessum, atque dispositum, multo melius se habere ad Eucharistiae sumptionem, quae maxime confert et ad fugam peccati et ad gratiae receptae conservationem et augmentum.

Tertia, consequenter, quod cum melius *confessus sit, et [melius] dispositus, invenitur magis aptus et magis praeparatus ad recipiendum sanctissimum Sacramentum, cuius receptio* non solum *iuvat, ne labatur in peccatum,* sed etiam *ut conservet [se] in augmento*

Porro generalis ista Confessio, post hebdomadae primae Exercitia potissimum erit opportuna.

gratiae. Quae Confessio generalis fiet melius immediate *post Exercitia primae hebdomadae.*

PRIMUM EXERCITIUM

meditando secundum tres animae potentias, circa peccatum triplex, et continet orationem praeparatoriam, duo praeludia, et puncta tria praecipua, cum uno colloquio.

PRIMUM EXERCITIUM

est meditatio [*facienda*] *per tres potentias* [*animae*] *circa* primum, secundum *et* tertium *peccatum* (1). *Continet in se* post *orationem praeparatoriam* et *duo praeambula, tria puncta* capitalia *et unum colloquium.*

Oratio praeparatoria est, qua petimus a Domino gratiam, ut vires atque operationes nostrae omnes sincere ad eius gloriam et cultum tendant.

Oratio praeparatoria est, petere gratiam a Deo Domino nostro, ut omnes meae intentiones, actiones *et* operationes (2) *pure ordinentur in servitium ac laudem suae divinae Maiestatis.*

Primum praeludium est, ratio quaedam componendi

Primum praeambulum est, compositio, videndo locum.

(1) *Circa primum, secundum et tertium peccatum.* - Ita titulus hic respondet plenius argumento meditationis. - Post *orationem praeparatoriam etc. tria puncta.* - Ita clarius ea, quae ad praeparationem tantummodo pertinent, a meditationis corpore distinguuntur; ac ne plus aequo in his preambulis meditationis haereamus, tacite vitemur admoneri. - *Capitalia* - hisp. *principales,* quae quidem vox etiam *praecipua* significat. Sensus est, non quasi alia praeterea sint huius meditationis puncta, haec autem tria *praecipua,* cum non sint, nisi tria; verum quod ista tria *capitalia* sint, et ad finem propositum efficacissima, momentique gravissimi. Vel, tria ista puncta *praecipua, capitalia* dicuntur, quod singula contineant in se et complectantur plura puncta, in quae subdistingui ac subdividi possint.

(2) *Omnes meae intentiones, actiones et operationes.* - Per integram meditationis horam, multas *intentiones* seu cogitationes et desideria excitari, multas item exerceri *actiones* et *operationes,* seu mentis seu corporis, contingit. Ergo, ut *omnes* uni Deo sint sacrae, in oratione praeparatoria postulandum. Hoc scilicet est, *confiteri Domino - clamare ad Dominum - in toto corde suo,* ut Scriptura loquitur: quod non est ex nobis, sed Dei donum per gratiam, diligenter proinde et ardenter in *oratione praeparatoria* postulandam. Et haec quidem oratio praeparatoria in omni meditatione semper est eadem. - Ceterum, non ad solam orationis horam, sed ad omnis vitae nostrae actiones omnes ac singulas rite ordinandas eiusmodi oratio aptissima est, et quam frequentissime magno cum fructu adhiberi solet.

loci. Pro qua notandum est, quod in quavis meditatione, sive contemplatione de re corporea, ut puta de Christo, effingendus erit nobis, secundum visionem quamdam imaginariam, locus corporeus, id quod contemplamur repraesentans, veluti templum aut mons; in quo reperiamus Christum Jesum, vel Mariam Virginem, et cetera, quae spectant ad contemplationis nostrae argumentum.

Sin autem speculationi subest res incorporea, ut est consideratio peccatorum nunc oblata, poterit loci constructio talis esse, ut si per imaginationem cernamus animam nostram in corpore isto corruptibili, velut in carcere constrictam; hominem quoque ipsum, in hac miseriae valle, inter animalia bruta exsulantem.

Hic notandum est, quod in contemplatione, vel meditatione [*de re*] visibili, *ut est contemplari Christum Dominum nostrum, qui visibilis est, compositio erit videre visu imaginationis locum corporeum,* ubi reperitur *ea res, quam volo contemplari. Dico locum corporeum, ut v. g. templum, vel montem, ubi reperitur Iesus Christus, vel Domina nostra, iuxta id quod contemplari volo.*

In [*meditatione de re*] invisibili, *ut est hic de peccatis, compositio erit videre, visu imaginationis,* et considerare (3) *animam* meam *esse in* hoc *corpore corruptibili* [*tamquam*] *carcere* [*s. ergastolo*] *inclusam, et totum compositum in hac valle tamquam exsulans* [*eectum in exsilium*] *inter bruta animalia. Dico totum compositum animae et corporis* [*scilicet, me totum*].

(3) *Animam meam etc.* - *meam* - de *me* ipso cogitandum, *mihi* omnia applicanda. - Adverte diligenter, quam vera sit haec imago, quae in hoc praeambulo proponitur, quam apta simul ad ingerendum *pudoris* et *confusionis sensum,* qui in hac meditatione quaeritur. - Iam enim in hoc praeambulo se quisque in statu *degradationis,* ut ita dicam, esse videt ac sentit. Neque enim *talis* e Creatoris manu prodiit homo, sed talem ad statum per peccatum redactus est. Corpus creatum immortale, nunc mortale et corruptibile; cumque eo uteretur anima ut socio fideli, ac sibi perfecte subiecto, nunc illud infidele, immo perfidum ac rebelle experitur; estque illud animae vero quodam sensu *carcer,* quo constricta in suis operationibus spiritualibus plerumque impeditur; quin etiam *ergastulum* est, seu talis carcer, in quo non modo impeditur, quominus libere operari possit, sed laboribus etiam ac poenis affligitur. Unde illae Sanctorum voces: *Quis me liberabit...? Educ de custodia animam meam!* - Praeterea, corpus simul et anima, homo totus, *inter bruta animalia,* non iam ut olim in paradiso, ubi inter ea versabatur quidem, at pleno in ea dominio ut Rex imperans, verum ut *exsul* in solo alieno, ob culpam suam *eiectus in exsilium,* inter *bruta animalia, quibus non est intellectus,* versatur tamquam unum ex illis; *comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.* - Talis est anima *mea,* - tale est *hoc* meum corpus - talis *ego totus.* - Vel solum hoc praeambulum copiosa potest esse meditationis materia, in qua incipiat homo cognoscere seipsum, quis et qualis sit

Secundum erit praeludium, ut a Domino id postulem, quod exopto, iuxta propositae contemplationis argumentum: nimirum si de Christi Resurrectione fuerit meditandum, petenda erit laetitia, qua gaudenti Christo congaudeam; sin de Passione, lacrimas, poenas, et angores petam ad compatiendum Christo patienti. In praesenti ergo meditatione, pudorem confusionemque mei ipsius debeo exposcere, attendens quam multi homines ob peccatum mortale vel unicum damnati fuerint, et quod ego toties peccando sim damnationem commeritus.

Notandum ad haec, quod omni meditationi, seu contemplationi, praemitti debent tam oratio praeparatoria, quam praeludia duo; sed oratio quidem semper fit eodem modo, praeludia vero pro diversitate rerum sunt diversa.

Primum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium; quod fuit ab Angelis commis-

Secundum [*praeambulum*] *est, petere a Deo Domino nostro id quod volo et desidero; petitio debet esse iuxta subiectam materiam, scilicet, si contemplatio est de Resurrectione, petere* [*oportet*] *gaudium cum Christo gaudente; si est de Passione, petere* [*oportet*] *dolorem lacrimas et tormentum cum Christo tormentis affecto. Hic* [*in hac meditatione de peccatis*] *erit, petere pudorem* (4) *et confusionem mei ipsius, videndo quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale,* et quam saepe ego meruerim damnari in aeternum ob tam multa mea peccata.

Ante omnes contemplationes vel meditationes debent semper *fieri* [*supradicta, scilicet*] *oratio praeparatoria, quae non mutatur* [*sed eadem fit semper*], *et duo dicta praeambula, quae identidem mutantur, iuxta subiectam materiam.*

Primum punctum erit trahere [*applicare*] *memoriam* (5) *super primum peccatum, quod fuit Angelorum, et deinde*

(4) Petere jubemur in hoc Exercitio *pudorem* et *confusionem*. Et hic proprius est huius Exercitii fructus. Incipienda conversio ab *humiliatione* sui, sicut *peccati initium superbia* est. - Ad hunc porro sensum pudoris, confusionis, humiliationis excitandum, - ad deprimendos sublimes superbiae spiritus, - nihil sane opportunius, nihil efficacius quam hoc Exercitium, in quo, praemisso praeambulo de quo diximus, in punctis subsequentibus 1. et 3., infra daemones, et infra damnatos, quibus utrisque nihil miserabilius, nihil vilius aut despicabilius, abiicere se quisque peccator merito cogitur. Ipsa porro misericordia Dei in nos maior, quam in illos, *pudoris* sensum ob commissa peccata, nedum minuere, sed augere in immensum debet, ut infra in colloquio.

(5) *Trahere memoriam.* - hisp. *traer: trahere,* item *ferre, portare, ducere.* - Placuit servare verbum *trahere,* ut intelligamus, esse quodammodo *vim* inferendam memoriae, intellectui, voluntati, ut serio

sum; adhibito statim discursu intellectus, atque voluntatis motu instigante me ad volvenda et intelligenda ea, per quae erubescam et confundar totus, facta unius tantum peccati Angelorum, cum tot meis comparatione; unde colligere liceat, cum illi ob unicum crimen addicti sint Inferno, quam saepe ipse supplicium idem meruerim. In memoriam itaque dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primum in statu gratiae, sed (quod necesse erat ad beatitudinis consummationem) non volentes per arbitrii libertatem Creatori suo reverentiam et obsequium praestare, at contra eum ipsum insolescentes, conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de Coelo ad Infernum praecipitati. Consequenter discurrendum erit per officium intellectus circa haec pensiculatius, nec non concitandis simul voluntatis affectionibus acrius insistendum.

Secundum est punctum, easdem potentias tres circa peccatum primorum Parentum (quod secundum appellabimus) exercere: tractando memoria, quam diuturnam ob illud poenitentiam egerunt; quanta humanum genus cor-

super idem intellectum, discurrendo; *deinde voluntatem, volendo* totum illud *memorari et intelligere* (6), *ut* magis *erubescam et confundar, trahendo* [*ducendo*] *in comparationem unius peccati Angelorum tam multa peccata mea: et* [*considerando*], *cum illi ob unum peccatum iverint in Infernum, quam saepe ego hoc idem meruerim* ob tam multa. — *Dico, trahere in memoriam peccatum Angelorum,* [*scilicet*], *quomodo, cum essent ipsi creati in gratia, nolentes* (7) se adiuvare *ope suae libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori* ac Domino, devenientes in superbiam, *conversi fuerint ex gratia in malitiam, et de Coelo ad Infernum praecipitati; et ita consequenter discurrere magis in particulari per intellectum, et consequenter movendo magis affectus per voluntatem.*

Secundum [*punctum erit*], idem facere, *id est* trahere [*applicare*] *tres potentias super peccatum Adae et Evae, trahendo* [*ducendo*] *in memoriam, quomodo ob illud peccatum tam diuturnam fecerint poenitentiam* et *quanta cor-*

applicentur. Vincenda enim est socordia naturalis et acedia illa, qua homo plerumque a seriis huiusmodi minimeque iucundis obiectis contemplandis abhorret.

(6) Observa S. P. mentem in hoc Exercitio, iterum expressam.

(7) *Nolentes se adiuvare ope suae libertatis.* - Nota modum loquendi S. Patris. Creaturae rationis est *se ipsam iuvare,* libere cooperando gratiae Divinae. Etiam Angelis rebellibus nil defuit ex parte benignissimi et liberalissimi Creatoris, *ipsi sibi* defuerunt. - Ita quicumque peccat, quicumque perit, *culpa sua* peccat et perit, *nolens se adiuvare.*

ruptio invasit: quot hominum millia ad Inferos deturbata sunt. Memorandum est videlicet, quomodo Adam in Damasceno campo, de limo terrae factus, positusque in terrestri Paradiso, et Eva formata ex una costarum eius, cum de fructu arboris scientiae boni et mali prohibiti essent comedere, et nihilominus comedissent; post peccatum subito ex Paradiso eiecti sint; vestibus pelliceis induti, et originali justitia privati, reliquum vitae suae tempus in laboribus ac aerumnis maximis poenitendo traxerint. Super his etiam ratiocinio intellectus et affectibus voluntatis utendum erit, sicut prius.

Tertium est, ut exerceamur pari modo circa peccatum mortale et particulare quodlibet (ipsum nos tertium peccatum dicemus, ut a duobus supra positis distinguatur): con-

ruptio genus humanum invaserit, tam multis *hominibus* ad [versus]*Infernum euntibus* (8). — *Dico trahere* [*ducere*] *in memoriam secundum peccatum* [*scilicet*] *nostrorum Parentum, quomodo, postquam Adam creatus esset in campo Damasceno, et positus in Paradiso terrestri, et Eva formata esset de eius costa, cum prohibiti essent ne de fructu arboris scientiae comederent, et ipsi comedentes, et ita peccantes, dein vestiti tunicis pelliceis, et e Paradiso expulsi vixerint sine iustitia originali, quam perdiderant, totam vitam suam in multis laboribus* [*aerumnis*], *et multa poenitentia; et consequenter discurrere per intellectum,* magis particulariter (9) *utendo voluntate, ut dictum est.*

Tertium [*punctum erit*] *eodem modo idem facere circa tertium peccatum* [*id est*] *particulare* cuiusvis (10), *qui ob unum peccatum mortale ivit ad Infernum, et multi alii*

(8) *Tam multis hominibus ad* (*versus*) *Infernum euntibus:* id est, vitam ita ducentibus, ut tandem in Infernum ruant. Haec in autographo ita cum praecedentibus cohaerent, ut sequelam esse appareat illius *corruptionis, quae genus humanum invasit* ob peccatum primorum parentum. - *Quot hominum milia ad Inferos deturbata sunt,* prout habet vulgata versio, potius ad tertium huius meditationis punctum referendum videretur.

(9) *Magis particulariter.* - In autographo habetur comma (,) post illa: *per intellectum;* ut adeo istud: *magis particulariter* referri videatur ad applicationem voluntatis.

(10) *Cuiusvis.* - Nota, non dici a S. Patre, *multos* esse damnatos *ob unicum peccatum* mortale, sed *multos* omnino *sine numero, ob peccata meis pauciora* et leviora. Neque mitigat S. P. hanc alteram propositionem suam illa restrictiva particula *forte.* Differt itaque vulgata versio duobus modis: scilicet, in prima suppositione exaggerat S. P. sensum, in secunda minuit; unde et exaggeratur divina severitas, praeter S. P. dicta, supponendo *multitudinem* damnatorum *ob unum peccatum,* et minuitur sensus pudoris in meditante, dum non nisi *dubitanter* proponitur damnatio multorum ob peccata nostris pauciora.

siderando, quod peccato tali, vel semel dumtaxat commisso, forte detrusi sint multi ad Infernum; quodque praeterea prope innumeri, ob delicta meis pauciora atque leviora forte crucientur aeternis poenis. Unde memoria versandum erit, quanta sit peccati gravitas et malitia, Deum omnium Conditorem atque Dominum offendentis. Ratiocinandum quoque est, supplicium aeternum peccato iuste irrogari, utpote adversus infinitam Bonitatem Dei perpetrato. Postremo suscitandi sunt affectus, sicut iam dictum est.

Colloquium fiet imaginando Jesum Christum coram me adesse in cruce fixum. Itaque exquiram mecum rationem, qua Creator ipse infinitus fieri creatura et ab aeterna vita ad temporariam mortem venire, pro peccatis meis dignatus sit. Arguam insuper meipsum, percontans quid hactenus dignum memoratu egerim pro Christo? quid agam tandem, aut agere debeam? Et in eum

sine numero [*damnati sunt*] *ob pauciora peccata quam* [*quae*] *ego feci. — Dico idem facere circa tertium peccatum particulare, trahendo* [*ducendo*] *in memoriam gravitatem et malitiam peccati contra suum Creatorem ac Dominum* [*ab homine commissi*]*; discurrere intellectu, quomodo* in peccando, *et agendo contra Bonitatem infinitam* (11), [*homo talis*] *iuste fuerit condemnatus in aeternum; et concludere actibus voluntatis, ut dictum est.*

Colloquium (12). *Imaginando Christum Dominum nostrum praesentem, et in cruce positum, colloquium* [*cum ipso*] *instituere,* [*quaerendo*] quomodo, *Creator cum esset, eo devenerit, ut hominem se fecerit, et ab aeterna vita* [*venerit*] *ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro meis peccatis.* Itidem [*colloquium mecum ipso instituere*] inspiciendo me ipsum (13), [*per-*

(11) *In peccando et agendo contra Bonitatem infinitam. - In peccando,* sive, in ipso actu peccandi, si morte occupetur, damnari hominem, etiamsi *primum* illud et *unicum* eius peccatum sit, quis miretur? Hac ratione a S. P. palpabilis redditur terribilis ista veritas. Ceterum, sive actu peccetur, sive in eadem mala voluntate post commissum vel unicum peccatum perseveretur, eadem utique est ratio. Mori vero hominem eiusmodi in tam malo statu, etiam unico commisso peccato, sive naturali ratione sive violenta id accidat, nemo mirabitur, si reputet, Deum utique non teneri mortis causas ab eiusmodi homine per miraculum avertere. *In quibus vos deprehendero, in iis et iudicabo.* Domini verba sunt per traditionem servata. Apud *S. Iustinum M. in Dialogo cum Tryphone, et Baronium sub A. D.* 34.

(12) Etiam colloquium totum dirigitur ad sensum *pudoris et confusionis.*

(13) Notandus ex autographo quidam veluti ordo in colloquio propositus: primum respicere *Christum crucifixum* - inde *ad se ipsum* oculos reflectere et ex *utraque* hac consideratione *in affectus* prorum-

intuens sic cruci affixum, ea proloquar quae suggeret mens et affectus.

contari ex me] quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo. Atque ita videndo illum talem, *et ita fixum in cruce, discurrere per ea [sensa] quae se obtulerint.*

Porro colloquii proprium illud est, ut fiat sicut amici sermo ad amicum, vel servi ad dominum, nunc gratiae aliquid petendo, nunc culpam aliquam meam incusando; interdum propria quaelibet communicando, ac petendo consilium super illis, sive auxilium. Ultimo dicatur *Pater noster.*

Colloquium fit proprie loquendo, sicut amicus loquitur ad alterum, vel servus ad dominum suum, modo petendo aliquam gratiam, modo incusando se ipsum mali alicuius commissi, modo communicando res suas [cogitationes suas, dubia sua, consilia sua, statum animae suae etc.], et petendo consilium in illis. Et dicatur [in fine] Pater noster.

SECUNDUM EXERCITIUM

SECUNDUM EXERCITIUM

est meditatio de peccatis, complectens ultra orationem praeparatoriam et duo praeludia, quinque articulos, seu puncta, cum colloquio ad finem.

est meditatio de peccatis, et continet in se, post *orationem praeparatoriam et duo praeambula, quinque puncta et unum colloqium.*

Praeparatoria oratio eadem quae supra.

Prius praeludium eamdem exigit constructionem loci, ut in praecedenti meditatione.

Posterius vero fiet, poscendo id, quod hic quaerimus, dolorem scilicet intensum de pec-

Oratio praeparatoria sit eadem.

Praeambulum primum erit eadem compositio [ut in primo Exercitio].

Secundum [praeambulum] est, petere id quod volo [cupio]; erit hoc loco, petere ma-

pere, *confusionis* certe ac *pudoris,* non tamen absque sensu intimo *humilis fiduciae* de infinita Domini misericordia, et *amoris* erga illum, cui soli debetur, quod *non sumus consumpti.* - Sensus iste de Domini misericordia, ut a S. Patre in argumentis maximo terrore plenis insinuatur, ita ab eo qui tradit Exercitia non est negligendus. - Idque ipsum Concionatores etiam meminisse summopere optandum est. - Vide notam ad colloquium de *Inferno* infra.

catis atque abundantem fletum.

Punctum primum sit processus quidam, per quem peccata totius vitae in memoriam revocantur, percursis gradatim discussisque annis, et spatiis temporum singulis. Qua in re triplici juvamur compendio: consideratis videlicet locis habitationis nostrae, conversationum modis, et officiorum seu negotiorum, quibus functi sumus, generibus diversis.

Secundum est, peccata ipsa perpendere, quanta sit foeditas et nequitia singulorum ex natura sua, si vel prohibita non essent.

Tertium est, considerare me ipsum quisnam aut qualis sim, additis exemplis, quae me in maiorem mei contemptum

gnum (14) *et intensum dolorem et lacrimas de meis peccatis.*

Primum punctum est processus [quidam] peccatorum, scilicet, trahere [revocare] in memoriam omnia *peccata vitae [meae], inspiciendo [vitam] per singula tempora. Ad quod iuvant tria: primum, inspicere locum et domum, ubi habitavi; secundum, conversationem, quam habui cum aliis; tertium, officium in quo vixi* (15).

Secundum, ponderare *peccata, inspiciendo [considerando] foeditatem et malitiam, quam* quodvis peccatum mortale *commissum habet in se, etiamsi non esset prohibitum* (16).

Tertium, inspicere [considerare] quis [quantulus] sim ego, minuendo me ipsum per exempla: primo (17), *quantu-*

(14) *Magnum et intensum dolorem. - Magnum,* vox hispanica: *crecido,* exprimit dolorem, qui *creverit,* et usque *crescendo magnus factus sit.* - Nota, ut primi Exercitii *fructus* proprius erat *pudor* et *confusio,* ita huius secundi esse *dolorem* et *contritionem.*

(15) Haec consideratio *omnium* simul peccatorum totius vitae facile unumquemque meditantem convincet, *magnum* se esse *peccatorem,* ut infra in Additionibus dicitur. (Addit. 2. ubi vid. nota). Iuverit distinguere, *peccata, offensiones, negligentias.* (Vide ad examen particulare notam 1). - Denique *via* vitae nostrae apparebit nobis plena 1. *sordibus* peccatorum, 2. *luto* negligentiarum, 3. *pulvere* defectuum et imperfectionum; qui quidem *pulvis* rite considerantibus nobis, illuminatis oculis cordis, plane reperietur infinitus.

(16) Intellige, *ob inordinationem* et oppositionem quam habent ad rectam rationem, etiamsi, per impossibile, ubi de legis naturae praeceptis agitur, non exsisteret lex prohibens. Cogita v. g. blasphemiam, periurium, calumniam, oppressionem innocentis, proditionem, seminationem discordiae, etc., singula utique turpissima, rectitudini naturali contraria, etiamsi neque lex prohibens, nec poenae sanctio cogitetur. - Quin etiam peccata levia et imperfectiones *per se* vanitatis, et stultitiae, et absurditatis plena reperientur, anima rationali et immortali prorsus indigna, etiamsi neque lex statuta esset nec poena.

(17) *Primo - secundo - tertio etc.* - Ita distinctius ex autographo notatur gradatio. - Ac primum quidem, quidquid est in me *boni,* plane

trahant: ut si mecum reputem, quantulus sim ad hominum omnium coetum comparatus, quid deinde sit multitudo universa mortalium, si cum Angelis Beatisque omnibus conferatur; post haec attendendum est, quid rei sit tandem, quidquid est creatum, prae ipso Deo Creatore; iam quid homuncio ego unus esse possum? Demum inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animae, atque corporis foeditatem, ac me tamquam ulcus, sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit.

Quartum est, cogitare quid sit Deus, quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis Deo, ut propriis, cum oppositis meis vitiis atque defectibus: summam scilicet eius potentiam, sapientiam, bonitatem et iustitiam cum extrema mea infirmitate, ignorantia, malitia et iniquitate conferendo.

Quintum, in exclamationem prorumpere, ex commotione

lus sim ego in comparatione omnium hominum; secundo, *quid sint homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi;* tertio, *inspicere* [*considerare*] *quid sint omnia creata, in comparatione Dei: iam ego solus quid esse possim?* quarto, *inspicere* [*considerare*] *omnem meam corruptionem et foeditatem corpoream;* quinto, *inspicere* [*considerare*] *me* [*totum*], *praesertim quoad animam*], *quasi ulcus quoddam et apostema, unde pullularunt tot peccata et tot nequitiae ac* venenum tam turpissimum.

Quartum, considerare quis sit Deus, contra quem peccavi, *secundum eius attributa, comparando ea cum eorum contrariis* [*quae sunt*] *in me:* eius sapientiam cum mea ignorantia (18), eius omnipotentiam cum mea debilitate, eius iustitiam cum mea iniquitate, eius bonitatem cum mea malitia.

Quintum, exclamatio admirative, cum ingenti *affectu* (19),

evanescit, et omnino videtur esse *nihil,* per comparationem 1. ad ceteros homines omnes, 2. ad Angelos ac Beatos, 3. ad Deum. Dein notatur *malum,* quod in me est, multiplex ac turpissimum, scilicet 1. quidem ob *corruptionem* et *foeditatem corporis,* ex natura *peccato originali* vitiata, 2. ob foediorem in anima corruptionem tum per pravas passiones, omnis turpitudinis fontes, quasi foetida animae *ulcera,* tum per *tot peccata et tot nequitias* actu commissas, quae tandem venenosum me seu *pestilentem* verissime reddunt orbi universo.

(18) *Eius sapientiam cum mea ignorantia etc.* - Scilicet, singula singulis opposita, ex ordine *consideranda* et *comparanda.*

(19) *Cum ingenti affectu.* - Eadem hoc loco voce utitur S. P., qua in praeludio 2. ubi *magnum* vertimus, et notavimus significari affectum, qui *creverit,* et *crescendo magnus, ingens, vehemens* factus sit. - Intelligi etiam potest metaphora desumpta ab aquis *crescentibus* et *intumescentibus.* Et vero, qui attente ac serio, quae in praecedentibus punctis proposita sunt, in Dei conspectu consideraverit ac meditatus

affectus vehementi: admirando valde, quomodo creaturae omnes (discursu facto per singulas) me sustinuerint tamdiu, et hucusque vivum servaverint, quomodo Angeli, divinae iustitiae gladium ferentes, aequo me animo tulerint, custodierint, suisque etiam iuverint suffragiis; quomodo pro me intercesserint Sancti; quomodo coelum, sol, luna, et alia sidera, elementa, cunctaque animantium genera, et terrae germina, debitae vindictae loco, mihi servierint; quo denique modo non absorbuerit me dehiscens tellus, et mille Infernos reserans, in quibus perpetuas poenas daturus essem.

Terminanda demum erit haec meditatio per colloquium extollendo infinitam Dei misericordiam, gratias pro viribus agendo, quod vitam ad hunc usque diem prorogaverit; unde proposita in futurum mei emendatione, recitabo semel *Pater noster.*

discurrendo per omnes creaturas, quomodo me passae sint vivere et in vita conservaverint: Angeli, cum sint gladius *divinae iustitiae, quomodo me supportaverint, et custodierint, et oraverint pro me; Sancti, quomodo* in eo fuerint, *ut intercederent et orarent pro me; et coeli, sol, luna, stellae, et elementa, fructus, aves, pisces, et animalia,* [*quomodo haec omnia mihi serviverint, et non potius armata contra me insurrexerint*], *et terra quomodo non se aperuerit ut me absorberet, creando* novos *infernos, ut in aeternum in illis cruciarer.*

Concludere colloquio misericordiae (20), ratiocinando, *et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque adhuc, proponendo in posterum emendationem* cum eius gratia. Pater noster.

fuerit, vix fieri potest, quin affectum multiplicem horroris praesertim, confusionis, doloris *crescere,* et fontes *lacrimarum,* saltem internarum, *intumescere* in se sentiat.

(20) Vide quae de colloquio primi Exercitii diximus n. 13.

TERTIUM EXERCITIUM

non erit aliud quam repetitio primi et secundi, una cum tribus colloquiis.

Post praeparatoriam orationem et duplex praeludium, repetenda erunt praecedentia duo Exercitia, notatis punctis, seu locis, in quibus maiorem senserimus consolationem, desolationem, aut aliam quamcumque spiritualem affectionem; ac illis diutius, diligentiusque immorandum erit. Deinde, occurrente nobis spirituali motu, ad colloquia, quae sequuntur, tria veniemus.

Colloquium primum fit ad Dominam nostram, Christi Matrem, flagitando intercessionem eius apud Filium, et gratiae impetrationem nobis tripliciter necessariae: primo, ut internam criminum nostrorum cognitionem ac detestationem sentiamus; secundo, ut operum nostrorum agnoscentes abhorrentesque ordinem perversum, correcto eo, nos-

TERTIUM EXERCITIUM

est repetitio primi et secundi Exercitii, faciendo tria colloquia.

Post orationem praeparaoriam et duo praeambula erit, repetere primum et secundum Exercitium (21), *notando et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim maiorem consolationem, vel desolationem, vel maiorem sensum spiritualem.* Post quae *faciam tria colloquia* (22) *eo modo qui sequitur.*

Primum colloquium ad Dominam nostram, ut mihi *obtineat gratiam a suo Filio ac Domino* ad tria: *primo, ut sentiam internam cognitionem peccatorum meorum, ac detestationem illorum; secundo, ut sentiam deordinationem operationum mearum, ut [eam] abhorrens me emendem meque [recte] ordinem; tertio, petere cognitionem* mundi (23),

(21) *Primum et secundum Exercitium.* - Scilicet, ordine servato, non confuse, aut facta per commixtionem una meditatione ex duabus praecedentibus, sed percurrendo ordine puncta, primo loco primi, deinde secundi Exercitii; ita tamen, ut non aeque haereatur in singulis punctis, sed pro ratione sensus vel affectus, quem senserit meditans, cum ea primum meditatus est.

(22) POST QUAE *faciam tria colloquia.* - Sensus est: tria ista colloquia non ubicumque et quandocumque *motus spiritualis occurrerit*, (quamquam etiam tunc ea usurpare non prohibemur), sed omnino *in fine* huius Exercitii esse adhibenda, idque sive motus spiritualis occurrat, sive non occurrat. Neque enim colloquia omittenda sunt ob desolationem, immo vero in ariditate magis etiam illis insistendum est.

(23) *Mundi.* - Non tantum *pravitas* mundi, sed et eius *vanitas*, et quidquid denique est *mundus*, ut *cognoscatur* a nobis et *abhorreatur*, optandum summopere ac petendum est. - Notatu valde digna gradatio in triplici huius colloquii petitione. Postulatur enim distincte tum

metipsos secundum Deum recte ordinemus; tertio, ut, perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus. His expletis semel recitetur *Ave Maria.*

Secundum colloquium fiat similiter ad Christum Dominum et Mediatorem nostrum, ut illa eadem nobis impetret ab aeterno Patre. Subdetur in fine oratio, quae incipit: *Anima Christi.*

Tertium eodem processu faciendum est ad Deum Patrem, ut triplicem illam gratiam nobis largiatur, et in fine semel recitandum *Pater noster.*

ut [illum] abhorrens res mundanas ac vanas a me removeam. Ac dein semel Ave Maria.

Secundum itidem [colloquium fiat] ad Filium, ut eamdem triplicem gratiam] obtineat mihi a Patre. Ac dein Anima Christi.

Tertium itidem [colloquium fiat] ad Patrem, uti ipse Dominus aeternus mihi illa concedat. Ac dein Pater noster.

QUARTUM EXERCITIUM

conficitur ex tertii repetitione.

Ponitur repetitio eiusmodi, veluti quaedam eorum ruminatio, quae meditatus sum in

QUARTUM EXERCITIUM

est resumendo *ipsum hoc tertium.*

Dixi resumendo (24), *ut intellectus absque divagatione discurrat assidue per remini-*

cognitio, tum *detestatio,* 1. *peccatorum,* 2. *inordinationis* operationum nostrarum, 3. *mundi,* eiusque vanitatis. Tria haec bene distinguenda. In secundo scilicet et tertio non tam de *peccatis* agitur, quam de peccatorum *occasionibus* et *causis.* Nam *inordinatio,* sive sit in totius vitae proposito non recte ordinato ad finem, sive in actionum nostrarum serie non ordinate distributa, sive in singularum actionum modis, absque ordine et mensura debita ad finem, multorum peccatorum occasio et etiam causa esse solet. Itemque *mundus,* cuius *fascinatio nugacitatis obscurat bona,* et, quod multo magis horrendum, *quidquid in* eo *est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae;* quae omnia vitiosa sunt, et fomenta vitiorum, et peccatorum innumerabilium pariter et occasiones et radices. - Pro uno quoque ergo ex his tribus, circa quae versatur colloquium, *duplex* gratia petenda: scilicet *illustrationis* pro intellectu, ut *cognoscamus;* piae *motionis* pro voluntate, ut *abhorreamus* etc. S. P. istam *duplicem* gratiam petendam semper commemorat, quod nunquam satis id inculcari posse videatur.

(24) *Resumendo.* - Nota in autographo non dici hoc Exercitium *repetitionem,* sed faciendum esse, *resumendo praecedentem repetitio-*

Exercitiis prioribus, ut, ea continue reminiscendo, discurrat facilius intellectus sine divagatione. Adicienda quoque erunt tria eadem colloquia.

scentiam rerum, quas contemplatus est in Exercitiis praeteritis, et faciendo eadem tria colloquia.

QUINTUM EXERCITIUM

est contemplatio de Inferno, continetque ultra orationem praeparatorim et duo praeludia, puncta quinque et unum colloquium.

Oratio praeparatoria non differt a superiore.

Prius praeludium, hic habet compositionem loci, subiecta oculis imaginationis Inferni longitudine, latitudine, ac profunditate.

Posterius vero, consistit in poscenda intima poenarum, quas damnati luunt, apprehensione, ut si quando me ceperit divini amoris oblivio, saltem a peccatis supplicii timor coërceat.

QUINTUM EXERCITIUM

est meditatio *de Inferno. Continet in se* post *orationem præparatoriam et duo praeambula, quinque puncta et unum colloquium.*

Oratio praeparatoria sit solita.

Primum praeambulum, compositio, quae hìc est, videre visu imaginationis longitudinem, latitudinem, et profunditatem Inferni.

Secundum, petere id quod volo [cupio]; erit hìc, poscere intimum sensum poenae, quam potiuntur damnati, ut si [umquam] amoris Domini aeterni *oblitus fuero* ob meas culpas (25), *saltem timor poenarum me* iuvet (26), ne in peccatum deveniam.

nem. Quasi illud significetur, non iam esse iterum *repetendum primum et secundum Exercitium,* per omnia scilicet utriusque puncta prout in tertio factum est; sed potius *resumenda* quae potissimum in praecedenti repetitione animum commoverunt, ut eadem assidue memoria ac mente volvendo, ac sine divagatione per ea discurrendo, altius ea animo infigamus ac praesertim confusionem et dolorem de peccatis cum emendationis proposito magis ac magis confirmemus.

(25) *Ob meas culpas.* - Ex autographo culpas veniales ac defectus intelligo, qui divini amoris oblivionem inducere solent, et ad peccatum mortale viam parare, a quo summo malo petimus, ut timor nos poenarum coërceat. - Notanda etiam ultima verba huius praeambuli, ubi *peccatum,* singulari numero, a Sancto Auctore positum est, scil. ne in *ullum grave peccatum* incidam.

(26) Fructus proprius intenditur, ut in posterum a peccato caveamus. - Ita totum conversionis negotium conficitur: *pudore,* qui in primo Exercitio, *dolore,* qui in secundo, firmo et efficaci *proposito* non peccandi de cetero, qui fructus hoc potissimum Exercitio quaeritur.

Punctum primum est, spectare per imaginationem vasta Inferorum incendia, et (*) animas, igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis, inclusas.

Secundum, audire imaginarie planctus, eiulatus, vociferationes atque blasphemias in Christum et Sanctos eius illinc erumpentes.

Tertium, imaginario etiam olfactu fumum, sulphur, et sentinae cuiusdam seu faecis, atque putredinis graveolentiam persentire.

Quartum, gustare similiter res amarissimas, ut lacrimas, rancorem, conscientiaeque vermem.

Quintum, tangere quodammodo ignes illos, quorum tactu animae ipsae amburuntur.

Colloquendo interim cum Christo, in memoriam adducendae erunt illorum animae, qui ad inferni poenas damnati sunt, vel quia credere noluerunt adventum Christi, vel licet crederent, non tamen conformem praeceptis eius vitam exegerunt: idque vel ante adventum Christi, vel eodem tempore, quo vixit Christus in hoc mundo, vel post illud deinceps. Gratiae postremo agendae sunt eidem Christo quam maximae, quod in tale quodpiam exitium non permiserit me corruere, sed potius ad hunc usque diem

Primum punctum erit, videre visu imaginationis ingentes illos ignes, et animas, velut in corporibus igneis.

Secundum, audire auribus [imaginationis] planctus, ululatus, clamores, blasphemias contra Christum Dominum *et contra* omnes *Sanctos eius.*

Tertium, olfacere odoratu [imaginationis] fumum, sulphur, sentinam, et res putridas.

Quartum, gustare gustu [imaginationis] res amaras, ut lacrimas, tristitiam et vermem conscientiae.

Quintum, tangere tactu [imaginationis], scilicet quomodo ignes illi tangunt et urunt animas.

Faciendo unum colloquium ad Christum Dominum nostrum, trahere [ducere] in memoriam animas quae sunt in Inferno: aliae eo quod adventum [eius] non crediderunt, aliae [quod] credentes non operatae sunt iuxta eius mandata; faciendo tres partes [id est, omnes illas animas distribuendo in tres ordines sive series: quarum] prima ante adventum [Domini perierit], secunda vivente eo, tertia post eius vitam in hoc mundo; et simul gratias ei agere, quod non siverit me incidere in ullam ex istis [tribus] finiendo

(*) *In primo puncto:* Et animas igneis quibusdam corporibus, velut ergastulis, inclusas; *dicatur:* Et animas velut igneis quibusdam corporibus, tamquam ergastulis, inclusas.

summa pietate et misericordia me prosecutus sit. Finis imponetur, dicto *Pater noster*

meam vitam (27). *Item, quomodo usque adhuc* semper tanta *pietate et misericordia erga me usus sit. Finem imponam recitando semel* Pater noster (28).

Si visum erit ei, qui tradit Exercitia expedire ad profectum eorum, qui exercentur, alias meditationes his adiicere, ut de Morte, ac aliis peccati poenis, de Judicio, etc. non se putet prohiberi, licet hic non adscribantur.

Exercitiorum vero tempus ita distribuendum est, ut pri-

Primum Exercitium fiet media nocte, secundum statim ac

(27) Ex secundo praeludio haec meditatio de Inferno a S. P. N. eo dirigi videbatur, ut a peccando in posterum absterreamur, potius quam ut de commissis concipiatur dolor. Et revera argumenta ista terrifica non tam ad dolorem de peccatis excitandum valere per se solent, quam ad absterrendum ne committantur. *Per se*, inquam. Valent enim etiam terrifica ista plurimum ad eliciendam contritionem etiam perfectam, si ita considerentur, ut inde occasione capta cogitemus, a quantis malis Divina pietas nos adhuc, licet extrema quaeque promeritos, servarit; atque ita infinitam Dei in nos misericordiam aestimemus, admiremur, amemus. - Utinam omnibus concionatoribus et confessariis haec animadversio semper praesto esset! Est enim vero hoc argumentum cordis humani dispositioni maxime conforme; idque ipsum est quod a S. P. N. usurpatum videmus in hoc colloquio post meditationem de Inferno, itemque in utroque praecedenti Exercitio de peccatis. Nimirum nihil efficacius ad fructum qui quaeritur obtinendum, quam Divinae in nos misericordiae consideratio, quae quidem misericordia eo potentius sentiatur necesse est, quo altius descenderit animus in considerationem malorum, quae peccato insunt et ex peccato consequuntur.

(28) Quae praeterea in vulgata versione leguntur hoc loco, declarationis gratia, ab interprete adiecta sunt. - Ceterum constat, et ipsum S. P., et ab eo edoctos Patres, in prima hebdomada meditationes etiam de Morte, de Iudicio etc. addere consuevisse. *Addere*, inquam, sive ut vulgata loquitur, *adicere;* intelligitur scilicet, proponi debere haec argumenta de Morte, etc. *post*, non *ante* quintum Exercitium supra positum. Id quod etiam ex Directorio manifestum est, cuius maxima nobis est et irrefragabilis auctoritas. Vid. Directorium cap. XIV. n. 1. et XV. n. 4. - Spectandus vero in his semper triplex ille fructus, qui in colloquio tertii Exercitii (supra) postulandus describitur. Ac poenae quidem peccatorum ad *peccati cognitionem* ac *detestationem* generandam potissimum inserviunt, Mortis vero ac Iudicii consideratio, tum ad peccati detestationem, tum praesertim ad *ordinandam* recte *vitam*, et ad *mundum cognoscendum* et *abhorrendum* efficacissima est. - Optandum vero, ut quae superaddentur Meditationes, ad unam aliquam ex tribus a S. P. propositis formis redigantur.

mum eorum fiat in media nocte, secundum, mane simul ac surrexerimus, tertium, ante vel post Missae sacrum, nondum sumpto cibo, quartum, circiter horam Vesperarum, quintum, hora ante coenam. Quae temporis distributio singulis quatuor hebdomadis communis est; variari tamen potest, atque augeri vel minui, prout unicuique, ad peragenda dicta quinque Exercitia, aetas, animi corporisque dispositio, sive naturae ipsius complexio subservit.

[*quis*] *mane surrexerit, tertium ante vel post Missam, in summa fiat* [*omnino*] ante prandium (29), *quartum hora Vesperarum, quintum una hora ante coenam. Hanc horarum repetitionem* [*iterationem, alternationem*], plus minusve, *semper intelligo* [*servandam*] *in omnibus quatuor hebdomadis, in quantum aetas, dispositio et complexio iuvat eum, qui exercetur, ad facienda quinque Exercitia* vel pauciora.

ADDITIONES

ad Exercitia melius agenda, et ad ea quae optantur invenienda, perutiles.

Prima est, ut ego, post cubitum, ante somnum, modico temporis spatio, quo recitaretur semel Angelica salutatio (*) cogitem de hora, qua, surgendum mihi erit, et de Exercitio faciendo.

ADDITIONES

ad melius facienda Exercitia et ad melius *inveniendum id quod desiderat* [*qui exercetur*] (30).

Prima Additio est, post cubitum, quando iamiam dormire volo, *per spatium unius Ave Maria, cogitare de hora qua surgere debeo* et ad quid, *resumendo Exercitium quod mihi faciendum est.*

(*) *In prima Additione, ubi dicitur:* Cogitem de hora, qua surgendum mihi erit, et de Exercitio faciendo: *ex autographo dicatur:* Cogitem de hora qua surgendum mihi erit, Exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.

(29) *Ante prandium.* - Ita habet etiam antiquissima versio *ms.;* et hoc sensu verbum hispanicum *comer,* quod est in autographo, usurpari solet.

(30) Additiones istae, dici non potest, quanti momenti sint, non modo tempore Exercitiorum, sed omni tempore, si bene ac fructuose cupimus meditari, et in via Domini progredi. Quare documenta ista reddere nobis usu quotidiano familiaria necesse est. Iuvat porro Exercitiorum tempus, ut eorum habitum acquiramus, tota deinceps vita servandum.

Secunda, ut expergefactus statim exclusis omnibus aliis cogitationibus, animum ad illud applicem, quod in primo templaturus sum; utque, maioris verecundiae et confusionis gratia, exemplum mihi huiusmodi proponam : quomodo miles aliquis staret coram Rege suo et coetu aulico erubescens, anxius et confusus; qui in Regem ipsum, acceptis ab eo prius beneficiis donisque plurimis ac magnis, graviter deliquisse convictus esset. In secundo itidem Exercitio reputans quantum peccaverim, fingam me catenis vinctum esse, ac protinus sistendum coram summo Judice, sicut mortis reus quispiam, ferreis ligatus compedibus, duci

Secunda, quando expergiscar (31), *non dando locum his vel illis cogitationibus, statim advertere* [*animum*] *ad id quod sum contemplaturus in primo Exercitio mediae noctis, trahendo* [*excitando*] *me ad confusionem* (32) de tam multis meis peccatis, *proponendo* [*mihi*] *exempla; veluti si e*ques (33) *aliquis consisteret coram Rege suo, et* universa *eius curia, pudore affectus et confusus, quod graviter offenderit eum, a quo primum multa dona et multos favores acceperat. Item in secundo Exercitio, reputando me magnum peccatorem* (34) *et catenis cinctum, scilicet, quod eam veluti ligatus catenis, compariturus coram summo Iudice ae-*

(31) *Expergiscar.* - Ex hisp. intellige *quandocumque et quotiescumque expergisci contingat,* interrupto scilicet somno, etiamsi tempus surgendi ad meditandum nondum advenerit.

(32) *Ad confusionem.* - Omnino iuxta scopum primi Exercitii de peccatis. Vid. n. 4 supra.

(33) *Eques:* - hisp. *caballero,* ital. *cavaliere,* gall. *chevalier,* quae vox *militem* quidem significat, sed non tam gregarium, quam *nobilem,* sponte sua militantem: in quo maior sensus, ut honoris et aemulationis, ita et confusionis ac pudoris.

(34) *Magnum peccatorem.* - Ad hunc affectum, qui in secundo Exercitio quaeritur concipiendum, valde necessarium est, ut quisque de totius vitae suae peccatis ita cogitet, ac si nihil adhuc fecisset ad ea expianda. Quia, licet ea fortasse per poenitentiam deleta iam sint, fortasse, inquam, id enim certo scire non possumus, hìc tamen nos ipsos considerare debemus, quales ipsi per culpas nostras nos fecimus, non quales fortasse nunc sumus per gratiam Dei. Hoc enim ex misericordia Dei est, illud vero totum est nostrum; et quid nostrum sit, quidque simul ex nobis, in hoc Exercitio meditandum nobis proponitur. Valet autem plurimum haec consideratio, etiamsi quis nonnisi venialium peccatorum sibi conscius esset per totam vitam. Constat enim, vel unicum veniale peccatum deliberato animo commissum, eiusmodi esse, ob quod iustissime Deus sese animae subtraheret; quae sibi relicta quo non praeceps prorueret? - Quid vero sentire par est eum, qui mortalia a se commissa recordetur! - Si vel semel a recta via deflexìmus, quo non perventuri eramus, Domine, nisi *in viam tua reducti dextera* fuissemus! - *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, et glorificabo Nomen tuum in aeternum: quia misericordia tua magna est super me; et eruisti animam meam ex inferno inferiori.* (Ps. 85).

ad tribunal solet. His igitur, vel aliis, pro meditandarum rerum genere, cogitationibus imbutus, vestitu meo me induam.

Tertia, ut a loco futurae meditationis, uno vel gemino adhuc passu distans, per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset, animo sursum elevato, considerem Dominum meum Jesum, ut praesentem et spectantem, quidnam acturus sum, cui reverentiam cum humili gestu exhibere debeam.

Quarta est, ut ipsam aggrediar contemplationem, nunc prostratus humi, et pronus, aut supinus iacens, nunc sedens, aut stans, et eo me componens modo, quo sperem facilius id consequi, quod opto. Ubi adverti haec duo debent: primum, quod si flexis genibus, vel in alio quovis situ, voti compos fiam, nil requiram ultra. Secundum, quod in puncto, in quo assecutus fuero quaesitam devotionem, conquiescere debeo sine transcurrendi anxietate, donec mihi satisfecero.

terno, proponendo [*mihi*] *in exemplum, quomodo* [*rei*], carceribus *detenti et catenis vincti,* iam morte digni *compareant coram suo iudice temporali; et inter has cogitationes vestibus me induere, vel inter alias* [*cogitationes*], *iuxta subiectam materiam.*

Tertia, uno vel duobus passibus ante locum, in quo contemplaturus sum vel meditaturus, stabo *spatio unius Pater noster, elevata sursum mente, considerans* quomodo Deus Dominus noster me respiciat (35), *et facere* [*oportebit*] *actum reverentiae seu humiliationis.*

Quarta, intrare in contemplationem, modo genuflexus, modo prostratus in terram, modo supinus, modo sedens, modo stans, intendendo semper ad quaerendum id quod volo. [*Qua in re*] *duo advertemus: primum est, si invenio id quod volo genuflexus, non pergam ultra* [*alium situm tentando*]; *et si prostratus, similiter etc...; secundum, in puncto in quo invenero id quod volo, ibi quiescam, sine anxietate progrediendi ulterius* [*ad aliud punctum*], *donec mihi satisfaciam.*

(35) Hic docemur actum *praesentiae Dei* omni orationi et meditationi praemittendum. In quo quidem non est quod phantasia laboret, sed simplici actu *fidei* Dominum Deum nobis *praesentem,* nosque et quid agamus *spectantem,* apprehendamus et tantisper consideremus. In qua consideratione Maiestas divina *reverentiam,* Bonitas et Misericordia *fiduciam* excitet necesse est; qui duo affectus ut sunt optima ad orationem praeparatio, ita eamdem porro comitentur et quodammodo informent optandum et curandum est. DEUS... ME *respicit?* Quis DEUS? Quis EGO?

Quinta, ut completo Exercitio sedens, vel deambulans, per quartam circiter horae partem, mecum dispiciam, quonam modo meditatio seu contemplatio mihi successerit. Et si quidem male, inquiram causas, cum poenitudine ac emendationis proposito; sin vero bene, gratias Deo agam, eumdem postea modum observaturus.

Sexta, ut cogitationes quae gaudium afferunt, qualis est de gloriosa Christi Resurrectione, subterfugiam; quoniam talis quaelibet cogitatio impedit fletum et dolorem de peccatis meis, qui tunc quaerendus est, adscita potius Mortis vel Iudicii recordatione.

Septima, ut eamdem ob causam, omni me privem lucis claritate, ianuis ac fenestris clausis tantisper, dum illic moror, nisi quamdiu legendum, aut vescendum erit.

Octava, ut a risu, verbisque risum provocantibus, maxime abstineam.

Nona, ut in neminem oculos intendam, nisi salutandi aut valedicendi poscat occasio.

Decima, ut aliquam addam satisfactionem, seu poenitentiam. Quae quidem in interiorem et exteriorem dividitur, Interior est dolor de propriis

Quinta, post finitum Exercitium, per quartam horae partem, sive sedens, sive deambulans, dispiciam quomodo mihi successerit in contemplatione seu meditatione; et si male, dispiciam causam unde [*hoc*] *procedat, et ita* inspecta [*causa*] *dolebo, ut me emendem in posterum; et si bene, gratias agam Deo Domino nostro, et altera vice eodem modo faciam.*

Sexta, nolle cogitare *de rebus iucundis ac laetis, ut de Gloria* [*Paradisi*], *Resurrectione etc., quia ad sentiendam poenam, dolorem et* [*ad*] *lacrimas de peccatis nostris impedit quaevis consideratio gaudii et laetitiae; sed* tenere ante me [*in hoc insistere*] velle me dolere et sentire poenam, *trahendo* [*revocando*] *potius in memoriam Mortem, et Judicium,* [*et similia*].

Septima, privare me omni [*lucis*] *claritate ad eumdem effectum, claudendo fenestras et ianuas tempore quo fuero in cubiculo, nisi foret ad* recitandum [*officium divinum, vel preces*], *ad legendum et cibum sumendum.*

Octava, non ridere, nec dicere quidquam quod risum provocet.

Nona, refrenare oculos, [*ne quem respiciam*] *nisi in excipiendo, vel dimittendo eo* cum quo locutus fuero [*vel loquendum mihi fuerit*].

Decima Additio est poenitentia, quae dividitur in internam et externam: interna est, dolere de peccatis suis cum firmo proposito non commit-

peccatis, cum firmo proposito cavendi, tum ab illis, tum ab aliis quibusvis in posterum. Exterior autem est fructus interioris, videlicet castigatio aliqua de commissis, quae tribus potissimum modis assumi potest.

Primo circa victum; subtractis quibusdam non superfluis solum (quod temperantiae est, non poenitentiae), sed etiam convenientibus alimentis; et eo fit melius, quo plus subtrahitur, vitata interim naturae corruptione, aut debitate gravi, seu infirmitate.

Secundo circa somni et strati modum, sublatis non mollibus tantum, aut deliciosis rebus, sed aliis etiam opportunis, quantum licet, citra vitae aut valetudinis grave periculum. Quapropter de somno necessario nihil demendum est, nisi aliquantisper ad consuetudinem (si cui est nimii somni) moderandam.

Tertio circa ipsam carnem, ut inflictum sentiat dolorem, admotis gestatisque ciliciis, funibus, aut vectibus ferreis, vel incussis verberibus, ac plagis, vel aliis austeritatis generibus assumptis. In quibus tamen omnibus magis expedire videtur, ut doloris sensus in

tendi eadem, nec alia quaecumque; externa, seu fructus prioris, est castigatio de peccatis commissis, et [haec] praecipue assumitur tribus modis.

Primus est circa victum; scilicet, quando tollimus [subtrahimus] superflua, non est poenitentia, sed temperantia; poenitentia est, quando de convenienti subtrahimus, et quo plus atque plus [*subtrahimus*], eo maior et melior [*est poenitentia*]; *dummodo non corrumpatur [vitietur] subiectum [s. natura], nec sequatur infirmitas notabilis.*

Secundus, circa modum somni, et [hic] similiter non est poenitentia tollere superflua rerum delicatarum seu mollium; sed est poenitentia, quando in modo [somni capiendi] subtrahitur de convenienti, et quo plus atque plus [*subtrahitur*], *eo* melius, *dummodo non corrumpatur subiectum, nec sequatur infirmitas notabilis. Neque etiam subtrahatur de somno convenienti, nisi forte [quis] habeat consuetudinem vitiosam dormiendi nimium, ut perveniat ad medium [s. ad moderatam somni mensuram].*

Tertius, castigare carnem, scilicet, inferendo illi dolorem sensibilem, qui infligitur portando cilicia, vel funes, vel vectes ferreos super carnes, *flagellando seipsum, vel vulnerando, et aliis asperitatum modis. Quod videtur* commodius ac securius *poenitentiae*

carne tantum sit, nec penetret ossa cum in firmitatis periculo. Quare flagellis potissimum utemur ex funiculis minutis, quae exteriores affligunt partes, non autem adeo interiores, ut valetudinem adversam causare possint.

[genus, illud] est, ut dolor sit sensibilis in carnibus, et non penetret in ossa, ita ut inferat dolorem, et non infirmitatem. *Quapropter videtur esse convenientius flagellare se funibus minutis, qui inferunt dolorem exterius,* quam alio modo, *qui producat interius infirmitatem notabilem.*

Notanda sunt insuper quatuor haec. Circa poenitentiam, primum, quod poenitentiae exterioris triplex est usus, seu effectus: nimirum, ut pro delictis praeteritis nonnihil satisfiat; ut vincat seipsum homo, inferiorem sui partem, quae sensualitas appellatur, superiori, hoc est rationi magis subiiciens; ut postremo quaeramus atque impetremus aliquod gratiae divinae donum, quod optamus, puta intimam cordis contritionem de peccatis, et abundantiam lacrimarum, vel propter illa, vel propter poenas et dolores Passionis Christi, aut dubii alicuius, quod nos angit, resolutionem.

Primum notandum est, quod poenitentiae externae praecipue (36) *fiunt ad tres effectus [obtinendos]: primo, ad satisfactionem de peccatis praetertiis; secundo, ad vincendum seipsum, scilicet, ut sensualitas obediat rationi, et* omnes *partes inferiores sint magis subiectae superioribus; tertio, ad quaerendam et inveniendam aliquam gratiam, seu donum, quod homo vult ac desiderat [obtinere a Domino]; ut, si desiderat habere internam contritionem de suis peccatis, vel flere multum de illis, vel de poenis ac doloribus, quos Christus Dominus noster sustinebat in Passione sua, vel ad [obtinendam] solutionem alicuius dubitationis, in qua homo versetur.*

(36) *Praecipue.* - Possunt enim et alii fructus seu effectus intendi; sed hi tres praecipui sunt, et alii particulares ad unum ex his tribus facile possunt revocari. - *Omnes partes inferiores* - est enim corporis castigatio utilis ad *omnium* cuiuscumque generis passionum repressionem. - *Magis subiectae* - nam plena subiectio vix ac ne vix quidem speranda communiter in hac mortali vita. Ceterum triplex hic externae poenitentiae fructus eiusmodi est, ut ex eo pateat, hominem profectui suo deditum nullo non tempore aliquid poenitentiae exercere debere; cum tres illae necessitates, vel omnes semper nos urgeant, vel aliqua certe ex illis nunquam non adsit. Est itaque huius doctrinae usus non Exercitiorum tempore tantum, sed in omnem vitam; id quod et de aliis plerisque libri huius documentis aut praeceptis aestimandum est. Errant enim vero qui putent harum additionum, ceterorumque, quae in libro traduntur, usum ad solum tempus Exercitiorum pertinere.

Secundum, quod Additiones primae duae solis conveniunt Exercitiis, quae media nocte, et sub auroram fiunt. Quarta vero in Templo vel coram aliis numquam, sed domi tantum et clanculum exsequenda est.

Secundum notandum est, quod prima et secunda Additio fieri debeant pro Exercitiis mediae noctis et sub auroram, et non pro iis quae fient aliis temporibus; et quarta Additio numquam fiet in Ecclesia coram aliis, *sed tantum in occulto* ut *domi*, etc.

Tertio, quod quando is qui exercitatur affectum quaesitum non consequitur, ut dolorem vel consolationem, mutare subinde expedit rationem victus somnique, et alia genera poenitentiae; ita ut poenitentiam unam per triduum sectemur et proximo eam biduo relinquamus, vel etiam triduo; prout diversis plus aut minus poenitentiae est sumendum.

Praeterea, cum poenitentias huiusmodi saepe omittamus ob affectum carnis, aut erroneum iudicium, quasi naturalis nostra complexio ferre illas non possit, citra ingens valetudinis detrimentum, et e contrario iustum nonnumquam poenitentiae modum excedamus, de corporis robore nimis confidentes: mutatis, ut dictum est, poenitentiae generibus, ac per vices sumptis et relictis, evenit plerumque, ut clementissimus Dominus, qui naturam nostram perfectissime cognoscit, unicuique id compertum reddat, quod ipsi expedit.

Tertium [*notandum est*], *quando ille qui se exercet* nondum *invenit id quod desiderat, ut lacrimas, consolationes etc.*, saepe *prodest mutationem facere in victu, in somno, et in aliis modis agendi poenitentiam, ita ut nos mutemus, faciendo per duos vel tres dies poenitentiam, et per alios duos vel tres non, quia aliquibus convenit facere plus poenitentiae, et aliis minus; et etiam quia saepe omittimus facere poenitentiam ob amorem sensualem, et ob iudicium erroneum* [*erronee iudicando*], *quod subiectum humanum non poterit sustinere* [*eam*] *absque notabili infirmitate; et aliquando e contrario facimus nimium* [*poenitentiae*], *putando quod corpus possit sustinere: et cum Deus Dominus noster infinities melius cognoscat nostram naturam, saepe in huiusmodi mutationibus dat unicuique sentire quid ipsi conveniat.*

Quartum, quod particulare Examen fiat ad tollendas culpas et negligentias, quae circa Exercitia et Additiones solent obrepere; id quod etiam per tres alias sequentes hebdomadas observandum venit.

Quartum, Examen particulare fiat ad tollendos defectus *et negligentias circa Exercitia et Additiones; et ita in secunda, tertia, et quarta hebdomada.*

SECUNDA HEBDOMADA

Contemplatio Regni Iesu Christi ex similitudine Regis terreni, subditos suos evocantis ad bellum.

Oratio praeparatoria fiet more supradicto.

Praeludium primum ad constructionem loci nunc erit, ut spectare nos imaginemur synagogas, villas, et oppida, quae praedicans Christus pertransibat: et sic de locis aliis.

Secundum ad gratiam poscendam pertinens, in hac parte erit, petere a Deo, ne obsurdescamus vocante nos Christo: sed ad sequendum, ac obtemperandum prompti simus.

Punctum primum esto, proponere mihi ob oculos humanum Regem divinitus electum, cui Principes, et populi omnes

[*SECUNDA HEBDOMADA*]

Vocatio Regis temporalis, [*quae*] iuvat ad contemplandam vitam Regis aeternalis (1).

Oratio praeparatoria sit consueta.

Primum praeambulum est compositio, videndo locum. Erit hic, videre visu imaginationis synagogas, oppida, et castella, per quae Christus Dominus noster praedicabat.

Secundum, poscere gratiam quam volo [*cupio*]. *Erit hic, petere gratiam* a Domino nostro, *ut ne* sim surdus *ad eius vocationem, sed promptus ac* diligens ad explendam eius sanctissimam voluntatem.

Primum punctum est, proponere mihi ob oculos (2) *Regem* quemdam *humanum ab ipso Deo Domino nostro elec-*

(1) Titulus eiusmodi est, ut indicet sequentem contemplationem esse *praeparationis* loco ad contemplandam Christi *vitam*, quae argumentum est secundae ac tertiae hebdomadae - Notandum etiam, hoc loco non haberi in autographo inscriptionem: *Secunda hebdomada.* Infra vero vide titulum de Incarnatione, ubi dicitur: *Primus dies etc.*

(2) *Regem quemdam humanum ab ipso Domino nostro electum.* - Ut haec similitudo viam apte sternat ad contemplationem Regis Christi, summi momenti est, Regem hunc, humanum licet, considerare tamen omnino *divinitus electum*, ut expresse monet S. P.; itemque, quod S. P. quidem non exprimit, sed intelligendum relinquit, iuvabit cogitare Regem *divinitus* expeditionem illam suam parare, *divinitus* etiam certum esse de victoria obtinenda, et ita quidem obtinenda, ut etiam inter annonae inopiam, inter itinerum ac proeliorum aerumnas, labores, pericula, et inter ipsa etiam vulnera, ita *divinitus* serventur omnes sui, ut ne unus quidem vitam amittat, quo vere *omnes*, quotquot ipsum sequuntur, *victoriae* participes fiant, prout in secundo puncto promittitur. Cum vero, etiam absque huiusmodi certitudine de victoria, vel sola spes dubia incredibiliter excitare militum animos soleat, quem, quaeso, sensum in nobis excitare debent omnia illa, quae diximus, in humanis quidem nova et inaudita, quaeque nonnisi per miraculum fieri pose intelligimus, at quae in Rege Christo sequendo ita se habent omnino et cumulatissime?

Christiani reverentiam et obsequium praestare debeant.

Secundum est, imaginari quod audiam illum Regem loquentem ad omnes subditos: In animo est mihi regiones infidelium universas ditioni meae subicere. Quicumque igitur comitari me velit, paratus sit oportet non alio uti victu, vestitu, rebusque aliis, quam me utentem conspexerit. In iisdem quoque laboribus, vigiliis, et casibus ceteris mecum persistendum erit, ut particeps fiat victoriae et felicitatis unusquisque, prout laborum ac molestiarum socius exstiterit.

Tertium est, considerare quidnam respondere debeant Regi amantissimo et liberalissimo fideles subditi, et quam prompte ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos. Contra vero, si quis non obaudiret, quanto apud homines universos vituperio dignus esset, atque quam ignavus miles aestimandus.

Pars secunda huius Exercitii consistit in collatione similitudinis inter dictum Regem, et Dominum Iesum Christum, circa triplex illud punctum.

tum, cui reverentiam exhibent et obediunt *omnes Principes, et omnes homines Christiani.*

Secundum, attendere quomodo iste Rex loquatur ad omnes suos, dicens: Mea voluntas est subicere universam terram infidelium; proinde, qui voluerit mecum venire, debet contentus *esse cibo quo ego* [*utar*], *itemque potu et vestitu, etc. Similiter debet laborare,* ut ego, interdiu, *et vigilare* noctu, *etc., ut* ita *dein particeps* mecum *fiat victoriae, sicut fuerit laborum.*

Tertium, considerare quid debeant respondere boni subditi Regi tam *liberali ac* tam *humano; et per consequens, si quis non acceptaret petitionem* talis *Regis, quantopere dignus esset qui vituperaretur ab universo mundo, et perversus* [*ignavus*] *haberetur eques* (3) [*s. miles*].

Secunda pars huius Exercitii consistit in (4) applicando *supradictum exemplum Regis* temporalis *ad Christum Dominum* nostrum, *secundum dicta illa tria puncta.*

(3) *Eques.* - (*miles*). - In autographo: *caballero.* Non tam de gregario milite sermo est, quam de nobili qui militiam sequatur; id quod ad maiorem honoris et aemulationis sensum valet plurimum. Vide not. in Additionibus 1. hebdomadae, Addit. 2. n. 33.

(4) *Applicando ...exemplum Regis temporalis.* - Applicatio haec studiose facienda per omnes partes suas, conferendo Regem cum Rege, expeditionem cum expeditione, hostes cum hostibus, labores cum laboribus, praelia cum praeliis, victoriam cum victoria, triumphum cum triumpho. Et vero hic omnia tanto maiora, quanto divina humanis, aeterna temporalibus praestant; discrimen scilicet infinitum.

Primo sic applicabimus exemplum; si terrenus ille Rex, cum bellica sua evocatione, dignus est, cui attentio et obsequium praestetur; quanto magis Christus Rex aeternus, mundoque toti conspicuus, qui singulos ad se his invitat verbis: Mea haec est iustissima voluntas totius mundi dominium mihi vindicare, inimicos meos debellare omnes, ac ita demum in Patris mei gloriam intrare; proinde quisquis eo mecum venire cupit, laboret mecum necesse est, labori enim praemium respondebit.

Et quantum ad primum punctum, si talem vocationem Regis temporalis *ad suos subditos* consideramus [*s. consideratione, attentione dignam, existimamus*], *quanto magis res est digna* consideratione, videre *Christum* Dominum nostrum, *Regem aeternum, et* coram illo *universum mundum,* quem *ille* [*totum*], *et* unumquemque [*hominum*] in particulari *vocat, et dicit: Mea voluntas est subicere totum mundum, et omnes hostes, et sic intrare in gloriam Patris mei: proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare,* ut sequens me in poena [*in laboribus*], etiam sequatur me in gloria.

Secundum, ratiocinabimur, neminem fore sanae mentis, qui non cupidissime Christi servitio se totum offerat et addicat.

Secundum, considerare quod omnes, qui habuerint iudicium et rationem [*sanam*], *offerent se totos ad laborem.*

Tertio, iudicandum erit, quod ii, qui se obsequiis illius

Tertium, ii qui magis affici (5) [*maiori affectu esse*]

(5) *Ii qui magis affici etc.* - Hic, velim, singula verba diligenter ponderentur, ut sensus S. P. N., qui in vulgata versione minus clare elucet, ex autographo plenius intelligatur.

Totum se offerre Christo, est omnium illorum, *qui modo sint sanae mentis*, ut in secundo puncto dictum est. In hoc vero puncto tertio de iis agitur, qui *velint maiori affectu* Christum sequi et *insignes esse* (hisp. *se señalar*, ital. *segnalarsi*, gall. *se signaler*), eminere, excellere in Christi Domini ac Regis servitio. Horum itaque erit, offerre se ad plura et maiora, quam ea, quae Christi servitium necessario ab omnibus, *qui modo sint sanae mentis*, requirit. Porro ad haec plura, maiora, praeclariora offerenda, ii, *qui volent*, se disponent, *agendo contra suam propriam sensualitatem, et contra suum amorem carnalem et mundanum.* Scilicet, non solum pugnando contra *rebellionem carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani*, (nam contra *rebellionem* hanc pugnare omnibus Christum sequentibus, omnibus, qui *modo sint sanae mentis*, necessario commune est), sed *agendo contra*, impugnando sensualitatis et amoris proprii ac mundani inclinationes, etiam in rebus alioqui licitis, etiam ubi nulla *rebellio* appareat, atque adeo ex supererogatione. Ubi notatu dignum est, *agere contra* multo plus significare, quam *resistere. Resistendo* enim, solummodo nos ipsos

prorsus duxerint mancipandos, non seipsos tantum ad laborum tolerantiam, verum etiam maiora, et praeclariora quaedam munera oblaturi sunt, expugnata carnis, sen-	*volent* [*erga Christum Regem*] *et* insignes se exhibere *in omni servitio sui* Regis aeterni ac Domini universalis, *non solum offerent se totos ad laborem sed etiam* agendo

ad hostium impetu defendimus, *agendo contra,* hostes ipsi impetimus, ut eorum frangamus vires; nec saluti solum et incolumitati nostrae consulimus, sed etiam securitatem, quantum fieri potest, adipiscimur, hoste debilitato et fracto, ne porro insurgere audeat.

Aliquid in hoc tertio puncto proponitur, quod in similitudine Regis terreni expressum a S. P. non fuit, sed relictum considerationi ipsius meditantis, in illis verbis generalibus: *quid debeant respondere boni subditi.* Et quidem, proprie loquendo, in hac secunda Exercitii parte, seu applicatione similitudinis, primum punctum iam respondet primo simul et secundo puncto similitudinis de Rege terreno; tertio vero puncto similitudinis respondet punctum secundum huius applicationis ad Christum. Hoc igitur tertium applicationis punctum aliquid superaddit, nempe, *praeclariora munera offerenda,* non quidem ab omnibus, sed ab iis, qui, communi servitio non contenti, *insignes esse velint* in Regis sui sequela.

Et in parabola quidem Regis terreni *praeclariora* huiusmodi *munera* forent, v. g. si quis non modo vocanti ad expeditionem illam bellicam obtemperaret, Regem sequeretur, sed et familiam suam omnem, et omnes facultates suas et opes in illius expeditionis subsidium offerret, et ipse quovis gradu et officio, laboriosissimo ac periculosissimo, contentus militaret, immo vero laboriosissima quaeque ac periculosissima unice expeteret: tantum ut *tali* Regi se probaret, et victoriae, quae *certa* in hac parabola supponitur, copiosiorem partem consequeretur. Quae quidem omnia meditantis considerationi merito relicta sunt; quod ex hypothesi *talis* Regis, *talibus conditionibus* vocantis, sponte sua nemo *bonus subditus* non ita se affectum sentiret.

Iam vero in applicatione, id est, in sequela Christi Regis nostri, *praeclariora munera* sunt ea, quae in colloquio offeruntur, quae ut serio offerantur et ex animo, necessaria est mortificatio absoluta sensualitatis, et amoris proprii ac mundani; idque, non solum in iis, in quibus *rebellio* carnis, sensuum, amoris proprii ac mundani cerneretur; in his enim sese mortificare commune est omnibus, *qui modo sint sanae mentis;* sed etiam in iis, in quibus per se *rebellio* nulla foret, id est, in rebus alioqui licitis. - Atque haec est illa *maior sui abnegatio, et continua in rebus omnibus mortificatio,* quam *quaerere in Domino* admonemur (Summarii Reg. 12.) ut *ad pretiosum* illum *in vita spirituali gradum* (Reg. 11.) perveniamus, ad quem in colloquio huius contemplationis provocamur, *si velimus* in Christi servitio ac sequela *insignes esse.*

Ex dictis patet, quantum haec contemplatio de Regno Christi, quae veluti alterum est Exercitiorum spiritualium Fundamentum, quantum, inquam, haec superaddat ad ea, quae ex primo et universali Fundamento consequuntur. Ibi enim terminus, in quo sistitur, est *indifferentia* ad quaevis, sive grata naturae, sive ingrata. Hìc autem est maior inclinatio ad omnia, quae naturae contraria sint. Et vero, cui datum fuerit *didicisse Christum,* ut loquitur Apostolus, is facile sentiet, quodammodo nefas esse sibi in sola indifferentia illa conistere. Videns enim Regem suum *paupertatem* elegisse et *contemptum,* quomodo so-

suum, amorisque proprii et mundani rebellione; unde respondebit quisque in hunc fere modum:

contra *suam propriam sensualitatem* (6), *et contra suum amorem carnalem et mundanum, oblationes facient maioris aestimationis, et maioris momenti,* dicentes:

En, o Rex supreme, ac Domine universorum, tua ego, licet indignissimus, fretus tamen gratia et ope, me tibi penitus offero, meaque omnia tuae subiicio voluntati; attestans coram infinita Bonitate tua, necnon in conspectu gloriosae

O aeterne Domine rerum omnium, ego facio meam oblationem *cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosae Matris tuae, et omnium* Sanctorum et Sanctarum *Curiae coelestis,* [*attestans*] *quod ego*

lum indifferens erit ad *divitias* et *honores,* et non potius ad contraria omnino, tanti Regis imitandi studio, rapi se desiderio sentiet? Erit itaque illa indifferentia eorum, *qui* saltem *sanae mentis sint,* erit hominis cuiusque ratione utentis, ac sana ac ratione gubernantis: at haec maiora sectatorum Christi sunt, eorum saltem, qui in huius Regis sequela ac servitio *insignes esse velint.*

Ceterum, *velle* ita *insignes esse* in sequela ac servitio Christi Regis, quorumnam, quaeso, erit, si nostrum non est, Patres ac Fratres charissimi? Utinam haec intelligamus, neque intelligamus tantum, sed et serio, et strenue, et constanter tales esse contendamus! Ita quidem certe Partes nostri. - Atque hic est proprius huius contemplationis scopus, ut ad Regnum hoc Christi in nobis ipsis constituendum, per verum desiderium sequendi ipsum, excitemur.

(6) *Sensualitatem etc.* - Cum *hostes,* quos *omnes* subiicere se velle Rex noster ait in primo puncto, sint noti illi tres: *daemon, caro,* et *mundus,* quid est quod tandem pugna reducatur adversus *sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum,* quae omnia in nobis ipsis sunt: de daemone, de mundo, ne mentio quidem fiat? - Scilicet, ut *Regnum Dei intra nos,* ita inimicus praecipuus *intra nos* est, qui si debellatus, si domitus fuerit, nec daemon, nec mundus magnopere nocere poterunt.

Porro *sensualitatem* intelligo *sensuum* oblectamenta et libertatem etiam non prohibitam oculorum, aurium, gustus, odoratus, tactus, - linguae etiam; - *amorem carnalem* intelligo *amorem commodorum corporis* generatim, item *sanitatis* et *vitae* amorem - amorem etiam *parentum, amicorum,* et aliorum, non pure spiritualem, quamvis non illicitum; - *amorem mundanum* intelligo rerum quae *mundus amat,* scilicet divitiarum, honorum, vanae gloriae, pomparum, etc. - Posset etiam *sensualitas* intelligi in primis de omnibus generatim, quae *sensui* naturae, sive *externe,* sive *interne* blandiuntur, cuius dein *sensualitatis* partes censeantur *amor carnalis,* qui sensus externos et corporis commoda respiciat, et *amor mundanus,* qui vanitati et superbiae serviat - Contra hosce *hostes internos* agere, etiam in iis, in quibus peccatum non cernatur, proprium est eorum, qui erga Christum Regem magis affecti, insignes esse volunt in eius sequela.

Ceterum nisi in *licitis* domemus istos inimicos, ipsi nos in *illicita* facile pertrahent, accedentibus etiam *daemone* et *mundo,* primum fraude, deinde etiam *aperta vi.*

Virginis Matris tuae, totiusque Curiae coelestis, hunc esse animum meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut (dummodo in maiorem laudis tuae, et obsequii mei proventum cedat) quam possim proxime te sequar, et imiter in ferendis iniuriis et adversis omnibus, cum vera, tum spiritus, tum etiam rerum paupertate; si (inquam) sanctissimae tuae Maiestati placeat ad tale me vitae institutum eligere atque recipere.

Fiet bis interdiu hoc Exercitium, mane cum primum surreximus, et in hora prandium vel coenam praecedente.

In hac hebdomada secunda, et subsequentibus utile fuerit aliquid subinde legere, ex E-

volo et desidero, et mea [*haec*] *est determinatio deliberata* (7), *dummodo sit maius servitium tuum et* [*maior*] *laus tua, imitari te in ferendis omnibus iniuriis,* et omni vituperio, et omni paupertate, tam actuali quam spirituali, *si Maiestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum.*

Hoc Exercitium fiet bis in die, scilicet mane, cum [*quis*] *surrexerit, et hora una ante prandium vel coenam* (8).

Pro secunda hebdomada, et ita deinceps, valde *prodest legere subinde* [*aliquid*] ex li-

(7) *Dummodo etc.* - Ista conditio; *dummodo etc.* ut et infra: *si etc.* eo pertinet, ut intelligatur, exprimi in hoc colloquio solam voluntatis promptitudinem, solum *desiderium;* est enim *oblatio* sui, qua quidem homo non solum se resignat ad omnia dura perferenda cum Christo, sed actu perferre illa omnia *desiderat.* Ultra tamen desiderium et hoc conditionatum non pergit, quia nondum censetur cognovisse statum vitae, ad quem Deus ipsum vocare dignetur. - In iis vero qui statum habent in Religione, in Societate, conditio hic apposita locum non habet , nisi in quantum pertinet ad dua illa *actu* perferenda, in quo semper vel a divina Providentiae dispositione, vel ab alia voluntatis Eiusdem manifestatione pendere unumquemque necesse est; unde etiam dicitur: *in ferendis* non *in quaerendis. Desiderium* vero, in nobis quidem, Religiosis Societatis, esse decet absolutum et ardens, id quod vocatio nostra, status noster a nobis omnino postulat, cum sine eo vix ac ne vix quidem *serio* Christum sequi censendi simus ,ex mente S. P. N. (Const. Ex. Gen. c. 4. n. 44. Reg. Summ. 11): *Qui* SERIO, inquit *Christum sequuntur, amant et ardenter exoptant etc.,* quasi eos dicat nonnisi ficte sive, ut aiunt, *pro forma* Christum sequi in hac nostra vocatione, qui sanctum hoc desiderium non foveant. Addit tamen S. P. pro illa discretione, quae illi maxime propria est, quod si quis *propter humanam nostram debilitatem ac miseriam huiusmodi tam inflammata desideria non sentiat,* debere eum certe *optare ea animo concipere.* (Const. Ex. Gen. c. 4. n. 45.). Et huc referri solet illud Davidicum: CONCUPIVIT *anima mea* DESIDERARE *iustificationes tuas* (Ps. 118).

(8) Haec nota S. P. etiam indicat Contemplationem hanc die intermedio inter primam et secundam Hebdomadam esse faciendam, extra seriem secundae Hebdomadae, cuius scilicet non tam pars est censenda quam Fundamentum.

vangelio, vel pio alio codice, ut de Imitatione Christi, et Sanctorum Vita etc.

bris de Imitatione Christi, vel *Evangeliorum* (9), *et Vitarum Sanctorum.*

PRIMAE DIEI MEDITATIO PRIMA

erit de Incarnatione Iesu Christi, complectens orationem praeparatoriam, tria praeludia et puncta tria, cum uno colloquio.

Oratio praeparatoria nihil a superioribus variatur.

Praeludium primum est, proferre in medium contemplandae rei historiam, quae hoc loco erit: quomodo Personae tres divinae, universam terrae superficiem speculantes, hominibus refertam, qui ad Infernum descendebant, in Deitatis suae aeternitate decernunt, ut secunda Persona, pro salute humani generis, naturam hominis assumat; unde adveniente tempore praestituto, Archangelus Gabriel ad beatam Virginem Mariam nuntius destinatur, ut dicetur infra in Mysteriis Vitae Christi.

PRIMA DIES ET PRIMA CONTEMPLATIO

est de Incarnatione, et continet in se orationem praeparatoriam, tria praeambula, et tria puncta, et unum colloquium.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est, adducere [*in mentem*] *historiam eius rei quam contemplari debeo, quae hìc est: quomodo tres divinae Personae speculabantur totam planitiem vel ambitum totius mundi plenum hominibus; et quomodo* videndo quod *omnes descendebant ad Infernum, decernitur* [*a sanctissima Trinitate*] *in sua aeternitate, ut secunda Persona homo fiat, ad salvandum genus humanum; atque ita ubi venit plenitudo temporum, mittendo Angelum S. Gabrielem ad Dominam nostram* (10). *Infra* [*inter Mysteria Vitae Iesu Christi Domini nostri*].

(9) *Ex libris de Imitatione Christi, vel Evangeliorum.* - Notandum, primo loco poni lectionem aliquam ex libris de Imitatione Christi; haec enim planior, neque talis quae mentem avertere a praecipuo contemplationum argumento possit, sed potius ad practicas conclusiones, inter meditandum conceptas, magis confirmandas aptissima est. *Tò etc.* quod additur in versione vulgata, abest in autographo, nec enim pro lubitu variandi sunt libri, etiam pii, inter Exercitia legendi.

(10) Cum S. P. pro hoc Exercitio remittat hoc loco ad ea puncta, quae habentur infra, scil. in serie Mysteriorum Vitae J. C. D. N., quaeri potest cur ergo ponat mox, et in hoc ipso Exercitio, et in sequenti de Nativitate, tria illa puncta, quorum primum *personas*, secundum

Secundum pertinet ad loci compositionem, quae erit visio imaginaria, perinde ac si oculis pateret terrae universae ambitus, quam habitant tot diversae gentes. Deinde ad certam mundi partem domuncula spectetur beatae Virginis, apud Nazareth in provincia Galilaeae sita.

Tertium continet gratiae postulationem, ut intime cognoscam, quo pacto Dei Filius mei causa sit homo factus, ut ardentius ipsum amem, et ab hinc sequar studiosius.

Notandum hic est, tam orationem praeparatoriam, quam tria praeludia, per totam hebdomadam, et reliquas sequen-

Secundum, compositio videndo locum. Hic erit, videre magnam capacitatem et ambitum mundi, ubi habitant tam multae ac tam *diversae gentes. Similiter deinceps [videre] in particulari domum et cubicula Dominae nostrae, in civitate Nazareth in provincia Galilaeae.*

Tertium, petere id quod volo. Erit hic, petere cognitionem intimam Domini, qui *pro me factus est homo; ut magis ipsum amem, eumque [magis] sequar* (11).

Convenit hic notare, quod eadem haec oratio praeparatoria, sine mutatione, ut dictum est in principio, et eadem

earum *verba,* tertium *actiones* contemplandas docet? Huic quaestioni respondet Directorium Cap. XIX. §§. 5. et 6., ac modum tradit, quo vel rudis quisque, modo bonae voluntatis sit, vitam J. C. meditari facilitate maxima nec minore fructu poterit. « Quod in meditatione, inquit, « Incarnationis et Nativitatis dicitur de contemplandis personis, et « earum verbis, et operibus, intelligi debet, referendo ad illam, quam « diximus distributionem, quae in fine libri ponitur, nempe cogitando « haec in singulis punctis, ut occurrunt ordine suo; non autem quod « necessarium sit omnes prius personas totius mysterii, deinde omnia verba eiusdem, ac demum opera separatim meditari; hoc enim, « praesertim in quibusdam meditationibus, pareret confusionem. Quare « hoc tantum voluit B. P. Ignatius regulam dare in singulis punctis, « quo meditantis intentio ferri debeat: primum quidem in ipsas personas, quae in illo puncto occurrant, tum ad verba, si prius verba, « vel ad facta, si prius occurrant facta. Et ita absoluto uno puncto « transeatur ad aliud, eumdem ordinem in eo servando ». Et addit §. 7. « Ceterum etsi hic tantum mentio fit de his tribus, non tamen « prohibetur, quin possint etiam addi alia puncta, ut v. g. cogitationes « et affectus personarum interiores, tum etiam virtutes, et praeterea « modus et finis mysteriorum, quae occurrunt, causa item, et effectus, « tempus, et reliquae circumstantiae, ut fecundior sit meditatio, et « maior eius fructus ». Ergo quae S. P. mox subiicit puncta, personarum, verborum, et operum, non tam *ordinem* in meditatione servandum exprimunt, quam *materiam* circa quam versari meditatio debet.

(11) Notandum diligenter, quae sit *duplex gratia,* quam in hoc tertio praeambulo postulare docemur. Est enim haec eadem petitio praescripta pro omnibus mysteriis secundae huius hebdomadae, scilicet, ut intime *cognoscamus* Dominum Iesum, et magis Ipsum *amemus* et *imitemur. Cognitio* enim *intima Iesu Christi, Eiusque amor et imitatio* proprius est totius hebdomadae scopus, isque fructus in omnibus his mysteriis quaerendus.

tes itidem fieri, praeludiis dumtaxat pro diversitate rerum variatis.

tria praeambula facienda sint in hac hebdomada, et in ceteris subsequentibus, mutando forma [praeambulorum] iuxta subiectam materiam.

Punctum primum est, ut speculer personas omnes, de quibus agitur: et primo quidem homines super faciem terrae degentes, adeo moribus, ges-

Primum punctum est, videre personas, unas et alteras [successive], et primo eas [quae sunt] super faciem terrae, in tanta diversitate (12), *ita in*

(12) *In tanta diversitate.* - Nemo hanc tantae varietatis enumerationem otiose positam a S. P. N. existimet, aut imaginationi solum iuvandae inservire; sed, ut in tam diversis hominum generibus, *alborum, nigrorum etc.* unam eamdemque humanam naturam contemplantes, et omnes ad eumdem finem creatos, et Filium Dei pro omnibus hominem factum etc., zelo etiam nos *universali* accendamur, ad iuvandos sine discrimine omnes. - In *pacis* item ac *belli,* in *risus* et *fletus etc.* commemoratione, humanae vitae vicissitudines, et pravorum affectuum amaros fructus, et peccati tristissimos in humano genere effectus; mortalium denique miserias oculis veluti obiectas conspicimus, ut quanta fuerit, quamque necessaria piissimi Redemptoris misericordia, magis intime sentiamus. Fusius a S. P. in his punctis hominum, quales forent sine Redemptionis beneficio, qualesque etiam nunc per summam pravitatem nimis, heu! multi sunt, *personae, verba, opera,* contemplanda proponuntur, ut ex mali magnitudine Redemptionis beneficium magis eluceat, eius augeatur aestimatio, et animus ad amorem Redemptoris magis magisque exardescat. Quae quidem consideratio pravitatis ac miseriae generis humani, nisi a S. P. hoc loco tamque enucleate poneretur, eam ex punctis in fine libelli positis pauci fortasse, vel vix paucissimi eruissent. Pertinebit autem certe haec consideratio ad primum punctum Mysterii prout in fine libri proponitur, in quo dum Angelum a Deo missum contemplamur, reflexione facta ad causam cur mittatur, sponte ad Redemptionis beneficium, quod *mundo,* seu humano generi, *tali* (cuius tales sunt *personae,* talia *verba,* talia *opera*), confertur, mentem delabi pronum est; v. g:

Mundus-homines - « Omnes unius patris filii - patris nobilissimi « quondam, sed qui ob praevaricationem suam gradu suo deiectus, « filios genuit omnes *degradatos* - heu! quales! - Quid, si non fuisset « concessus Redemptor?

« Redemptio quidem iam inde ab exordio mundi promissa - ni- « hilominus, in hominibus brevi oblivio Dei; - poenae divinae - diluvii « - ignis - oblivioni datae; - familia una electa, in qua divinae pro- « missionis memoria servaretur, ex hac populus electus; - at hic ipse « *qualis* demum lapsu temporis! - Quin etiam nunc, post completum « opus Redemptionis, *quales* homines!

« *Alii in bello* - furor, crudelitas; alii *in pace* - otium, luxus, libido, « mala ex saturitate panis; alii *plorantes,* - hi longe plurimi - at ple- « rique sine merito, et propter malitiam suam sine remedio; alii *ri-* « *dentes* - vanis gaudiis, vel etiam turpibus, libidinum, spectaculorum, « chorearum, comessationum et ebrietatum - et horum omnium gau- « diorum *extrema luctus occupat;* alii *nascentes* - in miseriis et fletu; « alii *morientes* - in angustia et doloribus et desperatione; inter hos « *viventes* medii inter utrosque, immemores *principii* sui, et *finis*

tibus, et actionibus diversos; quosdam albos, et nigros alios; nonnullos fruentes pace et reliquos bellis agitatos; hunc plorantem, et ridentem illum; sanum unum, alterum aegrotum; nascentes multos, et multos vicissim morientes, ceterasque varietates prope innumeras.

vestibus [habitibus], ut in gestibus [et vultibus; homines] alios albos, et alios nigros; alios in pace, et alios in bello; alios plorantes, et alios ridentes; alios sanos, et alios infirmos: alios nascentes, et alios morientes, etc.

Deinde contemplandae erunt Personae tres divinae, e solio regali suo intuentes hominum genera in superficie terrae caecorum more viventium, et descendentium ad infernum.

Secundo videre et considerare tres Personas divinas, veluti in suo solio regali, sive throno suae divinae Maiestatis, *quomodo intuentur universam faciem et ambitum terrae, et omnes gentes* (13) in tanta coecitate, *et [vident] quomodo moriantur et descendant ad Infernum.*

Postea Virginem Mariam cum Angelo eam salutante considerabimus; aliquid inde

Tertio, *videre Dominam nostram* (14), *et Angelum* (15), *qui illam salutat; et reflecte-*

« sui - toti in cupiditatibus suis. - Tales homines per universum mun-
« dum, caeci, insani, ruentes in interitum - et inter hos *ego* cum caecis
« caecus, insaniens cum insanientibus - nisi misericordia Redempto-
« ris! »

Ceterum ista consideratio de humani generis pravitate et miseria tantae est utilitatis, ut si vel tota hora huius Exercitii in hoc solo puncto nobis effluat, nequaquam sit, cur operae huius ac temporis nos poeniteat.

(13) *Omnes gentes* - *Omnes* omnino et *singulos homines* in tanta caecitate viventes, et ad infernum ruentes, *omnes* cernere dicitur Deus, - plane *omnes* et *singulos*. Quia considerantur hoc loco homines, quales essent, qualesque futuri fuissent in vita, et in morte, et post mortem in aeternum, nisi Redemptor fuisset concessus. Adhuc enim genus humanum cernitur, abstractione facta a beneficio Redemptionis.

(14) *Dominam nostram.* - Quae *sola sine exemplo placuit* Deo, ignota licet mundo, et pauper, et in paupere domo, in ignobili oppido ignobilis provinciae Galilaeae, inter populum mundo despectum commorans, ac pauperi fabro desponsata. - Quam vero venerabilis nobis, quae sic salutatur ab Angelo, quam immo Deus omnipotens sic honorat! Quid umquam obsequii et honoris praestari potest Virgini a nobis mortalibus, quod huic tanto honori a Deo eidem impenso comparetur? - Ipsa quidem tantis laudibus suis auditis turbatur - (non legitur turbata fuisse, cum durius compellaretur). - Sed... *Ne timeas, Maria! Invenisti enim gratiam apud Deum.* O felix Maria!

(15) *Angelum* - qui princeps licet inter Angelorum milia, nequaquam ducit indignam se, neque invidiosam suae dignitati, legationem hanc ad Virginem, licet legationis finis exaltatio sit humanae non angelicae naturae.

semper ad nos reflectendo, ut ex consideratione tali fructum aliquem referamus.

Secundum punctum est, auditu interno excipere, quid loquantur personae omnes, ut homines in terris confabulantes, blasphemantes, sibique invicem conviciantes; divinae vero Personae in Coelo de ridimendo humano genere colloquentes; Virgo et Angelus in cellula de incarnationis Mysterio tractantes. Quorum omnium reflexione, seu applicatione quadam ad meipsum facta, studebo ex singulis nonnihil fructus decerpere.

Tertium consequenter erit, actiones quoque personarum simul attendere: ut puta, quomodo se invicem mortales infestent, concutiant, trucident

re (16) *ut fructum capiam ex tali aspectu.*

Secundum punctum, audire quae loquuntur personae super faciem terrae, scilicet, quomodo *loquuntur inter se,* quomodo *iurant et blasphemant* etc. (17). *Similiter* [*audire*] *quae dicunt Personae divinae, scilicet:* Faciamus redemptionem generis humani etc.; *et postea, quae loquuntur Angelus et Domina nostra; ac dein reflectere ut fructum capiam ex earum* [*personarum omnium*] *verbis.*

Tertium, postea considerare quae faciunt *personae super faciem terrae, scilicet,* [*quomodo se invicem*] *feriunt, oc-* (18): *item,* quae faciunt *Per-*

(16) *Reflectere ut fructum capiam.* - Reflexio haec, in qua aliqua practica conclusio formanda est, facienda semper ad singula puncta, et ad singulas etiam puncti cuiusque partes. *Fructus* autem multiplex esse potest, et varius, pro varietate *personae,* quae contemplatur, pro animi habitu, in quo ipsa *versatur,* puta consolationis vel desolationis, laetitiae vel tristitiae, devotionis vel ariditatis etc., denique pro cuiusque animae *necessitate.* Nam sive purganda sit a vitiis, sive a virtutis exercitatione versetur, sive ad unionem cum Deo intimam adspiret, in omni mysterio *fructum* quaerere sibi *proprium* debet. Ac sane et peccati detestatio, malitiae propriae agnitio, compunctio, contritio etc.; et humilitas, patientia, obedientia, mansuetudo, mundi suique contemptus etc., et Dei denique amor, sui in omnem Dei voluntatem resignatio, delectatio de Deo et in Deo, Eius bonitatis ac sapientiae, ceterorumque attributorum admiratio etc., *fructus* sunt, qui ut ex quovis mysterio colligi possunt, ita ex is unicuique convenit eos *sibi* colligere, quibus praecipue indiget, ad quos etiam se a divina gratia impelli magis sentiet. Ita scilicet oratio et contemplatio *manna* est, *omne delectamentum in se habens et omnis saporis suavitatem* (Sap. 16). Iuvabit, si meditans seu contemplans, consideratis, quasi praesens adesset rei gestae, *personis,* itemque *actionibus,* vel auditis *verbis* quae dicuntur, ad se conversus quaerat ex se: *Ad haec quid tu? - Tu quis es? Quid dicis de te ipso?* Et ad has quaestiones ita respondeat coram Deo, ut non se palpet, sed agat secum vere, sincere, severe, ac si non de se, sed de altero, cui optime cupiat secundum Deum, ageretur. - Ceterum numquam praetermittendus est proprius meditationis seu contemplationis finis, pro quo in tertio praeambulo semper supplicamus.

(17) Quid homines loquantur, iuverit videre inter alia in Ps. 11., itemque Ps. 119.

(18) *Amor proprius* dominans, cum superbia, *libidinem* et *crude-*

et omnes ruant ad Inferos; quomodo sanctissima Trinitas Incarnationis opus exsenitas Incarnationis opus exsequatur; quomodo item sua Angelus fungatur legatione, et beata Virgo humillime se gerens, divinae gratias agat Maiestati. Ex quibus ad nos ipsos, ut dictum est, reflexis, fructus obiter est legendus.

Colloquium postremo subiciam, disquisitis studiose verbis, quibus divinam quamlibet Personam, Verbum Incarnatum, et ipsius Matrem digne valeam compellare: petendo etiam pro affectu, quem in me sensero, quidquid ad maiorem iuvet imitationem Domini mei Iesu Christi, velut nunc recens incarnati. Recitabitur in fine *Pater noster.*

sonae divinae, scilicet, operantes sanctissimam *Incarnationem,* etc. *et similiter,* quae faciunt Angelus et Domina nostra, *scilicet, Angelus agens suum officium Legati, et Domina nostra* humilians se (19), *et agens gratias divinae Maiestati; et postea reflectere, ut aliquem fructum capiam ex* unaquaque *ex his rebus.*

In fine faciendum est colloquium (20), cogitando quid loqui debeam *ad tres Personas divinas,* vel *ad Verbum aeternum incarnatum,* vel *ad Matrem* [*eius*] et Dominam nostram; *petendo, secundum id quod* [*quis*] *in se senserit,* [*quae iuvent*] *ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum, ita recens* (21) [*nuper,* modo] *incarnatum: dicendo* [*in fine*] Pater noster.

litatem vitia facit esse communia et quasi caracteristica hominis degradati; impellente etiam *inimico naturae humanae,* qui et in cultu sibi in idolis praestito duplex illud vitium consecrabat, pro illo odio quo et animam hominis et corpus prosequitur. - *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis.* (Ps. 13).

(19) *Humilians se.* - Sane verba Virginis: *Ecce ancilla Domini etc.* eiusmodi sunt, ut non adeo gaudium de tanta dignitate, sed resignationem potius ad grave onus suscipiendum exprimere videantur. Et revera dignitas Matris Dei in hac quidem vita non aliquod ei privilegium, non exemptionem ab humanae vitae miseriis attulit, sed gravissimos potius labores et aerumnas. Has ille sine dubio prospexit, omnesque una cum dignitate sponte acceptavit. Unde merito cum Ecclesia illis S. Augustini verbis B. Virginem compellamus: « O beata Maria, « quis tibi digne valeat iura gratiarum ac laudum praeconia repen- « dere, quae *singulari* tuo *assensu* mundo succurristi perdito ».

(20) *Colloquium etc.* - Ut in hac tota contemplatione ex autographo observari potest simplicitas maior, quam in versione vulgata, itemque series rerum contemplandarum magis distincta, ita in colloquio notatu dignissimum est, non haberi in autographo illa: *disquisitis studiose verbis, quibus... digne valeam compellare.* S. P. vult, ut in hoc colloquio cogitemus, *quid* loqui debeamus, non *quomodo seu quibus verbis.* De *sensu* enim et *affectu,* non de *verbis* agitur. Quod licet per se satis pateat, posset tamen modus, quo versio vulgata rem exprimit, alicui inutilem sollicitudinem ingerere.

(21) *Recens* (nuper, *modo*). - Nempe ita contemplandum est hoc

SECUNDA CONTEMPLATIO

de Nativitate

Oratio praeparatoria sicut supra.

Praeludium primum ex historia dependet, quae recensenda est ab egressu beatae Virginis, ex oppido Nazareth: quo scilicet modo iam nono mense gravida, et insidens asinae (ut pie meditari licet), ac Ioseph comes, cum ancillula, et bove, profecti sunt Bethlehem, tributum a Caesare exactum pro se soluturi.

Secundum vero deducendum erit ex consideratione itineris, aestimata eius longitudine, obliquitate, lenitate, vel asperitate passim occurrente. Deinceps etiam nativitatis locum rimabimur speluncae similem: latum, vel angustum, planum, vel erectum, commode, vel incommode paratum.

Tertium a superiore nihil mutabitur.

Punctum primum est, aspectus personarum, ut Virginis

SECUNDA CONTEMPLATIO

est de Nativitate.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est historia; et erit hìc, quomodo a Nazareth egressi sunt Domina nostra, novem fere *mensibus gravida, ut pie meditari licet* (22), *insidens asinae, et Ioseph, et ancilla, ducentes bovem, ut irent in Bethlehm ad solvendum tributum, quod Caesar omnibus illis regionibus imposuerat. Infra* [*vide in Mysteriis Vitae Iesu Christi Domini nostri*].

Secundum, compositio, videndo locum. Erit hìc, visu imaginationis videre viam a Nazareth ad Bethlehem, *considerando* [*eius*] *longitudinem, latitudinem, et an plana sit talis via, vel an per valles, aut clivos; item considerando locum, sive speluncam nativitatis, quam amplus* [*sit locus*] *quam exiguus, quam* humilis, *quam* altus, *et quomodo erat paratus.*

Tertium erit idem, et eadem forma, quae fuit in praecedenti contemplatione.

Primum punctum est, videre personas, scilicet videre Do-

Mysterium, et cetera omnia, ac si coram nobis agerentur. Meditandum scilicet non tamquam de re dudum *praeterita*, sed tamquam de *praesenti*.

(22) *Ut pie meditari licet.* - Haec verba apposita leguntur in hispano quidem exemplari post illa verba: *novem fere mensibus gravida*, in antiqua vero latina versione *ms.* habentur post illa: *cum bove.* Utrobique autem apposita sunt in margine, propria S. P. Ignatii manu, et referuntur, ut patet, ad omnia hoc loco dicta, quae Evangelium non exprimit.

Deiparae, et Ioseph coniugis, cum famula, et Christi Domini ut infantis nunc primum nati (*): inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, eorum utcumque necessitatibus, cum reverentia maxima, famulantem. Ac inde quid ad me redire emolumenti, ex tali spectaculo possit, dispiciam.

minam nostram et Ioseph et ancillam et Iesum infantem, postquam natus fuerit (23), faciendo [*exhibendo*] (24) *me pauperculum, et servulum indignum, spectando illos, contemplando illos, et serviendo illis in suis necessitatibus, ac si praesens adessem, cum omni possibili obsequio* [*s. humilitate, devotione*] *ac reverentia; ac dein reflectere in me ipsum, ad capiendum aliquem fructum.*

Secundum conficitur ex verborum, quae ibidem fiunt, apprehensione fructuosa.

Secundum, attendere (25), advertere, *et* contemplari *ea, quae* [*personae*] *dicunt, et reflectendo in semetipsum fructum aliquem capere.*

Tertium, ex negotiorum, quae illic geruntur, inspectione, puta itineris, laborum, et causarum, ob quas summus omnium Dominus in summa

Tertium, spectare et considerare ea quae faciunt, ut est, iter facere, et laborare [*ferre labores, aerumnas*], ut *Dominus* nascatur (26) *in summa*

(*) *In primo puncto:* Inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, eorum utcumque necessitatibus, etc. *addatur ex autographo:* inter quos me adesse fingam, tamquam pauperculum, et servulum indignum, eos spectantem, contemplantem, et eorum necessitatibus cum reverentia maxima famulantem.

---

(23) *Postquam natus fuerit.* - Ita magis proprie ex autographo: nam et in initio huius contemplationis infans Iesus nondum censetur natus.

(24) Vid. ad Fundamentum not. 5.

(25) *Attendere, advertere,* et *contemplari.* - Cum in primo puncto dicatur *videre,* et in tertio *spectare et considerare,* cur in hoc secundo puncto, ubi *verba* consideranda esse monemur, non dicitur: *audire,* prout in contemplatione de Incarnatione? Fortasse, quia, cum in hoc mysterio nulla prorsus *verba* ex historia Evangelica, nonnisi *contemplando advertendo* et *attendendo,* cogitari probabiliter possunt. - Porro patet, in hoc puncto considerari merito posse, non solum quae personae *dicunt,* sed etiam quae *non dicunt,* ut: non querelas et murmurationes de tributo a Caesare imposito, vel de iniuria sibi in Bethlehem facta, etc. Item *silentium* plerumque tum in via, tum in ipso Nativitatis loco, etc.

(26) *ut... nascatur.* - Textus hisp. sic habet: *para que sea nacido;* quod quidem significare etiam potest: *ad quid* seu *quare natus sit.* Et hunc sensum vulgata versio exprimit, addita coniunctione *et,* quae

natus sit egestate, laturus quoque in hac vita cum perpetua paupertate labores, famem, situm, aestum, frigus, opprobria, verbera, et crucem tandem subiturus, idque mei causa: unde per singulas studebo proventum aliquem spiritualem colligere.

Haec demum concludenda erunt inito colloquio, et finito cum *Pater noster.*

paupertate, et post tot labores, post famem, post sitim, post aestum et frigus, post iniurias et contumelias, ut [*tandem*] *moriatur in cruce, et* omnia haec *propter me. Deinde reflectendo capere aliquem fructum spiritualem.*

Finem imponere per colloquium, ut in praecedenti contemplatione (27), *et* Pater noster.

TERTIA CONTEMPLATIO

est repetitio praecedentium duarum.

Pro tertio Exercitio, seu contemplatione, repetuntur duae praecedentes, cum oratione praeparatoria, et iisdem tribus praeludiis, notando ubique, et fixius tractando illas partes, in

TERTIA CONTEMPLATIO

erit repetitio primi et secundi *Exercitii.*

Post orationem praeparatoriam, et tria praeambula, fiet repetitio primi et secundi *Exercitii, notando semper aliquas partes magis praecipuas, in quibus senserit quis aliquam*

in autographo non habetur. Nos vertimus: *ut... nascatur* (litteraliter verteretur: *natus sit),* tum quia sic habet antiqua versio *ms.* qua S. P. usus est, tum quia sensui ex contextu magis videtur accommodatum. - Scilicet, iter illud ex Nazareth in Bethlehem et labores Mariae et Ioseph eo erant directi, Deo sic disponente, *ut* Iesus nasceretur in summa paupertate, ac tale daret initium vitae aerumnosissimae, in cruce tandem consummandae. Homines quidem passim itinera suscipiunt, vel delectationis gratia, vel ut commodius habeant. Mariae et Ioseph iter contra ad hoc dirigitur, ut Iesus incommodius et in maioribus egestatis aerumnis nascatur. - Quod habet vulgata versio: *causarum ob quas* ita *natus sit,* habet etiam illud incommodi, quod ad subtiliorem disquisitionem *causarum* invitare videatur, praeter S. P. mentem; cum praesertim in fine dicatur: *et haec omnia propter me,* quae est *causa* potissimum in contemplatione ponderanda ad fructum spiritualem consequendum, affectum scilicet maioris amoris erga Christum cum imitationis desiderio, qui amor harum contemplationum scopus est; omissa subtili inquisitione causarum, quae ad theologicas speculationes magis pertinet.

(27) *Ut in praecedenti contemplatione.* - Ita ex autographo, et est monitum valde utile, ne forte vagemur extra proprium harum contemplationum finem, sed semper tendamus ad earum scopum proprium, *maiorem* scilicet *amorem,* et *imitationem* Christi Domini, qui etiam in tertio praeambulo seu praeludio, tamquam proprius fructus, semper postulatur.

quarum priore transcursu aliquid illustrationis, consolationis, vel desolationis acceperim. Subdetur etiam colloquium oratione Dominica, ut prius.

Notandum, eumdem esse repetendi Exercitii modum et ordinem in hac hebdomada, et in sequentibus, qui fuit in prima; nisi quod mutatur materia, eadem forma permanente.

cognitionem, consolationem, vel desolationem, faciendo similiter colloquium in fine, et [*recitando*] Pater noster.

In hac repetitione, et in omnibus sequentibus, idem servabitur ordo procedendi, qui servabatur in repetitionibus primae hebdomadae, mutando materiam, et retinendo formam.

QUARTA CONTEMPLATIO

est primae ac secundae iterata repetitio, proximae praecedenti penitus conformis.

QUARTA CONTEMPLATIO

erit repetitio primae et secundae eodem modo quo facta est in supra dicta [*praecedenti*] *repetitione.*

QUINTA CONTEMPLATIO

est applicatio sensuum ad praedictas.

QUINTA [CONTEMPLATIO]

erit trahere [*applicare*] *quinque sensus super* primam et secundam *contemplationem.*

Post orationem praeparatoriam, cum tribus iam dictis praeludiis, apprime conducit, quinque imaginarios sensus circa primam et secundam contemplationem, eo, qui sequitur, modo exercere, prout res subiecta feret.

Punctum primum erit, secundum imaginationem respi-

Post orationem praeparatoriam, et tria praeambula, prodest (28) *ducere* [*applicare*] *quinque sensus imaginationis per* [*s. ad*] *primam et secundam contemplationem modo sequenti.*

Primum punctum est, videre (29) *personas visu imagina-*

(28) *Prodest.* - Quis dubitat, quin uberem fructum colligere potuisset, si cui coram adesse Mysteriis illis, cum agerentur, licuisset? - Ergo simile quid praestat ista applicatio sensuum, viva fide et animo praesenti et vigili instituta.

(29) *Videre* - minorem dicit intensionem, facilitatem proinde ac suavitatem maiorem, quam *respicere.* Hoc enim potest inducere ad vim capiti inferendam, illud non item. Quod quidem eo magis notandum est, quod Exercitium applicationis sensuum ex mente S. Patris minorem contentionem requirat; quapropter illud etiam semper ultimo loco

cere personas omnes, et notatis, quae circa eas occurrent, circumstantiis, utilitatem nostram elicere.

Secundum, velut audiendo, quid loquantur, aut loqui eas deceat, omnia in usum nostrum attrahere.

Tertium, interiore quodam gustu, et olfactu sentire, quanta sit suavitas, et (*) dulcedo animae, divinis donis ac virtutibus imbutae, iuxta rationem personae, quam consideramus, adaptando nobis ea, quae fructum aliquem afferre possint.

Quartum, per internum tactum attrectare, ac deosculari vestimenta, loca, vestigia, ceteraque personis talibus coniuncta, unde fiat nobis devotionis, vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio.

tionis, meditaando et contemplando in particulari circumstantias earum, et capiendo aliquem *fructum ex* [*huiusmodi*] *visione* [*aspectu*].

Secundum, audire auditu ea quae loquuntur, vel loqui possunt, *et reflectendo in se ipsum, capere inde* aliquem *fructum.*

Tertium odorari et gustare (30) *olfactu et gustu* infinitam *suavitatem ac dulcedinem divinitatis, animae, eiusque virtutum, et ceterarum rerum, iuxta rationem personae quam contemplamur, reflectendo in se ipsum et capiendo inde fructum.*

Quartum, tangere (31) *tactu, ut, v. g. amplexari et osculari loca ubi tales personae vestigia ponunt et sedent;* semper *procurando fructum inde capere.*

(*) *In quinta Contemplatione. In tertio puncto:* Dulcedo animae divinis donis etc. *legatur:* Dulcedo divinitatis, animae, eiusque virtutum, ac ceterorum omnium, iuxta rationem etc.

ponit, inter cuiusvis diei exercitia faciendum *ante coenam,* quando scilicet Exercitantis animus exercitiis per diem factis iam fatigatior censeri potest ac debet. Itaque applicatio sensuum praecipue suaviter et absque contentione instituenda est.

(30) *Odorari et gustare.* - Coniunguntur hi duo sensus, quorum alter altero propius quidem et immediatius afficit, uterque tamen unice ad *affectum* pertinet, delectationis scilicet et amoris spiritualis, vel contra horroris, aversionis, nauseae, et odii; possunt enim hi sensus non ad sancta modo applicari, sed etiam ad contraria, ut si in praesenti materia ad *mundum,* hominesque mundanos, eorumque scelera et scelerum poenas admoveantur, foetoris scilicet et amaritudinis sensus percipiatur necesse est.

(31) *Tangere.* - Adverte a S. Patre *loca* solum *tangenda,* non autem vestimenta, nedum personas commemorari; ad quas tamen seu amplexandas, seu osculandas si pia animae valde purae devotio impellat, memoria tenendum, quod sapienter monet Directorium, fieri id non debere nisi *cum omni reverentia, et modestia, ac timore* (Direct. c. XX.

Huic erit contemplationi per colloquium imponendus finis, sicut prioribus, adiecto itidem *Pater noster.*

Terminandum est [Exercitium] colloquio, ut in prima et secunda contemplatione, et recitando semel Pater noster.

Notanda insuper sunt haec quinque. Primum, quod tam in hac, quam in qualibet sequente hebdomada nullum debeo legere, vel cogitare aliud Mysterium, nisi quod eadem hora aut die considerandum sit, cum alioquin unum alteri obturbet.

Prima nota. Advertendum est pro tota *hac hebdomada et ceteris sequentibus, quod solum debeo* legere (32) *Mysterium contemplationis, quam* immediate *facturus sum, ita ut pro tunc nullum legam Mysterium, quod illa die, vel illa hora non facturus [contemplaturus] sim;* ne *consideratio unius Mysterii obturbet considerationi alterius.*

Secundum, quod primum de Incarnatione Christi Exercitium fit media nocte, proximum diluculo, tertium circa horam Missae, quartum sub Vesperas, quintum paulo ante coenam, et eorum cuilibet spatium impendetur unius horae; id quod abhinc deinceps ubique venit observandum.

Secunda. Primum Exercitium de Incarnatione fiet media nocte, secundum in aurora, tertium ad horam Missae, quartum ad horam Vesperarum, *et quintum ante horam coenandi; perdurando spatium unius horae in quovis ex his quinque Exercitiis, atque idem ordo servabitur in omnibus sequentibus.*

Tertium, quod si is, qui exercitatur, sit senex, vel per hebdomadam primam viribus attritus, praestat eum aliquoties non surgere de nocte, sed tres tantum contemplationes peragere, in aurora, circa Missae tempus, ante prandum (*),

Tertia. Advertendum est, quod, si qui facit Exercitia sit senex, vel debilis, *vel* etiamsi robustus, *si ex prima hebdomada remanserit* aliquo modo debilis, *melius est, ut in hac secunda hebdomada,* saltem *aliquoties, non surgendo me-*

(*) *In quinque Notandis. In tertio:* Superaddita circa Vesperas una repetitione, et sensuum applicatione ante coenam; *ex autographo:* Superaddita circa Vesperas una repetitione, et postea sensuum applicatione ante coenam.

n. 1). - Iuvat meminisse verborum Psalmistae: *Coram illo procident* - et... *terram lingent.*

(32) *Solum debeo legere.* - Versio vulgata habet: *legere vel cogitare,* quod ultimum abest in autographo. Merito quidem. Et vero infra, in quarto ex Notandis, ubi Additionis sextae mutatio facienda praescribitur, non ita restringitur *cogitatio* Exercitantis. Praeterquam quod in

superaddita circa Vesperas una repetitione, et sensuum applicatione ante coenam.

dia nocte, faciat primo mane unam *contemplationem,* et alteram (33) *ad horam Missae,* et alteram *ante prandium, et super illas unam repetitionem ad horam Vesperarum, et postea applicationem sensuum ante coenam.*

Quartum, quod in hac hebdomada secunda, ex decem Additionibus in prima traditis, variari debent secunda, sexta, et septima, cum decima ex parte.

Quarta. In hac secunda hebdomada in omnibus decem Additionibus, quae dictae sunt in prima hebdomada, mutari debent secunda, sexta, septima, et ex parte decima.

In secunda quidem hoc mutatur, quod simul atque excitor a somno, meditationem proxime instantem debeo menti obiicere, ac desiderium provocare cognoscendi clarius incarnati aeterni Verbi, ut ipsi serviam, et adhaerescam tanto propensius, quanto incredibiliorem erga me bonitatem eius perspexero.

In secunda erit [*mutatio*], *statim ut excitatus fuero ponere mihi ob oculos contemplationem quam facturus sum, desiderando magis cognoscere Verbum aeternum incarnatum,* ut magis illi serviam et [*magis illud*] sequar.

In sexta vero, ut frequenti versem memoria Vitam Christi a tempore Incarnationis ad locum usque, sive Mysterium, de quo in praesenti die, vel hora sum meditaturus.

Et sexta [*Additio*] *erit, frequenter in memoriam reducere Vitam,* et Mysteria *Christi* Domini nostri, *incipiendo ab eius Incarnatione, usque ad locum seu Mysterium,* in cuius contemplatione versor (34).

In septima, ut luce, vel obscuritate, sereno coelo, vel turbido delecter, quatenus ad scopum refert desideratae rei pertingendum.

Et septima erit, ut qui exercetur, eatenus curet tenere obcuritatem vel claritatem, [*et*] *uti amoeno tempore vel diverso,* quatenus senserit sibi posse

variis actionibus per diem faciendis necessario alia etiam Mysteria identidem cogitanda sunt, ut in Sacro, in Horarum canonicarum recitatione, etc.

(33) *Et alteram - et alteram.* - Ita ex autographo patet, hoc loco S. P. intendere, ut omnino *quinque* Exercitia fiant, etiamsi media nocte non surgatur; id quod ab aliquibus in dubium vocari solet, vulgati scilicet textus ambiguitate deceptis. Dico: *hoc loco;* nam aliud est, quod in *Notando* sub die secunda permittitur vel suadetur pag. 96. Confer Annotationem S. P. in fine I. Hebdomadae ante 10 Additiones.

(34) *In cuius contemplatione versor.* - Ex autographo italice ad litteram verteretur; *che vado contemplando.*

prodesse et iuvare, ad inveniendum id quod desiderat.

In decima, ut ita me geram, sicut exigere videtur Mysterii contemplandi genus; cum nonnulla ex Mysteriis poenitentiam requirant, alia non item. Decem igitur Additionibus utendum erit circumspecte.

Et in decima Additione, ille qui exercetur debet se habere iuxta Mysteria quae contemplatur; quia quaedam postulant poenitentiam, et alia non. *Ita ut fiant* [*serventur*] *omnes decem Additiones* cum *multa* cura (35) [*diligentia et circumspectione*].

Quintum est ultimo notandum, quod in omnibus aliarum horarum (praeterquam noctis mediae et aurorae) Exercitiis assumendum erit aliquid, quod secundae et tertiae Additioni aequivaleat, hunc in modum: ubi primum in mentem veniet adesse meditandi horam, priusquam accedam, prospiciam eminus, quo ferar, et coram quo sim appariturus; ac transcursa obiter Exercitii oblati parte, contemplationem statim auspicabor.

Quinta nota. In omnibus Exercitiis, praeterquam in illis, quae media nocte et in aurora [*fient*], *assumetur* [*aliquid*] *quod aequivaleat* secundae *Additioni* (36) *modo qui sequitur: Statim ut recordabor adesse horam Exercitii, quod facere debeo, antequam vadam* [*ad illud*], *ob oculos mihi ponens* [*ponam*] *quo vadam, et coram quo, resumens* [*resumam*] *paululum Exercitium quod facturus sum, et* postea faciens tertiam Additionem (37), *intrabo in Exercitium.*

IN SECUNDA DIE

Argumentum primae et secundae contemplationis erit Christi Praesentatio in Tem-

SECUNDA DIE

sumere pro prima et secunda contemplatione Praesentationem in Templo, infra [*inter*

(35) *Cum multa cura.* - Ita ad verbum ex autographo. Quae clausula et referri videtur ad circumspectionem adhibendam in usu decem Additionum et esse iterata earum commendatio, ut *accurate* servandas esse intelligamus; variatis quidem in hac secunda hebdomada quatuor illis, de quibus in hac *Nota quarta* actum est.

(36) *Secundae Additioni.* - In versione vulgata mendose irrepsit: *et tertiae.* Et revera ad solam *secundam* Additionem haec nota pertinet. *Tertia* enim Additio eadem est in omnibus Exercitiis, nec umquam variatur. Quod etiam ex postremis huius Notae verbis, prout ea damus ex autographo, manifestum est.

(37) Hanc vide, et quod ibi notavimus n. 35. pag. 71.

plo, de qua infra (*), et fuga in Aegyptum; de qua etiam infra in Mysteriis Vitae Christi. Super duabus his contemplationibus fiet repetitio duplex, et sensuum applicatio, ut supra.

Mysteria Vitae I. C. D. N.], *et Fugam,* ut in exsilium, *in Aegyptum, infra* [*ibidem*]*; et super his duabus contemplationibus fient* duae repetitiones, *et applicatio quinque sensuum super illas, eodem modo quo factum est die praecedenti.*

Notandum, quod expedit nonnumquam eum, qui exercitatur, quamvis et vigore animi et corporis robore sit praeditus, nonnihil tamen remittere de praescriptis Exercitiis secundae huius hebdomadae, et subsequentium duarum; ut assequi, quod cupit, commodius valeat, accepta solummodo contemplatione una in crepusculo matutino, et altera circa Missae tempus; quarum repetitionem faciat hora Vesperarum, et sub coenam quinque imaginationis sensus super iisdem exerceat.

Interdum utile est, etiamsi is qui exercetur robustus sit ac dispositus, variari [*aliquid*] ab hac secunda die usque ad quartam, inclusive (38), *ut melius inveniat id quod desiderat, sumendo solum unam contemplationem summo mane, et alteram ad horam Missae, et repetitionem super illis facere ad horam Vesperarum, et applicare sensus* ante *coenam.*

DIE vero TERTIA

meditandum occurret, quo pacto puer Iesus apud Nazareth subditus erat Parentibus; deinde, quomodo ab eis reper-

TERTIA DIE

[*sumere pro prima et secunda contemplatione*] *quomodo puer Iesus erat obediens suis Parentibus in Nazareth* (39):

(*) *In secunda die.* Et fuga in Aegyptum, *additur ex autographo:* Et fuga eiusdem veluti exsulantis in Aegyptum.

---

(38) *Ab hac secunda die usque ad quartam, inclusive.* - Hic ergo sola quatuor Exercitia fieri concedit S. P. vel etiam suadet. Concessio tamen haec ex autographo ad *tres* solum *dies* extenditur, idque nonnisi *interdum* utile esse dicitur; nequaquam vero extenditur ad *tres* istas *hebdomadas,* ut versio vulgata habet. Vide quae supra notavimus ad Notam tertiam post primum diem huius hebdomadae n. 33. Cur autem S. P. hanc moderationem his potissimum diebus adhibendam concedit vel suadet? Fortasse, ut ad grave electionis negotium, quod post hosce dies inchoandum, mens alacrior ac minus fatigata accedat.

(39) Hoc loco S. P. invertit tantisper historiae Evangelicae seriem. Cur ita? Vide sequentem mox notam, n. 40.

tus fuerit in Templo, ut infra in Mysteriis Vitae Christi. Fient item duae repetitiones, cum sensuum applicatione.

infra [inter Mysteria Vitae Domini nostri], et quomodo postea invenerunt illum in Templo, infra [ibidem]; et ita consequenter facere duas repetitiones, et applicare quinque sensus.

Praeludium quoddam circa considerationem statuum seu generum vitae diversorum.

Praeambulum ad *considerandos status* (40).

Cum (*) supra propositum fuerit exemplum Christi, de vitae genere, quod in mandatorum Dei observatione consistit, et primus seu communis status appellatur, nunc idem ipse Dominus, dum Parentibus suis fuisse subditus memoratur, formam videtur exhibere alterius seu secundi status, pendentis ab obedientia, et perfectionem Evangelicam afferentis, quando videli-

Considerato iam *exemplo, quod Christus Dominus noster nobis dedit pro primo statu, qui consistit in observantia mandatorum, dum Parentibus suis obediens erat;* itemque, *[considerato iam exemplo, quod idem Dominus nobis dedit] pro secundo [statu] qui est perfectionis Evangelicae, quando remansit in Templo, relinquens Patrem suum adoptivum et Matrem suam natu-*

(*) *In Praeludio post contemplationem tertiae diei. Quod ibi dicitur de distinctione duplicis status, clarius ita ponetur ex autographo:* Cum supra propositum fuerit exemplum Christi de vitae genere, quod in mandatorum Dei observatione consistit, dum Parentibus suis fuisse subditus memoratur, et primus seu communis status appellatur; nunc idem ipse Dominus formam videtur exhibere alterius seu secundi status perfectionem Evangelicam afferentis, quando videlicet in Templum se contulit etc.

(40) *Praeambulum ad considerandos status. - Considerato iam exemplo etc.* Longe maior hic perspicuitas ex autographo, quam in versione vulgata. Sensus ergo S. P. est: « Considerato iam in Christo « Domino exemplo utriusque status, scilicet *primi,* communis, cum « oboediret Parentibus, et *secundi,* non communis sed perfectioris, cum, « relictis Parentibus, in Templo remansit: tempus est, ut incipia« mus » etc. Consulte S. P. in contemplationibus diei tertiae ordinem verborum Evangelii ipsiusque etiam historiae tantisper invertit; absque ullo quidem historicae veritatis detrimento, sed apposite ad scopum suum. Primo enim contemplandam proposuit pueri Iesu oboedientiam, ut formam vitae communis - *Erat subditus illis.* - Dein eiusdem mansionem in Templo, relictis Parentibus, ut formam vitae perfectioris - *Remansit puer Iesus in Hierusalem.* - Et huius utriusque Mysterii contemplatio, hoc ordine facta, viam sternit ad incipiendam considerationem statuum.

cet in Templum se contulit, Patre adscititio, et naturali Matre derelictis, ut aeterni Patris obsequio vacaret. Quare opportunum hic erit, nos quoque illius Vitam contemplantes, vestigare et efflagitare proprium vitae genus, in quo Maiestati suae nos servire malit.

Ad hoc igitur inquirendum, possumus introduci per sequens proxime Exercitium, ad Christi mentem attendentes, collatam cum opposita inimici. Discemus etiam exinde qua sit nobis opus dispositione, ut perfecti in eo evadamus statu, quemcumque Bonitas divina eligendum nobis suggesserit.

ralem, ut aeterni Patris sui servitio pure [*unice*] *vacaret; incipiemus* [*hoc loco*], simul *contemplando* (41) *eius Vitam, investigare, et petere, in quanam vita seu* [*in quo*] *statu divina sua Maiestas* nobis uti (42) [*ad suum servitium*] velit.

Et ideo pro aliqua *introductione* (43) *huius rei, in primo Exercitio sequenti* videbimus *intentionem Christi Domini nostri, et ex adverso* [*oppositam intentionem*] *inimici naturae humanae* (44), *et quomodo nos debeamus disponere, ut veniamus ad perfectionem in quocumque statu seu vita, quam Deus Dominus noster eligendam nobis* dederit (45). *

(41) *Simul contemplando.* - Non sunt ergo intermittendae contemplationes de Vita Christi, ut investigando statui vacetur; sed fieri hoc debet ex mente S. P., *simul contemplando eius Vitam,* per Mysteria, sequentibus diebus assignata. Dicitur autem debere nos et *investigare,* et *petere,* quid Deus a nobis circa vitae statum velit. Non sufficit solum *investigare,* nec sufficit solum *petere,* quid Deus a nobis circa vitae statum velit, sed utrumque facere necesse est. Vult enim Deus, ut et nos agamus quod nostrarum est partium, scilicet vires animi applicemus ad cognoscendum quid nos agere conveniat, ut Ipsi serviamus, et nihilominus nobis ipsi minime fidamus, sed Eius simul imploremus lumen et gratiam, ne qua ratione noster nos sensus decipiat; id quod facile accidit, etiam sub specie boni, ni divinum nobis adsit lumen, quod proinde instantissime in hoc tanto negotio efflagitandum est.

(42) *Nobis uti.* - Ita ex autographo, *nobis uti,* ut instrumentis, *ad suum servitium divina sua Maiestas velit.* Vide notata n. 11. ad quintam Annotationem inter 20. - *Velit,* non tantum *malit,* ut habet vulgata versio.

(43) *Pro aliqua introduction huius rei.* - Scilicet ut *aliquo modo* introducamur, tum ad *inquirendum,* seu investigandum, in quonam vitae genere Deus uti nobis velit, tum ad id *efflagitandum,* seu ad petendum hanc in rem lumen et gratiam.

(44) *Inimici naturae humanae.* - Vid. notata ad Annot. 7. inter 20. n. 15.

(45) *Eligendam dederit.* - Ita ex autographo. *Suggesserit,* quod habet vulgata versio, respondet solummodo investigationi status: *dederit,* respondet, tum *investigationi,* tum vel maxime *petitioni.*

* Diligenter consideranda quae modo a S. P. dicta sunt de *scopo* Exercitii proxime sequentis *de duobus Vexillis*. Nequaquam hic deli-

QUARTA DIE	*QUARTA DIE*
fiet meditatio de duobus Vexillis, uno quidem Iesu Chri-	*meditatio de duobus Vexillis* (46), *altero Christi* summi

beratio instituitur, uter sequendus sit, Christusne an Lucifer. - Talis enim deliberatio, ut Christo prorsus iniuriosa, ita inconveniens nec mediocriter absurda foret, ac plane non ferenda, hoc praesertim loco. Iam enim quisque, et in prima hebdomada Luciferum eiusque castra in aeternum exsecranda, et in *Regno Christi* Christum unice sectandum esse, probe intellexisse censendus est. Non igitur hoc agitur. - Sed eo dirigitur hoc *de duobus Vexillis* Exercitium, ut *aliquomodo introducamur* ad investigandum statum vitae. Est ergo praeambulum ad electionem recte faciendam, in quo consideramus, seu, ut S. P. loquitur, *videmus* quasi ob oculos nostros positam, hinc *intentionem* Christi Domini, inde *intentionem* Luciferi. *Intentionem,* quam hìc dicit S. Pater, intellige non tam *finem* ultimum, quem hinc Christus Dominus inde Lucifer sibi proponit, quam *media* per quae hinc Christus inde Lucifer homines perducere vel pertrahere ad propositum finem intendit. *Media* vero, tam quae Lucifer quam quae Christus adhibet, hoc loco proponuntur talia, quae per se sunt *indifferentia;* quia quae absolute bona vel absolute mala sunt, ea necessario vel amplecti vel respuere censetur, quisquis ad electionem faciendam accedat, et est haec animi dispositio fructus iam pridem collectus ex Exercitiis primae hebdomadae. Hinc etiam Luciferi *fraudes* in hoc Exercitio proponuntur, quae non recte dicerentur *fraudes,* si aperte ad res per se malas instigaret. - Haec porro consideratio intentionis Christi et oppositae intentionis Luciferi docet, qua ratione *disponere nos debeamus,* i. e. quem animum concipere, quae documenta sequi nos deceat, ut *perfecti evadamus in quocumque statu,* scilicet, sive status eligatur perfectionis Evangelicae, sive non; quia verum Christi Iesu spiritum, quem in hoc Exercitio docemur, cum oppositione ad fraudes Luciferi, cognovisse et hausisse utilissimum est omnibus, etiam illis qui non ad perfectionis Evangelicae statum vocatos se senserint, sed illum amplectantur, vel etiam dudum immutabili electione amplexi sint, quem S. Pater statum *communem* appellat. Mirum enim in modum iuvabitur ad virtutis perfectae exercitationem in quocumque statu, et ad vitandas inimici subdolas etiam tentationes, quisquis doctrinam hìc expositam probe teneat.

Quod si quis hanc Meditationem *de duobus Vexillis* cum altera *de Regno Christi* comparare velit, videbit, quam lucide, quam apte S. P. a generalibus ad particularia meditantem deducat, et quam suaviter usque et usque ad maiorem perfectionem, tum distinctius cognoscendam tum animosius amplectendam, invitet et impellat.

(46) *De duobus Vexillis.* - Nota, in hispanico non dici: *de las dos Banderas,* sed *de dos Banderas,* sine articulo. Itaque vertendum italice: *di due Stendardi;* non *dei due Stendardi;* gallice *de deux Étendards;* non: *des deux...* Cur ita S. Pater? Fortasse, 1. quia Vexilla haec per imaginationem dumtaxat proponuntur, ut sensus sit: *de duobus quibusdam veluti Vexillis.* 2. et praecipue, quia haec meditatio, ex mente S. Patris, est introductio et informatio et invitatio ad vitam perfectam in consiliis Evangelicis ac praesertim in vocatione Apostolica; proinde non omnino ad omnes pertinet. Licet enim *lato sensu* omnes ad alterutram partem, Christi scilicet vel Luciferi, actu pertineant, tamen a S. P. Vexilla haec duo *strictiori* quodam *sensu* intelliguntur, ut sub

sti optimi nostri Imperatoris, altero vero Luciferi, hostis hominum capitalissimi	Ducis (47) ac Domini nostri, *altero Lucifero, capitalis inimici nostrae* humanae naturae (48).
Oratio praeparatoria fit secundum morem.	*Solita oratio praeparatoria.*
Praeludium primum, erit historica quaedam consideratio Christi ex una parte, et ex altera Luciferi, quorum uterque omnes ad se vocat, sub vexillo suo congregandos.	*Primum praeambulum est historia. Erit hic,* quomodo Christus vocat (49) et vult omnes [*congregare*] sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum.
Secundum est ad constructionem loci, ut repraesentetur nobis campus amplissimus circa Hierosolymam, in quo Dominus Iesus Christus, tamquam bonorum hominum omnium summus dux assistat. Rursum alter campus in Babylonia, ubi se Lucifer malorum et adversariorum Ducem exhibeat.	*Secundum, compositio videndo locum. Erit hic, videre campum magnum totius illius regionis Hierusalem, ubi summus* Dux generalis *bonorum est Christus Dominus noster: alterum campum in regione Babyloniae, ubi* Caput *inimicorum* (50) [*daemonum*] *est Lucifer.*

alterutro non omnes absolute *militent* homines; sed ii praecipue, qui vel Luciferum plane sectantur, ac praesertim qui dictis factisque, tamquam eius satellites, conspirant cum eo ad animarum perniciem; vel qui sequuntur Christum Ducem, non utcumque, modove communi, sed perfecto per consilia Evangelica, et praesertim qui, ut ministri Christi, ei cooperantur ad animarum salutem. - Nec tamen ideo negamus, aliis etiam proponi posse hanc meditationem; cum omnibus, qui eius intelligendae sint capaces, utilissimum sit, et daemonis fraudes, et Christi verum spiritum, mundi spiritui oppositum, cognoscere, ut, sive quis iam statum habeat, sive quemcumque extra statum perfectionis Evangelicae eligat, in eo se perficere possit. Vide notam praecedentem.

(47) *Ducis.* - Hisp. *capitan,* malim latine *ducem* dicere, quam *imperatorem.* Rex enim noster benignissimus, non tam *imperio* mittit suos, quam exemplo *ductuque* praecedit. Etiam antiqua illa versio *ms.* qua ipsum S. P. Ignatium usum fuisse constat, ubique *ducem* Christum Dominum appellat.

(48) Vide notam. 15. in 20. Annotationes pag. 9.

(49) *Quomodo Christus vocat... et Lucifer contra...* - Parum interest fortasse, sed tamen multo magis placet, ex autographo, Christum et Luciferum in ipso hoc praeludio cum suis Vexillis separari, quam coniungi sub una phrasi: *quorum uterque... vocat sub Vexillo suo congregandos.*

(50) *Caput inimicorum.* - *Caput,* hisp. *caudillo,* quod quidem licet etiam ducem significet, non tamen adeo supremum dicit; cum *caudillo* pro *cabdillo* sive *capdillo* diminutivum sit a *cabo, capo, caput,* voces autem diminutivae in *illo* desinentes hispano idiomate fere contemptum sonent. Unde *Caudillo* usurpatur saepe pro duce alicuius factionis,

Tertium, ad gratiam petendam illud erit, ut poscamus exploratas habere fraudes mali Ducis, invocata simul divina ope ad eas vitandas; veri autem optimique Imperatoris Christi agnoscere mores ingenuos, ac per gratiam imitari posse.

Tertium, rogare id quod volo, *et erit hic, petere cognitionem fraudum mali* Capitis, *et auxilium, ut ab illis mihi caveam; et cognitionem* vitae verae, *quam ostendit summus et verus* Dux, *et gratiam ad illum imitandum* (51).

Punctum primum est, imaginari coram oculis meis, apud campum Babylonicum, Ducem impiorum in cathedra ignea, et fumosa sedere, horribilem figura, vultuque terribilem.

Punctum primum set, imaginari ac si sederet [sedere viderem] Caput *omnium inimicorum [daemonum] in magno illo campo Babyloniae, velut in magna quadam cathedra* ignis et fumi (52), *in figura horrenda atque terribili.*

etiam in malo sensu, ut pro duce latronum, facinorosorum. At vox *Capitan* cum epitheto *general,* numquam nisi nobilissimo sensu usurpatur. Ita ergo S. P. *nomine* etiam distinguit duos duces, Christo tribuens nomen *Capitan general,* quod legitimae militiae ducem supremum sonat, Lucifero vero nomen *caudillo;* quam distinctionem placuit in versione utcumque servare.

(51) Quaerat aliquis: cum haec meditatio ex mente S. P. sit invitatio ad vitam perfectam, ac praesertim Apostolicam, cur ergo non docet in hoc praeludio *zelum* etiam petere *animarum?* R. 1. Licet sit *invitatio* ad vitam Apostolicam, non tamen est exclusive pro iis, qui ad vitam Apostolicam re ipsa vocantur. Quin immo primarie est introductio ad Electionem, et etiam ad vitae Reformationem. Vide quae supra diximus n. 45. 2. *Zelus* quidem *animarum* excitari vehementer hic solet inter meditandum, ast petere docemur, tamquam *fructum proximum, gratiam duplicem,* ut semper alias pro subiecta materia, scilicet *illuminationis* intellectus ad cognoscendum, et *inspirationis,* seu motionis voluntatis ad abhorrendum vel amandum, ad cavendum vel amplectendum. Ita postea in colloquio distinctius exprimitur proprius huius meditationis fructus, qui est in aestimanda et desideranda *paupertate,* tum spirituali tum actuali, in aestimando item et amando *contemptus;* quia haec est *dispositio,* tum omnibus necessaria ad Electionem vel Reformationem perfectam, tum maxime iis, qui ad vitam Apostolicam vocentur aut iam vocati sint. - Pulchre vero a S. P. nostro *fraudibus* Luciferi opponitur *vita vera* in Christo Iesu; nam et *fraudes* sunt omnia Luciferi promissa, et denique ad *mortem* ducunt, cum Christus Iesu *veritas* sit et *vita,* et quae proponit, eo proponit *ut vitam habeant* sui, *et abundantius habeant.*

(52) *In magna quadam cathedra ignis et fumi,* sive *ex igne et fumo,* iuxta autographum. Cathedra fingitur *ex igne et fumo* conflata, in qua soliditatis nihil, nihil veri splendoris, sed mera *agitatio* ac turbatio perpetua cum densa *caligine* coniuncta. Haec porro imago *spiritum malum* exhibet, *qualis est,* non tamen *qualem se* hominum mentibus *obiicit;* cum enim sit *inimicus naturae humanae,* specie tenus *amicum* se fingit, et ideo *fraudes* texit, obiecta spe fallaci divitiarum, hono-

Secundum est, advertere quomodo convocatos daemones innumeros per totum orbem spargit ad nocendum, nullis civitatibus et locis, nullis personarum generibus immunibus relictis.

Secundum, considerare quomodo convocationem facit innumerabilium daemonum, et quomodo illos spargit, hos in talem civitatem (53), *et* illos in aliam, *atque ita per universum mundum, nullas omittendo provincias,* [*nulla*] *loca,* [*nullos*] *status* [*seu, nullas conditiones hominum*], nec personas ullas in particulari.

Tertium, attendere cuiusmodi concionem habeat ad ministros suos, quos instigat, ut correptis, iniectisque laqueis et catenis, homines primum trahant (quod fere contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde postea facilius in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiae barathrum deturbari queant.

Tertium, considerare concionem quam ad illos habet, et quomodo eos admonet (54) *ad iniicienda* [*hominibus*] retia *et catenas, ut primo* tentare [*eos*] debeant *cupiditate divitiarum, prout solet* [*ipse facere*] *ut in pluribus, quo facilius perveniant* ad vanum honorem mundi, *et inde ad* magnam *superbiam* (55).

rum etc.... Ast, quantumvis fingat, sese tamen prodit in effectibus, quos eius operationes seu *motiones* in anima producunt, qui in hac imagine Luciferi mirifice adumbrantur: *Babylonia,* confusio; *cathedra,* superbia; *ignis,* commotio absque quiete; *fumus,* tenebrae; denique *horror,* nec solum *horror,* sed etiam *terror;* quae duo non sunt synonyma. Contraria plane omnia in Iesu Christo. Conferre iuvat Regulas de discernendis spiritibus.

(53) *Hos in talem civitatem. etc.* - Ita distinctius ex autographo studium indicatur Luciferi, *destinandi* emissarios, hosque *innumerabiles* - *ad omnia mundi loca,* et tentandi *omnes* ac *singulos,* non modo *nullis personarum generibus,* ut habet vulgata versio, sed *nullis* etiam *particularibus personis immunibus relictis;* ut nemo sit, ubicumque sit. et in quocumque vitae genere, qui non cavere sibi debeat diligentissime.

(54) *Admonet* (*increpando instigat*), hisp. *amonesta,* quo verbo rabies Luciferi aliquomodo exprimi videtur, et imperii eius durities. Scilicet ita convenit Principi daemonum daemones adhortanti. Licet enim hi satis per se ipsi odio ardeant et ad nocendum sint promptissimi, tamen Lucifero scilicet *numquam satis.* Itaque *increpando instigat* - Vides in Lucifero *tyrannum,* qui cum clamore *convocationem facit* (*fa chiamata*) - *retia* et *catenas parat* - imperiose *instigat* suos - *tentare debeant* (*abbiamo a tentare*). - Omnia violentiam ac tyrannidem spirant. - Nota singula diligenter, et vide in Christo omnia opposita n. 59. infra.

(55) *Ad magnam superbiam.* - *Magnam,* hisp. *crecida,* quae novis semper incrementis *magna facta* sit. Antiqua versio *ms.* vertit: *arrogantem superbiam.* - *Superbia* itaque terminus est, gradus autem alter tentationum non est proprie *mundani honoris ambitio;* haec enim plus

Atque ita tres sunt praecipui tentationum gradus, in divitiis, honoribus, et superbia fundati: ex quibus in alia vitiorum genera omnia praeceps fit decursus.

Ita, ut primus gradus sit divitiarum, secundus honoris, tertius superbiae, *et* ex istis tribus gradibus *inducit* [*Lucifer*] *ad omnia reliqua vitia.*

Similiter ex opposito, considerandus est summus optimusque noster Dux et Imperator Christus.

Similiter ex oppositio imaginandum est *de summo et* vero Duce, *qui est Christus* Dominus noster.

Punctum primum erit, conspicari Christum, in amoeno campo iuxta Hierosolymam, humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum forma, et aspectu summe amabilem.

Primum punctum est, considerare quomodo Christus Dominus noster *se sistit in magno campo illius regionis Hierusalem in loco humili speciosus et amabilis* (56).

Secundum autem est, speculari quo pacto ipse mundi Do-

Secundum, considerare quomodo universi mundi Domi-

exprimit, quam simplicem tentationem, et iam quasi cum ipsa superbia coincidit: sed simpliciter *vanus mundi honor,* eiusque aliquod desiderium, quod *divitiae* (primus gradus) natura sua provocare solent. - Fraudes itaque Luciferi in eo sitae sunt, quod excitet ad desideranda et quaerenda ea, quae per se quidem sunt *indifferentia,* ut sunt *divitiae* et *honores,* sed quorum *cupiditas* numquam non *periculosa,* plerumque vero etiam *exitialis* est. Certe, quicumque in quocumque statu hac cupiditate implicari se sinit, mox ea experitur, quae castrorum Luciferi propria sunt, turbationem, tenebras, commotionem, confusionem, horrorem - statu perfectionis excidit - et in suo statu, si is perfectionis non sit, perfectus esse *non potest.* Hinc merito *divitiae* et *honores* a S. Patre *retia* dicuntur et *catenae.* - Praeterea Lucifer illa bona *fallacia* et *caduca,* quasi *vera* bona essent, depingit, et, cum ea nec dare ipse possit nec facilem reddere eorum consecutionem, ita tamen desiderium eorum et cupiditatem in hominibus excitat, ut sibi persuadeant miseri ea, quae tam ardenter exoptant, praesto sibi fore, modo sibi ne desint. - Merito observet hoc loco, qui meditatur, quanta sit mortalium caecitas, quibus tristissima hominum per tot saecula innumerabilium experientia (quam omnis historia omniaque monumenta testantur), quibus Lucifer ita illusit, non sufficiat ad fraudes daemonis agnoscendas; sed porro pergant *falsa* ista bona pro *veris* appetere et prosequi, plerumque *irrito conatu,* neque alio effectu, nisi ut laqueis *retibus* et *catenis* Luciferi implicati pertrahantur in exitium sempiternum.

(56) *Speciosus et amabilis.* - Haec duo adjectiva possent ex autographo etiam referri ad locum, ut sit: *in loco humili, specioso et amoeno,* et ita habet antiqua versio *ms.* Praeferenda tamen videtur altera explicandi ratio, quam habet vulgata versio; sic enim primum punctum de Christo duce melius respondet primo puncto de Lucifero, et melius etiam convenit cum Regulis de discernendis spiritibus.

minus universi, electos Apostolos, Discipulos, et ministros alios per orbem mittat, qui omni hominum generi, statui, et conditioni doctrinam sacram ac salutiferam impartiant.

Tertium, auscultare concionem Christi exhortatoriam, ad servos et amicos suos omnes in opus tale destinatos, qua eis praecipit, ut iuvare studeant quemlibet, ac primo inducendum curent ad spiritualem af-

nus eligit tam multas personas, *Apostolos, Discipulos, etc., et eos mittit* (57) *per* universum mundum, *spargendo sacram suam doctrinam per omnes status, et conditiones personarum.*

Tertium, considerare *concionem, quam Christus Dominus noster habet ad omnes suos servos et amicos, quos ad talem* expeditionem (58) *mittit,* commendando (59) *illis, ut* om-

(57) *Discipulos etc., et eos mittit.* - S. P. mentionem non facit de Angelis bonis, quos Christus Dominus *in ministerium salutis* mittit procul dubio plures etiam, quam Lucifer malos. Hoc si proponeret S. P., responderet quidem magis proprie secundum hoc punctum huius secundae partis puncto secundo primae partis; sed non erat hic proprius huius meditationis scopus. Nihil tamen vetat, quominus hoc loco etiam de Angelorum missione cum oppositione ad missionem daemonum cogitemus, id quod ad animos viris Apostolicis augendos plurimum valet; quemadmodum possumus sane etiam in secundo puncto primae partis considerare, quam multos item homines Lucifer habeat emissarios suos suorumque daemonum adiutores ad infernalem suam expeditionem. - Ubi vero de Angelis, qui a Domino mittuntur ad salutem animarum, meditamur, conveniet in hoc puncto etiam illud intelligere, quod in altera parte de malis angelis positum est, mitti scilicet ita, ut *nullae* etiam particulares *personae* absque tali praesidio relinquantur a Christo, quod a S. P., cum de solis hominibus a Christo ad hanc expeditionem vocatis ageret, dici non potuit. Estque hoc profecto notatu dignum, ne forte Lucifer diligentior videatur ad perdendos, quam Christus ad iuvandos homines; quod vel leviter aut dubitanter suspicari quis ferat?

(58) *Expeditionem.* - In autagrapho *jornada;* quae vox est militaris. - Antiqua versio *ms.* habet *legationem.*

(59) *Commendando* - Omnino *benignitatis* Christi proprium verbum, cum *imperare* possit, *commendat.* - Infra: *Adducendo illos,* suaviter scilicet persuadendo. - Et Luciferi quidem satellites, cum sensibus hominum obiiciant illecebras, his ut laqueis, retibus, catenis, eos velut animalia insensata capiunt. - At Christi discipuli, cum a sensibus avocare homines ad spiritualia debeant, recte ut ratione utentes *inducere* eos debere dicuntur. Quibus vero argumentis utendum illis erit, ut ita *suadeant* et *inducant?* Nempe illis, quae tum ex *Fundamento* - tum ex primae hebdomadae meditationibus - tum maxime ex iis, quae iam in secunda de Christo contemplati sumus, hauriuntur.

Ceterum vide quam apte omnia in Christo opposita iis, quae in Lucifero dicta fuere: Lucifer *horribilis* atque *terribilis* - Christus *speciosus* et *amabilis.* Ille cum *strepitu* et *clamore convocat* suos - Hic pacate *eligit.* Ille suos *spargit* (ital. dici posset: *caccia*) - Hic suos *mittit.* Illle *increpando instigat* suos, et *imperat ut tentent,* adhibendo *retia* et *catenas* - Hic blande suis *commendat,* ut omnes *iuvare* velint,

fectum paupertatis; et insuper (si divini obsequii ratio et electio caelestis eo ferat) ad sectandam actu ipso veram paupertatem; deinde ut ad opprobrii, contemptusque desiderium alliciant, unde humilitatis virtus enascitur.

nes *velint* [*studeant*] *adiuvare, adducendo illos primum ad* summam *paupertatem* (60) *spiritualem, et,* (61) *si suae divinae Maiestati placuerit et* [*ad hoc*] *eos eligere voluerit,* non minus [*s. etiam*] *ad paupertatem actualem;* secundo, *ad desiderium opprobriorum et contemptuum,* quia ex his duabus rebus [*s. paupertate et contemptu*] *sequitur humilitas.*

Et ita tres consurgunt perfectionis gradus, videlicet paupertas, abiectio sui, atque humilitas, quae ex diametro divitiis, honori, et superbiae opponuntur, ac virtutes omnes statim introducunt.

Ita ut sint tres gradus: primus, paupertas contra divitias; secundus, opprobrium vel contemptus contra honorem mundanum; tertius, humilitas contra superbiam; *et ex his tribus gradibus inducant* [*homines*] *ad omnes reliquas virtutes.*

Colloquium postea formandum erit ad Virginem beatam, implorandaque est per eam a

Colloquium [*faciam*] *ad Dominam nostram, ut mihi obtineat* (62) *gratiam a suo Filio*

suaviter *suadendo.* Quam praeclare, opposita tyrannidi Luciferi, elucet in omnibus *humanitas* et *benignitas Salvatoris!* Certe modis loquendi usus est S. P., quibus spiritus Luciferi et contra spiritus Christi aptissime et graphice exprimuntur.

(60) *Ad summam paupertatem.* - Summa paupertas spiritus *omnibus* suadenda studiose inculcatur a S. P. Ignatio et infra, in colloquio. *summa* flagitanda praescribitur. Scilicet: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat,* saltem affectu, *omnibus quae possidet.*, omnibus omnino, nulla re excepta, nullam reservans cui cor suum apponat, aut cui adhaereat, *non potest meus esse discipulus,* ait Dominus. *Summa* paupertas spiritus, potest sola totum ac securum reddere a divitiarum illecebris. Non sufficit non esse avaritiae deditum, necesse est *avaritiam odisse,* quemadmodum Scriptura loquitur, ut in occasionibus praesertim ac tentationibus isto daemonis laqueo non impliceris. - Praeterea, cum haec meditatio introductio quaedam sit ad vitam Apostolicam, quicumque ad hanc inspirare se sentiat, magnopere necesse est ut Christi doctrinam de *summa* paupertate, saltem spirituali, probe intelligat, et hanc, si omnibus, sibi certe vel maxime necessariam esse persuadeat, eamque omnino animo imbibat. Nam si sine hac *nemo potest esse discipulus,* quomodo *poterit* esse *Apostolus* Christi?

(61) *Et si suae divinae Maiestati placuerit.* - Etiam hìc conditio ista apponitur circa paupertatem actualem, et quidem repetitur in colloquio; propterea quod nondum censetur cognita vocatio divina, nondum facta electio. Vide notata supra n. 7. *de Regno Christi.*

(62) *Ut... obtineat.* - In Regno Christi nos promptos *offerebamus* ad paupertatem et ad opprobria; hìc ea *petimus* et *flagitamus.*

Filio gratia, ut recipi possim et manere sub Vexillo eius: idque primum per spiritualem tantum paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam (siquidem ad eam me vocare, atque admittere dignabitur); deinde per abiectionem quoque, seu ignominiam, ut ipsum imiter vicinius, deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus mei, tam in alicuius detrimentum, quam in offensam Dei cedat. Terminabitur primum hoc colloquium per *Ave Maria.*

Secundum colloquium ad Christum hominem dirigitur, ut mihi a Patre impetret illud idem, subdeturque in fine oratio *Anima Christi.*

Tertium ad Patrem, ut annuat petitioni, cum *Pater noster.*

Transigetur hoc Exercitium semel in media nocte, et altera vice sub auroram.

Repetitiones vero duae, circa matutini Sacri atque Vesperarum tempus, erunt faciendae, additis in fine tribus colloquiis. Sequens vero Exercitium fiet ante coenam.

et Domino, *ut ego* recipiar *sub eius Vexillum: et primum, in* summa *paupertate spirituali,* et *si divinae suae Maiestati placuerit, et me* [*ad hoc*] *eligere ac recipere voluerit,* non minus [*etiam*] *in paupertate actuali; secundo, in tolerandis opprobriis et iniuriis,* (63) *ad magis* in illis *eum imitandum; dummodo possim eas tolerare absque ullius peccato, et* [*absque*] *disgustu suae divinae Maiestatis. Et inde* [*recitabo*] Ave Maria.

Petere eadem a Filio, ut [*ea*] *mihi obtineat a Patre, et inde dicere:* Anima Christi.

Petere eadem a Patre, ut ipse ea mihi concedat, et dicere: Pater noster.

Hoc Exercitium fiet media nocte, et dein iterum summo mane.

Et fient duae repetitiones eiusdem *ad horam Missae, et ad horam Vesperarum,* semper *finiendo cum tribus colloquiis* supradictis ad Dominam nostram, ad Filium, et ad Pa-

(63) Quare in colloquio postulare docemur solum duos primos gradus, *paupertatem* scilicet et *contemptum?* Cur non etiam *humilitatem?* - Quia scilicet humilitas fructus est, qui ex duobus illis enascitur. Porro *humilitatis* possessio suavissimum est bonum; sed exercitium, per quod ad illam eniti debemus, *paupertatis* et *contemptus,* naturae molestissimum accidit. Haec duo itaque potissimum flagitanda. Est enim nobis magis necessarium, petere et adhibere *media,* scilicet *paupertatem* et *contemptum,* quam *finem,* qui *humilitas* est, desiderare ac petere. - Neque ullum est ad virtutis perfectae adeptionem utilius documentum, quam ut aestimemus, quaeramus, amemus, ac proinde etiam petamus a Domino magis *certamina,* per quae virtutis possessio obtinenda est, quam ipsam *virtutem, pugnas* magis quam *triumphum.* Praeterea ipsius *virtutis* pia desideria non raro illusioni obnoxia sunt, *pugnarum* vero non item. - Est ergo sapientissimum in hoc colloquio S. P. N. consilium.

trem; et illud [Exercitium] de Binariis *[Classibus hominum], quod sequitur, [fiet] hora ante coenam.*

MEDITATIO

eodem quarto die facienda, de tribus hominum Classibus, seu differentiis, ut potissimam partem amplectamur.

Oratio praeparatoria, ut semper antehac.

Praeludium primum fiat, propositis vice historiae tribus hominum Classibus distinctis, quarum una quaeque decem milia ducatorum, alio quam divini cultus et amoris studio sibi paraverit; nunc autem placatum habere Deum, et salva fieri exoptet, sublato (*) utcumque noxio affectu

MEDITATIO

fiet eadem quarta die de tribus Binariis *[Classibus] hominum* (64), *ut amplectamur optimum.*

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est historia, quae est de tribus Binariis [Classibus] hominum, et unaquaeque earum [Classium] acquisivit decem millia ducatorum, non pure ac debite [unice] propter amorem Dei [erga Deum], et volunt omnes se salvare, et invenire in pace Deum Dominum nostrum, tol-

(*) *In meditatione quartae diei de tribus hominum Classibus. In fine primi praeludii:* Sublato utcumque noxio affectu rerum, utpote salutis impedimento; *legatur:* Sublato utcumque noxio affectu rei partae, utpote etc.

(64) *De tribus Binariis hominum.* - Hisp. *De tres Binarios de hombres;* et antiqua versio *ms.* habet: *Meditatio trium Binariorum hominum;* et infra ubique *Classis* nominatur *Binarius.* Intelliguntur ergo *Classes,* quarum singulas *bini componant.* Cur bini? Fortasse ut, determinato tali numero, minus vaga sit meditatio et repraesentatio imaginaria de hominum *Classe.* Cur non singuli? Fortasse, quia singuli non ita constituerent *Classem* hominum, et ne qua persona paticularis attingi videretur. - Est autem huius meditationis scopus, ut voluntatis repugnantia vincatur, et homo ab illusione sibi caveat, qua forte solo quodam pio desiderio satis se fecisse existimet. Exemplum a S. P. ponitur in primo tentationum gradu, qui est circa divitiarum cupiditatem, quia spectat deliberationem de statu paupertatis eligendo. Potest autem ac debet, pro meditantis necessitate, ad quemcumque alterius generis inordinatum affectum aeque applicari.

rerum utpote salutis impedimento.

lendo [*excutiendo*] *a se* pondus (65) *et impedimentum, quod in affectione rei acquisitae habent,* [*quominus*] *ad hoc* [*ad salutem et ad Deum in pace inveniendum perveniant*].

Secundum est, loci cuiusdam imaginaria constructio, in quo videam me ipsum coram Deo, Sanctisque omnibus, cum desiderio adstantem, atque perseverantem, quonam pacto ipsi Deo placere queam potissimum.

Secundum, compositio, videndo locum. Erit hìc, videre me ipsum, quomodo sto [*stantem*] *coram Deo Domino nostro, et omnibus eius Sanctis,* [*eo animo*] ut desiderem et cognoscam *id quod gratius sit* divinae suae Bonitati.

Tertium est, optatae rei petitio, nimirum gratiae, per quam id eligam, quod et Deo acceptissimum, et mihi saluberrimum futurum sit.

Tertium, petere id quod volo. Hic erit, postulare gratiam ad eligendum id quod magis sit ad gloriam divinae suae Maiestatis, et salutem animae meae.

Prima igitur Classis optat quidem acquisitae rei exuere affectum, ut conciliari Deo possit, sed media (*) debitaque adminicula toto vitae tempore non admovet.

Primus Binarius [*prima Classis*] vellet (66) *tollere* [*excutere*] *affectum quem habet erga rem acquisitam,* ut inveniret *in pace Deum Dominum nostrum, et salvare se* sciret [*posset*], *et non ponit media usque ad horam mortis.*

Secunda itidem affectum male ordinatum auferre cupit, sed rem interim mordicus tenere, ac Deum potius trahere ad votum proprium, quam relicto impedimento, per con-

Secundus [*secunda Classis*] *vult tollere* [*excutere*] *affectum, sed ita vult eum tollere* [*excutere*], *ut* [*tamen*] *maneat cum re acquisita, ita* ut Deus veniat eo quo vult ipse [*ho-*

(*) *In prima Classe:* debitaque adminicula toto vitae tempore non admovet: *ex autographo*: Debitaque adminicula usque ad horam mortis non admovet.

(65) *Pondus.* - Proprie ex autographo *gravitatem,* eo scilicet sensu quo dixit Psalmista: *Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem?* Affectio scilicet, de qua hìc agitur *pondus* est, *aggravans animam.*

(66) *Vellet.* - Ita ex autographo; non: *vult.* Non *optat* vere: sed *optaret.*

ducibiliorem statum ad illum tendere.

Tertia postremo affectum insincerum volens abicere, rem ipsam vel tollere vel tenere aeque parata est, prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit (*); ac, interim omnia relinquens integra, illud tantum versat, et inquirit, nec aliam admittit relinquendae, aut retinendae rei acquisitae causam, praeter rationem ac desiderium divinae gloriae, ut quam maxima sit.

mo], *et non resolvit se ad rem relinquendam,* ut ad Deum eat, etiamsi *hic status* sibi *futurus esset optimus.*

Tertius [*tertia Classis*] *vult tollere affectum, sed ita illum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam, vel non retinendam, sed vult* solum *velle illam vel nolle, prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle, et* [*prout*] *personae tali melius videbitur ad servitium et laudem divinae suae Maiestatis; et interea* vult reputare [*ita existimare*], *quod omnia relinquat in affectu* (67), vires intendendo, *ut neque il-*

(*) *In Tertia:* Ac interim omnia relinquens integra etc. *usque ad finem; ita ex autographo verti potest clarius:* Ac interim ita se gerit, ut qui omnia in affectu reliquerit, enitendo scilicet, neque hoc, neque aliud quippiam expetere, nisi quantum divini obsequii intuitus moveret; ita ut non aliam admittat relinquendae aut retinendae rei acquisitae causam, praeter rationem ac desiderium melius Deo Domino nostro serviendi.

---

(67) *In affectu.* - Ita quidem et in Autographo hisp. habetur, et in versione *ms.*, nec S. P., qui utroque exemplari, ut saepe iam monuimus, usus est, lectionem hanc emendavit. Non possum tamen, quin irrepsisse hoc loco errorem suspicer, et scriptum primitus a S. P. nostro fuisse existimem: *in effectu.* - Haec enim *Tertia Classis* eam animi dispositionem exhibere censetur, quam hoc Exercitio quaerimus, quamque in primo praeambulo S. P. exponit, nempe ut *tollatur impedimentum quod ex affectione rei acquisitae habetur.* Agitur enim in hac Classe de eo, qui *ita vult affectum tollere, ut non teneatur affectione ad eam retinendam vel non retinendam.* Iam vero haec animi dispositio a tali affectione libera, non satis exprimi videtur, cum dicitur, VULT REPUTARE *quod omnia relinquat* IN AFFECTU; minus est VELLE REPUTARE *quod omnia relinquat in* AFFECTU, quam *non teneri affectione* ulla. Incohaerenter itaque procederet, dum *vellet reputare,* seu sibi animo fingere, se habere id, quod iam censetur reipsa habere; et ad firmandum *interea* animum, donec voluntas Domini sibi innotescat, uteretur medio, quod minus valeret, quam ipsa actualis eius animi dispositio. Quid enim ad hoc valeret illud: *vult reputare quod omnia relinquat in affectu?* Valet autem plurimum, si legatur: *in effectu.* Sic enim perfecta animi dispositio, eiusque in meliora et perfecta conatus exprimitur. Atque huic lectioni respondet, quod infra dicitur: *ad rem* SUMENDAM; sic enim est in hisp., non *retinendam,* ut habet vulgata

lam rem, neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum *servitium Dei Domini nostri; ita ut* desiderium ut melius possit (68) *servire Deo Domino nostro, illum moveat ad rem* sumendam *vel relinquendam.*

Colloquia tria subsequentur, ut nuper facta de Vexillis.

Facere eadem tria colloquia, quae facta sunt in contemplatione praecedenti de duobus Vexillis.

Notandum ad haec, quod affectum sentimus paupertati perfectae, quae tum in spiritu,

Notandum est (69), *quod quando nos sentimus affectum vel repugnantiam* contra pau-

versio. Supponitur scilicet, rem fuisse iam, quantum ad animi propositum, non *in affectu* solum, sed et *in effectu* relictam. - Hac ratione *Tertia* haec *Classis* efficacissime *affectum* omnem tollere nititur, dum, ne sibi ipsa illudat, (quoniam de proprio affectu sat secure iudicare vix possumus) proponit sibi, immo ita *reputat,* vel certe *reputare vult,* se omnia relinquere *in effectu,* et hanc animi sui dispositionem ita firmat, ut non nisi Divino obsequio id postulante, ea, quae sic reliquit, *sumere,* seu iterum admittere, in animum inducere velit.

Itaque:

Prima Classis vellet affectum noxium tollere, sed, cum nihil velit facere, nil sacrificare, ut hoc bonum obtineat, non potest dici velle revera. *Vellet* quidem, non *vult.*

Secunda Classis vult affectum tollere, et aliqua etiam adhibere media parata est, ita tamen, ut *effectu* rem relinquere nolit. *Vult,* sed imperfecte.

Tertia Classis vult omnino tollere affectum, et ut tollat parata est etiam *effectu* rem relinquere, et hoc ipsum sibi proponit, immo *reputare vult,* id re ipsa se exsequi. Haec *vult* plene ac perfecte.

Mire iuvat haec meditatio, ut homo exploret animum suum, *tentet seipsum,* ut Apostolus loquitur, quo ab illusione caveat, eumque *animum ab affectione* noxia *liberum* concipiat, qui est huius Meditationis proprius scopus, et praeparatio ad electionem recte instituendam.

(68) *Desiderium ut melius possit.* - Ex autographo verteretur ad verbum italice: *il desiderio di poter meglio servire;* gallice: *le désir de pouvoir mieux servir.*

(69) *Notandum est etc.* Maximi momenti est hoc *Notandum* s. Patris, qui etiam infra saepius ad illud nos remittit. Agitur enim in illo de modo vincendi *repugnantiam,* quam quis in se sentiat, quominus ad ea, quae meliora sibi cognoverit, amplectenda se determinet. Scilicet, orationi insistendum tunc est et petere a Domino debemus, quamvis inviti, quamvis veluti cum timore ne exaudiamur, petere tamen, et instanter petere, nosque ipsos, quamvis repugnantes, protestari promptos ad ea quae Dominus velit. Neque est exigui meriti aut parum efficax huiusmodi oratio, cuius ipse Dominus in Horto agonizans exemplum nobis dare dignatus est. - Non est ergo omittendum triplex colloquium, propterea quod talia desideria non sentiamus, sed contra magis etiam tunc colloquio triplici, eo modo quo in hoc Notando

tum in rerum abdicatione subsistit, adversantem, et ad divitias magis inclinantem: multum confert, ad eum elidendum, petere ex Deo, licet renitente carne, ut ad paupertatem eiusmodi sectandam nos eligat (*); servabimus tamen interea desiderii nostri libertatem, qua liceat convenientiorem servitio divino viam invadere.

pertatem actualem, *quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias, multum iuvat* [*hominem*] *ad exstinguendum talem affectum inordinatum, petere* in colloquiis *(etiamsi sit contra carnem* [*s. carnis sensum*]*) ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem, et* [*protestari*] se [*id*] velle, *petere et supplicare, dummodo sit servitium et laus divinae eius Bonitatis.*

QUINTA DIE

sequetur contemplatio de Domini transitu, a Nazareth ad Iordanem fluvium, deque eius Baptismo, ut infra in Myst. Vitae Christi.

Fiet tam media nocte, quam primo mane. Bis praeterea repetetur circa Missae ac Vesperarum horam. Ante coenam applicabuntur quinque sensus. Ad haec, quodlibet horum quinque Exercitiorum praecedet oratio praeparatoria, cum tribus praeludiis, ut in superioribus de Incarnatione et Nativitate traditum est. Nec non

QUINTA DIE

contemplatio de profectione Christi Domini nostri a Nazareth ad flumen Iordanem, et quomodo fuit baptizatus Infra [*inter Mysteria Vitae Christi Domini nostri*].

Haec contemplatio fiet semel *media nocte, et* iterum *in aurora, et duae repetitiones super eadem* [*fient*] *ad horam Missae et Vesperarum, et ante coenam trahere* [*applicare*] *ad illam quinque sensus; in unoquoque ex his quinque Exercitiis praemittendo solitam orationem praeparatoriam, et tria praeambula, sicut* haec

(*) *In Notando:* Servabimus tamen interea, etc. *usque ad finem, in autographo sic habetur:* Atque hoc ipsum optare, petere, et flagitare, spectato solum obsequio et gloria divinae ipsius Bonitatis.

monemur, insistendum. Vide etiam inter XX. Annotationes decimam sextam. Ceterum eo magis commendanda est haec praxis, quod plerumque illud, a quo illam sentimus *repugnantiam,* illud ipsum sit, quod a nobis Dominus requirit, ut Ipsum *inveniamus in pace,* quemadmodum in primo praeambulo dicitur.

adiectis tribus colloquiis, ut circa Classes, vel iuxta id, quod ibi fuit subnotatum.

omnia declarata sunt *in contemplatione de Incarnatione et Nativitate, et finiendo cum tribus colloquiis* (70) *meditationis*[*de tribus Binariis*[*Classibus*], *vel iuxta notam quae sequitur post Binarios* [*Classes*].

Examen autem particulare a prandio et coena usitatum, fiet hic, et in sequentibus, de erratis ac negligentiis, quae circa proprias eius diei Meditationes, et Additiones contigerunt.

Examen particulare, post prandium, et post coenam, fiet de defectibus et negligentiis circa Exercitia *et Additiones huius diei, et sic in iis* [*diebus*] *qui sequuntur.*

SEXTA deinceps DIE

contemplandum offert, quomodo Christus Iesus a flumine Iordanis petierit Desertum, ibique versatus sit: servata omnino Exercitii diei quintae forma.

SEXTA DIE

contemplatio quomodo Christus Dominus noster ivit a flumine Iordane ad Desertum inclusive: servando in omnibus (71) *eamdem formam, quae in quinta* [*die servata est*].

SEPTIMA

Quomodo beatus Andreas, et alii successive Christum secuti sunt.

SEPTIMA DIE

Quomodo S. Andreas et alii secuti sunt Christum Dominum nostrum. Infra [*inter Mysteria*].

(70) Diligenter notetur id, quod hoc loco dicitur de *colloquiis tribus* semper iterandis, et de *Nota quae sequitur post tres Classes* prae oculis habenda. *Notam* hanc intellige *Notandum* illud, de quo in superiori n. 69. - Cur autem S. P. et hic et alibi passim remittit ad formam trium colloquiorum positam in fine meditationis de tribus Classibus? Cur non potius ad eam, quae ponitur in fine meditationis de duobus Vexillis, ubi multo fusius eadem colloquiorum forma exponitur? Idque, cum in meditatione de Classibus ad praecedentem de Vexillis ipse remittat? - Fortasse, ut hac occasione *Notam* istam, adiectam in fine Classium, quae sane momenti est maximi, frequenter in memoriam revocet eiusque usum nobis commendet.

(71) *In omnibus* - etiam *in tribus colloquiis*, et *iuxta Notam, quae sequitur post tres Classes....* Atque hoc intelligendum etiam de sequentibus diebus.

OCTAVA

Quomodo sermonem fecit Dominus in monte, octo Beatitudinis modos edisserens.

OCTAVA DIE

De sermone in monte, qui est de octo Beatitudinibus. Infra [*ibid*].

NONA

Quomodo navigantibus Discipulis se ostendit ambulans super aquas maris.

NONA

Quomodo Christus Dominus noster apparuit suis Discipulis super undas maris. Infra [*ibid*].

DECIMA

Quomodo in Templo docuit.

DECIMA

Quomodo Dominus praedicabat in Templo. Infra [*ibid*].

UNDECIMA

De Lazari suscitatione.

UNDECIMA

De resurrectione Lazari. Infra [*ibid*].

DUODECIMA

De gestis in die Palmarum. Supra dicta Mysteria vide, infra inter Mysteria Vitae Christi.

DUODECIMA

De die Palmarum. Infra [*ibid*].

Notanda hoc loco sunt haec tria. Primo, quod in hac secunda hebdomada iuxta temporis facultatem, et utilitatem personae sese exercentis, possunt aliquot Meditationes vel adiici, ut de Mysteriis Visitationis, Pastorum, Circumcisionis, et trium Regum, vel subtrahi ex suprapositis, quippe quae introductione tantum de-

Prima nota est, quod in contemplationibus huius secundae hebdomadae, prout unusquisque vult temporis [*plus vel minus*] *impendere,* vel *prout profectum faciat,* potest extendere vel abbreviare *hebdomadam*]; *si extendere* [*voluerit fiet*] *sumendo Mysteria Visitationis Dominae nostrae ad sanctam Elisabeth, Pasto-*

lineantur, ad formandam meius contemplationem.

res, Circumcisionem pueri Iesu, et tres Reges, et sic de aliis; *et si abbreviare* [*voluerit, poterit*] *etiam subtrahere* [*omittere*] *ex illis* [*Mysteriis*] *quae* [*supra*] *posita sunt: quia hoc est* (72) [*tantum*] *dare introductionem quamdam* et modum *ad* postea *melius* et magis complete *contemplandum.*

Secundo (*), quod inchoanda est Electionum discussio a contemplatione discessus Christi ex Nazareth Iordanem versus usque ad eam, quae fit quinto die, simul comprehendendam.

Secunda, materia Electionum inchoabitur a contemplatione [*discessus Christi*] *a Nazareth ad Iordanem inclusive, id est, quinta die;* [*tractabitur autem materia Electionum*] *prout in sequentibus declaratur.*

Tertio, quod antequam Electionum materiam aggrediamur, ut ad capessendam ger-

Tertia, antequam quis *ingrediatur in Electiones, ut* afficiatur (73) *ad veram Christi Do-*

(*) *In secundo Notando post duodecimam meditationem. Secundo:* Quod inchoanda est, etc. *usque ad finem. Omnis dubitandi ratio tollitur, si ita vertatur ex autographo:* Secundo quod inchoanda est Electionum discussio a contemplatione discessus Christi ex Nazareth Jordanem versus inclusive, quae fit quinto die, ut in sequentibus declaratur.

(72) *Quia hoc est* (tantum). - Licet in autographo non habeatur τὸ *tantum,* habetur tamen, ut in vulgata, ita et in antiqua versione *ms.;* itaque et nos posuimus, cum ex contextu omnino videatur subintelligendum. Sensus est, liberum relinqui plura, sive pauciora ex indicatis Mysteriis contemplanda assumere, quia haec proposita sunt solummodo velut introductionis loco, et ut formam praebeant ac modum, quo contemplandi usus acquiratur; qui postea, tum in Exercitiis sequentibus, tum etiam post completa Exercitia in quotidiana orandi consuetudine erit utilissimus. - Sive ergo plura, sive pauciora Mysteria nunc assumat, poterit ea exercitans *postea,* etiam post Exercitia, *magis complete* contemplari, dummodo hanc *introductionem et modum* addiscat Mysteria Vitae Christi contemplandi per personas, verba, opera, et certo quodam ordine, certaque methodo, cum tribus illis colloquiis etc., prout in Libello proposita sunt.

(73) *Ut..... afficiatur.* - Intellige, ex autographo, ut ad veram Christi doctrinam magno *affectu* aestimandam et amandam perducatur; hoc enim significat verbum hispanum *affectarse.* - Nota diligenter proprium scopum considerationis huius *de tribus Modis humilitatis,* bene distinctum ab illo, qui in meditatione *de tribus Binariis* propositus est. Vide supra n. 64., itemque n. 67. sub finem. - In illa agebatur potissimum de dispositione animi ad tollendum *omne* impedimentum. In hac

manam Christi doctrinam affectum nostrum disponamus, apprime iuvat considerare, ac per diem totum revolvere identidem tres sequentes Modos humilitatis, necnon colloquia dicenda crebro agitare.

Primus humilitatis Modus hic est, ad salutem necessarius, ut me penitus subdam divinae legi observandae, utque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitae discrimine obiecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum divinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

mini nostri doctrinam, multum iuvat considerare et advertere *ad tres sequentes Modos* (74) [*s. species*] *humilitatis, et considerando eas identidem* [*aliquibus temporum spatiis*] *per totam diem, et item faciendo colloquia, prout infra dicetur.*

Primus Modus humilitatis est necessarius *ad salutem* aeternam, scilicet, *quod* ita me humiliem, quantum possim, ut in omnibus oboediam legi Dei Domini nostri, adeo *ut, etiamsi me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro* [*conservanda*] *propria vita temporali,* non veniam (75) [*non inducar*] in deliberationem transgrediendi *mandatum aliquod, sive divinum, sive humanum, quod me obliget sub peccato mortali.*

de tribus Modis humilitatis animus provocatur ad generosam Christi sequelam in rebus maxime arduis *magno affectu* amplectendam. Certe *tertio Modo humilitatis* nihil est altius aut perfectius in animi dispositione ad eligendum et sectandum quidquid est in perfectione summum.

(74) *Modos* (*s. species*). - Antiqua versio *ms.* vertit *species.* Ita et infra: *Prima species humilitatis.*

(75) *Non veniam* (non inducar) *in deliberationem transgrediendi.* Ita ex autographo clarius exprimitur, agi non tam de *actu,* quam de *habitu* seu de animi dispositione. Illa etiam particula, *quantum possim,* quam vulgata versio omisit, sed quae habetur in autographo redundaret, si de peccato mortali *actu* non committendo ageretur. Quis enim posset umquam vere dicere; *non possum non peccare mortaliter?* Sed cum de ea animi dispositione agatur, qua ita divinae legi me submittam, ut ne *deliberem* quidem de ea transgredienda, quacumque oblata tentatione, etiam gravissima, recte dicitur: *quantum possim, ita sim animo paratus.* Immo vero, licet hic Modus humilitatis sit necessarius ad salutem, ac proin omnes necessario in eo esse debeamus, quisque tamen cogitare ac dicere debet: *quantum possum,* nec sine timore ac tremore. - Certe Petrus in eo gradu erat, et ita erat animo dispositus, et ex illo *habitu* dicebat Christo: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Et tamen in *actu,* in occasione et periculo positus, non stetit.

Idem maiori ratione de secundo Modo humilitatis sentiendum est.

Secundus maioris est perfectionis, ut fixo animo, ad divitias, paupertatem, honorem, ignominiam, brevitatem vitae, ac longitudinem, aeque sim propensus, ubi aequalis est divinae laudis, et salutis meae occasio; utque nulla, vel humanae quantaecumque felicitatis, vel propriae mortis conditione proposita, adducar umquam, ut culpam, licet venialem tantum decernam admittere.

Secunda est perfectior humilitas quam prima, scilicet si ego in tali me [*constitutum*] puncto inveniam (76), ut non velim, neque afficiar magis *ad habendum divitias quam paupertatem, ad cupiendum honorem quam ignominiam, ad desiderandam vitam longam quam brevem, ubi aequale fuerit servitium Dei Domini nostri, et salus animae meae* [*aequalis*]; *itemque, ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent,* in deliberationem veniam *committendi aliquod veniale peccatum.*

Tertius est Modus humilitatis absolutissimae, ut priores duos iam adeptus, etiamsi nullo superaddito, laus Dei par foret, ad maiorem tamen imi-

Tertia est humilitas perfectissima, *scilicet, quando, includendo primam et secundam,* ubi *aequalis fuerit laus* et gloria divinae Maiestatis (77), *ad*

(76) *Si ego in tali me* (constitutum) *puncto inveniam* - i. e. in tali animi dispositione. Quod infra in vulgata versione dicitur: *ut nulla ..... conditione proposita adducar umquam,* plus exprimit, ni fallor, quam S .P. expressit, aut intelligi voluit. Vide praecedentem n. 75.

(77) *Ubi aequalis fuerit etc.* - Antiqua versio *ms.* habet: *modo aequale servitium et par gloria Dei Domini nostri contingat.* In versione vulgata, illa *etiamsi* - *tamen* - in expositione huius tertii Modi humilitatis, simplicissimae perspicuitati officiunt. Aliquomodo etiam sensus laedi videtur, nisi forte *aequalis gloria Dei* sensu strictiori sumatur, cum relatione ad duos Modos praecedentes, scilicet ut sit: *etiamsi nec peccatum mortale nec veniale* incurreretur. Alias enim, ubi maior imitatio Christi, ibi necessario etiam maior Dei gloria, non iam *aequalis.* Ceterum non aliter esse intelligendum, quam: *SI aequalis fuerit etc.,* evidens est etiam ex ultimis verbis S. P., quibus hanc materiam concludit. *SI,* inquit, *aequale aut maius etc.* Haec ergo tertia humilitas eligit actu paupertatem et opprobria, *dummodo* maior Dei gloria non exigat, ut divitias et honores retineam vel admittam. Nam et hoc in particularibus casibus occurrere potest. Sic autem rectius dici videtur, quam: *etiamsi* maior Dei gloria non exigat, ut paupertatem et opprobria amplectar. Porro antithesis in autographo disiuncta: *paupertatem cum Christo paupere, quam divitias etc.* addito in unaquaque singillatim exemplo Christi Domini, longe maiorem habet efficaciam et unctionem.

Exemplo illustrari tres humilitatis Modos operae pretium fuerit. Sit ergo sequens:

tationem Christi, eligam potius cum eo paupere, spreto, et illuso, pauperiem, contemptum, et insipientiae titulum amplecti, quam opes, honores, et sapientiae aestimationem.

imitandum [*magis*] *Christum Dominum nostrum,* utque ei magis actu similis fiam, volo et eligo magis paupertatem cum Christo paupere quam divitias, opprobria cum Christo pleno opprobriis, quam honores, et magis desidero aestimari vanus [*insipiens, inutilis*] et stultus pro Christo, qui prior habitus fuit pro tali, quam [*aestimari*] *sapiens ac prudens in hoc mundo.*

Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum, mag-

Itaque pro eo, qui desiderat hanc tertiam humilitatem (78)

Laesus sit aliquis graviter in fortunis suis vel in honore.

Primo humilitatis Modo - nolet ullo pacto ius suum vindicare, si absque *peccato mortali* id consequi non possit.

Secundo humilitatis Modo - neque *veniale* volet committere, ut ius suum prosequeretur.

Ubi vero possit illud vindicare *absque ullo peccato,*

Tertio humilitatis Modo - damna sua lucra putabit in Christo, infamiam honorem; nec vindicabit, sed tacens et gaudens in Domino feret, *dummodo gloria Dei aequalis sit,* i. e. dummodo nec officii ratio neque ulla alia obligatio neque alia iusta consideratio postulet, ut ius suum prosequatur. - Talis obligatio si existat, iam *non erit æqualis gloria Dei;* itaque defendet se legitime, nec propterea violabit propositum *tertii Modi humilitatis,* sancta haec sensa servans in corde suo, animumque ita dispositum gerens, ut, si forte, ut non raro accidit, iusta defensio effectu careat, non modo patienter ferat, sed *duplici* honore se dignatum in Christo et cum Christo gratuletur.

Ceterum, ut hoc obiter moneam, primus et secundus humilitatis Modi perfectam complectuntur *indifferentiam,* et carnis, sensuum, et amoris proprii ac mundani *rebellionis* impugnationem omnimodam supponunt; tertius hic neque *indifferentia* neque impugnatione *rebellionis* contentus est, sed omnino in omnibus *agere contra* naturae inclinationem docet, idque *pure ob maiorem Christi imitationem ac similitudinem;* itaque castissimum continet amorem Christi Regis, et in hoc amore totus fundatur, ac mirifice cohaeret cum exercitio de Regno Christi, quod est veluti Fundamentum Exercitiorum post primam hebdomadam, ut suo loco notavimus. Vide ibi Notam ad tertium punctum applicationis, n. 5.

(78) *Qui desiderat etc.* - Ex autographo, non omnibus promiscue, sed iis *qui desiderant* ad tam perfectam humilitatem pertingere, qui scilicet Christi Regis sui amore succensi, et huius tantae perfectionis pulchritudine capti, ad eam consequendam anhelant, qui, uno verbo, *insignes esse volunt* in Christi servitio, prout in contemplatione de Regno Christi dictum est, his medium hoc triplicis colloquii proponitur. Donum enim est singulare, *datum* vere *optimum, donum perfectum,* quod *desursum est,* nec nisi multa et humili prece obtinendum; ita tamen, ut oratio haec, petitio, postulatio per triplex colloquium *multum* quidem *iuvet,* nec tamen sola sufficiat, nisi nostra etiam exerci-

num afferet compendium, triplicis colloquii praecedentis de Vexillis usus, per quod suppliciter poscamus (si divinae placeat Benignitati) ad talem perduci Electionem, sive maior, sive aequalis obsequii mei erga Deum, et gloriae divinae proventus subsit.

obtinere, *multum* [*ad hoc*] *prodest, facere tria colloquia* de Binariis [*Classibus*] (79) *iam dicta* [*v. dictis*], *petendo,* ut Dominus noster velit ipsum eligere ad hanc tertiam, maiorem et meliorem humilitatem, quod magis eum imitetur, ac [*melius ei*] serviat, si [*v.* dummodo] *aequale aut maius fuerit servitium et* [*aequalis aut maior*] *laus divinae suae Maiestatis.*

PRAELUDIUM

ad Electionem faciendam

Ad bene quippiam eligendum, nostrae sunt partes, ut oculo puro ac simplici spectemus, quorsum fuerimus creati, nimirum ad laudem Dei, et salutem nostram. Quapropter eligenda sunt ea tantum, quae conducunt ad dictum finem; cum ubique fini medium, non medio finis habeat subordinari. Unde errant, qui uxorem ducere primitus, aut Ecclesiasticum munus seu beneficium adipisci statuunt, atque ita demum Deo postea inservire, utentes praepostere fine ac

PRAEAMBULUM

ad Electionem faciendam.

In omni bona Electione (80), *quantum est ex parte nostra, oculus intentionis nostrae debet esse simplex,* unice *spectando finem ad quem creatus sum, scilicet, ad laudem Dei Domini nostri, et salutem animae meae; quapropter quidquid ego eligam, debet esse* ad hoc [*s. ad hoc dirigi*] ut *me iuvet ad finem, ob quem creatus sum; non ordinando, neque trahendo finem ad medium, sed medium ad finem, sicut accidit, ut multi eligant* primo *uxorem ducere, id quod est*

tatio, et generosa nostri victoria accedat. Eos porro, qui ad praeclaram hanc humilitatem perduci vere *desiderant*, meminisse necesse est, tertium hunc Modum supponere primum et secundum, ut S. P. N. clare enuntiat, ne qui, absque serio studio assequendi et inviolabiliter servandi primum et secundum, ad tertium adspiret, vel potius adspirare sibi videatur, vane sibi blandiatur, seque ipse illudat.

(79) *Tria colloquia de Binariis.* - Vid. notam 70. supra, ubi indicatur, cur potius ad tria colloquia de *Binariis* seu *Classibus*, quam ad ea de Vexillis S. P. nos remittat.

(80) *In omni bona Electione etc.* - Totum hoc praeambulum, seu praeludium, ad Electionem faciendam, ex autographo simplicius est, clarius, efficacius ad scopum a S. P. N. intentum, quam in vulgata versione.

medio, nec ad Deum tendentes recta, sed oblique ipsum ad perversa vota sua pertrahere conantes. Atqui e contrario plane agendum est, proposito primum divino cultu, tamquam fine nostro, et electo deinceps Coniugio, vel Sacerdotio, ceterisque rebus omnibus, quatenus expedit, ad praefixum finem ordinatis. Idcirco nihil movere nos debet, ad mediis quibusvis utendum, aut supersedendum, nisi habita in primis tam divinae Laudis, quam nostrae salutis, certa ratione.

medium, et secundario *in statu coniugali Deo Domino nostro servire, quod* [*scil.*] *servire Deo est finis. Similiter sunt alii, qui* primo *volunt habere beneficia* [*Ecclesiastica*] *ac* postea *servire Deo in illis. Itaque hi non recta tendunt ad Deum, sed volunt ut Deus recta veniat ad ipsorum inordinatas affectiones, et consequenter* ex fine faciunt medium et ex medio finem; *ita ut quod* priori loco *assumere deberent*, posteriore loco *assumant.* Primum *enim debemus pro obiecto ponere, velle* [*nos*] *servire Deo, id quod est finis; et* secundario, *beneficium assumere, vel uxorem ducere, si id* magis *mihi conveniat, id quod est medium ad finem.* Nihil *ergo debet me movere ad haec vel illa media assumenda, aut ad ea relinquenda, nisi* solum *servitium et laus Dei Domini nostri, et salus aeterna animae meae.*

Introductio ad eligendarum rerum notitiam, complectens quatuor puncta, et adnotatiunculam unam.

Ad accipiendam notitiam, quibus de rebus fieri debet Electio, [*proponitur sequens consideratio*], *et continet in se quatuor puncta, et notam unam.*

Primum punctum est, quod res omnes, quae sub Electionem cadunt, necessario bonae esse debent ex seipsis, aut certe non malae, nec nisi consonae institutis orthodoxae Matris Ecclesiae.

Primum punctum, necessarium est, ut omnia, de quibus volumus Electionem facere, *sint indifferentia, aut bona in se, quaeque militent intra sanctam Matrem Ecclesiam Hierarchicam, et non* mala neque huic [*Ecclesiae*] repugnantia.

Secundum, quod genera duo rerum Electioni quadrant.

Secundum, sunt quaedam, quae cadunt sub Electionem

Nam quarumdam Electio immutabilis est, ut Ordinis Sacerdotalis, et Matrimonii: aliarum vero mutari potest, sicut redituum Ecclesiasticorum, vel saecularium, quos recipi et relinqui ex causa fas est.

Tertium, quod circa ea, de quibus facta iam sit Electio immutabilis, nihil superest eligendum, sed advertendum est, quod si quis improvide, nec sine obliquis affectionibus aliquid elegerit, quod non liceat retractare, reliquum est, ubi eum coeperit poenitere facti, Electionis damnum probitate vitae, et operum solertia pensare: resilire autem nullo pacto decet, quamvis Electio istiusmodi non videatur vocatio divina esse, utpote obliqua atque inconsulta. Qua in re non pauci errant, Electionem malam et obliquam pro divina vocatione reputantes, cum haec semper pura et clara sit, non carnali ullo affectu, vel studio perverso mixta.

Quartum, quod, si quis debito modo et ordine, absque carnali mundanoque affectu, quippiam elegit, quod mutari possit, non est cur violet Electionem talem, sed potius ut in ea magis ac magis proficiat adniti debet.

Notandum autem est, quod si Electio rerum huiusmodi mutabilium, non ita recte sincere processerit, eam expedit

immutabilem, qualia sunt Sacerdotium, Matrimonium, etc.; sunt alia quae cadunt sub Electionem mutabilem, cuiusmodi est, accipere beneficia [*Ecclesiastica*] *vel ea relinquere, accipere bona temporalia vel ea* abiicere.

Tertium, in Electione immutabili, quae iam semel facta est [*exsecutioni mandata*], *non est amplius quod eligatur,* quia non potest dissolvi, sicut est Matrimonium, Sacerdotium etc. *Hoc tantum advertendum, est, ut si* [*quis*] *non fecit Electionem* debite et ordinate, *absque affectionibus* inordinatis, [*huius erroris*] poenitens [*s. eum poeniteat, et*] *procuret* bonam vitam agere *in sua Electione; quae Electio non videtur esse* [*fuisse*] *vocatio divina, cum sit* [*fuerit*] *Electio* inordinata *et obliqua; quemadmodum multi in hoc errant, facientes* [*fingentes sibi*] *ex obliqua vel ex mala Electione vocationem divinam, quia* omnis *vocatio divina est semper pura et munda, sine admixtione carnis, neque* alterius cuiusquam affectionis inordinatae.

Quartum, si quis Electionem fecit debite et ordinate rerum quae sunt sub Electione mutabili, et non accedendo [*non adhaerendo*] *ad carnem neque ad mundum, non est cur* denuo faciat *Electionem, sed in illa* [*statuat*] perfectum se reddere quantum possit.

Nota: advertendum est, quod si talis Electio mutabilis non fuit facta sincera et bene ordinata, tunc expedit Electio-

corrigere, ut fructus uberior, et Deo gratior produci possit.

nem debite facere [*instituere*], si quis desideret (81) *ut* ex se *proveniant fructus* insignes, et valde grati *Deo Domino nostro.*

De tempore triplici ad Electiones recte faciendas magis opportuno.

Tria tempora ad faciendam sanam et bonam *Electionem in unoquoque ex illis.*

Tempus primum erit, quando voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imo etiam dubitandi facultas, animae sublata sit, quo minus sequatur impulssionem talem: sicut legimus beato Paulo, et Matthaeo, et aliis nonnullis, vocante Christo, accidisse.

Secundum est, quoties satis clarum, compertumque fit be-

Primum tempus est, quando Deus Dominus noster ita movet et attrahit *voluntatem, ut, quin dubitet nec dubitare possit talis anima* devota, *sequatur id quod* [*sibi*] *ostensum est, quemadmodum S. Paulus et S. Matthaeus fecerunt in sequendo Christo Domino nostro.*

Secundum, quando sumitur [*percipitur*] multum (82) *cla-*

(81) *Si quis desideret ut ex se proveniant etc.* - *ex se* i. e. ex vitae suae statu, ex omni vita sua. - Antiqua versio *ms.* sic habet: *tunc expedit facere Electionem debitam ei, qui expetit producere fructus notabiles, et gratos Deo Domino nostro.* - *Expedit* - *ei qui desideret.* - Res est consilii, non praecepti. *Si vis perfectus esse.* - Praeterea notandum est, multos esse homines, quibus facultas eligendi nulla est, qui profecto si sua bona norint, non habent quod hac in parte cuiquam invideant. Sane beatus, cuius omnis vitae ratio, omnes adeo actiones ita sunt determinatae, necessitate, vel imperio, ut quid sibi agendum sit ne inquirere quidem debeat! Hinc est scilicet, quod facilius et salvantur et sanctificantur pauperes quam divites, servi quam domini, et qui subsunt quam qui praesunt; quia praeter alia multa commoda, minus illis est periculum errandi in *agnoscenda Dei erga se voluntate,* quippe quae ipsis iam ipso facto conditionis suae satis est manifesta. Alii multa consideratione saepe vix eo pertingunt, quo simplices illi et humiles Christiani et minimi in hoc mundo quasi aliena manu ducti nec ipsi advertentes perveniunt; illi speculativi, hi practici. - Ceterum cui facultas est eligendi, et ardens salutis et perfectionis desiderium, quanto gravius est Electionis negotium, eo illud studiosius et generosiore animo aggrediatur, quo *fructus ex se insignes* ad Dei gloriam maiorem producat.

(82) *Multum.* - Ita ex autographo. Sic etiam antiqua versio *ms.* habet: *multum claritatis et cognitionis.* - Quod hoc loco habet vulgata versio: *docente id aliquo consolationum... experimento,* τὸ *aliquo* deest in autographo; neque enim existimandum est, unum alterumve solum consolationis vel desolationis experimentum sufficere posse. Frequens requiritur huiusmodi experimentum, ut ex eo *multum* habeatur *claritatis* et *cognitionis* ad Electionem prudentem concludendam in

neplacitum divinum, docente id aliquo consolationum vel diversorum spirituum praevio experimento.

ritatis et cognitionis per experientiam consolationum et desolationum, *et per experientiam discretionis diversorum spirituum.*

Tertium est, quando per animi tranquillitatem aliquis, considerato fine, ad quem conditus est (ad Dei gloriam scilicet, et salutem suam), eligit certum vitae genus intra Ecclesiae Catholicae limites constitutum, per quod ceu medium, commodius securiusque ad suum finem tendat.

Tertium tempus est tranquillum, [*quando*] *considerans* [*quis*] primo, *ad quid natus sit homo, scilicet ad laudandum Deum Dominum nostrum et ad salvandum animam suam:* et hoc desiderans, *eligit ut medium* [*ad hunc finem*] *vitam aliquam, seu statum intra limites Ecclesiae, ut* [*eo*] *iuvetur in servitio Domini sui, et salvatione animae suae.*

Porro tranquillitas ea tunc noscitur adesse, quotiescumque anima nullis agitata variis spiritibus, vires maturales suas libere exercet.

Dixi tempus tranquillum, *quando anima* non agitatur *diversis spiritibus,* et *potentiis suis naturalibus utitur libere* et tranquille.

Itaque nisi primi vel secundi temporis beneficio Electio contingat, superest ad tertium recursus, duobus Modis sequentibus distinctum.

Si in primo vel secundo tempore non fit Electio, sequuntur circa hoc tertium tempus duo Modi ad illam faciendam.

Modus prior sanae bonaeque Electionis faciendae sex constans punctis.

Primus Modus ad faciendam sanam et bonam Electionem continet in se sex puncta.

Punctum primum erit, proferre in medium rem deliberandam, ut de officio, vel beneficio, acceptandumne an potius reiiciendum sit; et ita de ceteris rebus, quae ad mutabilem Electionem spectant.

Primum punctum est, proponere [*mihi*] *ante oculos rem, super qua volo facere Electionem, verbi gratia, officium, vel beneficium quod acceptandum sit vel relinquendum, vel aliam rem*

hoc secundo tempore. S. P. etiam non dicit *experimentum,* quod vel unicum dici potest, sed *experientiam,* quae plura experimenta facta seu habita esse supponit.

Secundum est, adducto ante oculos creationis meae fine, in hoc consistente, ut cum Dei laude salvus fiam, in neutram declinare partem amplectendae vel repudiandae rei controversae, quin potius velut in medio quodam interstitio et aequilibrio subsistere, parato interim animo, ut in eam illico partem totus ferar, quam novero divinae gloriae, et saluti meae fore aptiorem.

quamcumque (83), *quae cadat sub Electionem mutabilem.*

Secundum, necesse est tenere pro obiecto *finem ob quem creatus sum, qui est, ut laudem Deum Dominum nostrum et ut* salvem *animam meam; et* simul (84) invenire [*sentire*] me indifferentem, sine affectione ulla inordinata, *ita ut non sim magis inclinatus* neque affectus [*magis*] *ad acceptandum rem propositam, quam ad eam relinquendam, neque magis ad relinquendam illam, quam ad acceptandam,* sed ut me inveniam [*habeam*] *veluti in stilo staterae* [*in aequilibrio*], *ad sequendum id quod* sensero *esse magis in gloriam et laudem Dei Domini nostri, et salvationem animae meae.*

(83) *Vel aliam rem quamcumque.* - Ex his verbis patet, regulas istas ad faciendam bonam Electionem, non restringi ad solam Electionem status, sed ad alia *quaecumque,* quae in deliberationem venire possunt, pertinere. Et vero, uterque *Modus,* quem hoc loco S. P. accuratissime tradit, omni homini spirituali suaeque perfectionis studioso, maxime vero Superioribus religiosis, familiaris esse debet, ut *ad Majorem Dei gloriam* se suaque ac suos recte dirigant. Novimus etiam Sanctum Parentem hisce Electionis modis perpetuo usum fuisse, cum Constitutiones Societatis conscriberet, itemque cum de negotiis gravioribus deliberaret. Praeclara habemus exempla huiusmodi deliberationum in Historia Societatis, v. g. P. 1. Lib. 2. n. 59. et seqq., ubi describitur, qua ratione inter primos Patres per Electionis modum disceptatum sit, essentne obedientiae vinculo inter se coniungendi ac ligandi, necne; cuius quidem deliberationis documentum egregium exstat, ab omnibus illis Patribus subscriptum, quod miro plane modo post Societatis cladem repertum, ac Domui nostrae restitutum, in Sancti Patris sacello asservatur ac visitur.

(84) *Et simul.* - Ita autographum, litteraliter: *cum hoc;* quod etiam intelligi posset: *hoc posito, proinde.* Antiqua versio *ms.* sic habet: *quin etiam oportet me esse indifferentem.* Duo distincte in hoc puncto requiruntur tamquam *praeambula,* simulque conditiones omnino necessariae, sine quibus scilicet nulla spes esse potest bonae Electionis: 1. proponere finem, 2. indifferentem se habere ad media. - Notandum autem, hoc loco dici, non ut in Fundamento: *reddere* seu *facere* me *indifferentem,* sed: *habere,* seu ut proprie sonat autographum: *invenire me indifferentem.* Hic enim conatus acquirendae indifferentiae non

Tertium, obsecrare Dei clementiam, ut dignetur mentem instruere, et impellere volutatem, quocumque potius mihi tendendum sit, adhibito nihilo secius pio fidelique intellectus mei ratiocinio: per quod apprehensa et probata Dei voluntate ad Electionem ferar.

Tertium, petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam, et ponere in anima mea (85) *id quod ego facere debeo circa rem propositam,* quod magis sit in laudem et gloriam suam, *discurrendo* [*i. e. ut discurram*] *bene et fideliter intellectu meo, et eligendo* [*et ut eligam*] *conformiter ad suam sanctissimam et* beneplacentem *voluntatem.*

Quartum, perpendere quot tandem commoda vel adminicula mihi ad finem meum prosequendum accedent ex tali officio vel beneficio suscepto, quot rursum ex eodem incommoda et pericula impendent,

Quartum, considerare ratiocinando, *quot commoda vel utilitates mihi proveniant, si habeam officium vel beneficium propositum, ad* solam laudem Dei Domini nostri, et salutem animae meae (86); *et*

sufficit; sed ipsa indifferentia praerequiritur ad Electionem recte faciendam.

(85) *Ponere in anima mea.* - Antiqua versio *ms.* habet: *suggerere animae meae.* - Tamen illud: *ponere in anima mea,* mira simplicitate sua se commendat; nec solum significat *suggerere,* seu indicare *intellectui,* sed etiam *inducere voluntatem,* scilicet, efficere ut res aliqua *sit in anima,* id est, ut tota anima, intellectu simul et voluntate, rem complectatur. - Atque explicat S. P. mentem suam in sequentibus: *discurrendo et eligendo,* seu *ut discurram et eligam.* - Scilicet petenda est gratia duplex, ut alias passim S. P. docet; nempe, gratia *illustrationis,* ut bene ac fideliter intellectu *discurram,* seu ratiociner, et gratia *piae motionis,* ut voluntate *eligam,* quod melius esse cognovero. - *Secundum Dei voluntatem,* nec solum secundum eius *voluntatem,* sed et secundum eius *beneplacitum;* quod est de maiori perfectione. - Fortasse etiam notatu indignum non est, quod cum vulgata versio dicat: *mentem instruere, et impellere voluntatem;* autographum ordine inverso habeat: *movere voluntatem meam et ponere in anima mea,* vel *suggerere animae meae.* Cur ita S. P.? Fortasse, quia pia *voluntatis motio* non solum necessaria est *ad eligendum,* quod per *illustrationem* cognovero, sed etiam ipsum *intellectus discursum praecedere* debet. Nisi enim voluntas pie mota sit, applicatio intellectus nec serio fiet, nec recte.

(86) *Ad solam laudem etc.* - Repetitur semper distincte et inculcatur nihil aliud nisi *solam* Dei laudem et animae salutem prae oculis habendam esse in inquirendis, considerandis, ponderandis commodis vel incommodis etc.; ita scilicet, ut nonnisi eorum commodorum vel incommodorum ratio habeatur, quae iuvent vel impediant AD LAUDEM DEI ET SALUTEM ANIMAE, neque alia quaecumque spectentur commoda vel incommoda, nisi quatenus forte ad FINEM CREATIONIS nostrae referantur. Quod enim aliquid vel placeat naturae vel displiceat, com-

praeterea, quot per oppositum, omisso illo, tam commoda et adminicula, quam discrimina et damna possim expectare.

e contrario considerare similiter incommoda et pericula, quae sint in eo habendo; tantumdem faciendo in secunda parte, scilicet, videre commoda et utilitates in eo non tenendo, et similiter e contrario incommoda et pericula in eo item non tenendo.

Quintum, his praemissis, ratiocinari in utramque partem, et iuxta ipsius rationis dictamen, seposito carnis appetitu omni, Electionem concludere.

Quintum, postquam ita discurri, et ratiocinatus sum in omnes partes super re proposita, videre quam in partem ratio magis se inclinet, *et ita secundum maiorem motionem rationalem, et non [secundum] motionem ullam sensualem, debet fieri deliberatio super re proposita.*

Sextum, Electione facta, ad orandum cito prosilire, et illam offerre Deo perfecte demum, si ei placeat, recipiendam et stabiliendam.

Sextum, facta tali Electione, seu deliberatione, debet is qui eam fecit, ire multa cum diligentia *ad orationem* ante conspectum Dei Domini nostri, *et offerre illi talem Electionem,* ut divina sua Maiestas velit illam recipere et confirmare (87), si maius eiusdem servitium et laus fuerit.

Modus posterior bene eligendi, in regulas quatuor, et annotationem unam distributus.

Secundus Modus ad faciendam sanam et bonam Electionem continet in se quatuor regulas, et unam notam.

Regula prima, quod, cum oporteat per affectum ex Dei amore coelitus infusum fieri Electionem, eligentem convenit persentiscere in seipso,

Prima [regula] est, ut ille amor, qui me movet, et me eligere facit rem talem, descendat desursum ex amore Dei: ita ut ille qui eligit, sen-

modum sit sensui vel incommodum, per se quidem ad hanc deliberationem nihil refert.

(87) *Ut divina sua Maiestas... si...* Haec ultima conditio etiam nunc apponitur, quia quantumvis diligenter discussa res fuerit, potest tamen surrepsisse error aut deceptio.

quod quidquid affectionis (sive multum sive modicum sit) erga rem electam tenet, ex solius Dei amore, et intuitu proficiscatur.

Secunda (*) est, considerare, si quis mihi vir amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret dubius super Electione huiusmodi, quidnam ego illi decernendum maxime essem consulturus. Quo animadverso, agendum et mihi ducam, ut suaderem alteri.

Tertia, mecum insuper reputare, si mors ingrueret, quem me mallem observasse modum in praesenti deliberatione. Iuxta hunc igitur eligendum nunc esse facile intelligam.

tiat primum *in se, quod ille amor, quem plus aut minus habet erga rem* quam eligit, *sit unice propter suum Creatorem ac Dominum.*

Secunda, spectare [*proponere mihi*] *hominem aliquem,* quem numquam viderim neque cognoverim (88), *et desiderando eius omnem perfectionem, considerare quid ego illi dicerem faciendum et eligendum ad maiorem gloriam Dei Domini nostri, et maiorem perfectionem animae suae; et faciendo similiter* [*pro me ipso*], *servare regulam quam pro altero pono.*

Tertia, considerare, ac si essem in articulo mortis, formam ac mensuram quam tunc vellem tenuisse in modo praesentis Electionis et regulando me secundum illam [*formam*], *faciam* [*ita*] *omnino* (89) *meam determinationem.*

(*) *In Modo secundo bene eligendi. In secunda regula:* Secunda est, considerare, etc. *usque ad finem. Clarius ita verti potest ex autographo:* Secunda est considerare, si quis mihi vir antea ignotus, et numquam plane visus, cui tamen nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret dubius super Electione huiusmodi, quidnam ego illi faciendum et eligendum ad maiorem Dei gloriam, et maiorem animae illius perfectionem essem consulturus; quo animadverso, id mihi agendum ducam, quod alteri suaderem.

---

(88) *Quem numquam viderim, neque cognoverim.* - Ita ex autographo, vel: *antea ignotus et numquam plane visus,* ut habet lectio vulgata correcta. Revera enim, quod illa habebat: *amicissimus,* deliberantem periculo *affectionis humanae* exponit, quae omnino abesse debet; in *ignoto* contra ac *numquam plane viso* facilius desiderari *omnis perfectio* puro animo potest absque admixtione ullius humanae affectionis.

(89) *Omnino.* - Ex autographo *in omnibus.* - *Faciam* autem in autographo non est futuri temporis, sed praesentis coniunctivi, ut sensus sit: *faciam necesse est.*

Quarta, prospicere non minus, quando pro tribunali sistar iudicandus, quo me consilio hac in re usum esse vellem. Quo agnito nunc utar, ut eo tempore magis sim securus.

Quarta, attendendo et considerando qualem me inventurus sim [*quo animo sim futurus*] *in die Iudicii, cogitare quomodo tunc vellem deliberasse circa rem praesentem, et regulam quam tunc vellem tenuisse eamdem nunc assumere, ut tunc* me inveniam [*sim*] cum plena voluptate et gaudio.

Adnotandum est postremo, quod hisce regulis quatuor propter salutem meam, et animi quietem accurate servatis, debeo iuxta ultimum punctum Modi praecedentis Electionem ipsam definire, et offerre Deo comprobandam.

Assumptis regulis supradictis ad meam salutem et quietem aeternam, *faciam meam Electionem et obligationem Deo Domino nostro, iuxta sextum punctum primi Modi faciendi Electionem.*

De Emendatione seu Reformatione circa vitae statum cuivis facienda.

Ad emendandam et *reformanpropriam* vitam et statum.

In primis illud est advertendum, quod si quis vel Matrimonio, vel officio dignitatis Ecclesiasticae sit adstrictus (de temporalium vero bonorum quantitate, magna an parva sit, non refert), unde ipsi non vacet aut parum libeat circa mutabilium rerum Electiones versari, operae pretium est, earum loco methodum ei tradi, seu formulam aliquam, ex qua vitam suam et statum proprium possit emendare.

Debet igitur, quisquis eiusmodi conditionem sortitus est, ut finem creationis et vitae suae recte statuat ac sequatur, per Exercitia supradicta, et Electionum Modos attendere,

Advertendum est, quod circa eos, qui constituti sunt in Praelatura, vel in Matrimonio (sive abundent multum bonis temporalibus, sive non), ubi non habent locum, vel valde promptam voluntatem (90) *faciendi Electionem rerum, quae cadunt sub electionem mutabilem,* valde utile est *loco faciendi Electionem, dare* [*illis*] *formam et modum emendandi* et reformandi *propriam vitam et statum uniuscuiusque illorum; scilicet* ponendo [*firmiter tenendo ante oculos*] creationem suam, vitam et statum, ad gloriam et laudem Dei Domini nostri, et salvationem animae suae propriae; ut ad

(90) *Valde promptam voluntatem.* - Quia qui hanc non habeat, frustra grave ac difficile hoc Electionis negotium aggredietur.

atque ruminando sedulo colligere, quam amplam domum et familiam aequum sit se habere; quibus eam modis tractare et administrare conveniat; quibus instruere verbis et exemplis; quantum praeterea de possessis facultatibus sumptum facere liceat in usus proprios, sive domesticos; quid rursum pauperibus erogare, vel impendere piis operibus deceat, nihil affectando aliud, nec quaerendo, nisi quod honorem Dei et salutem suam praestet.

Hoc enim unusquisque persuasum habeat, tantum se in studiis spiritualibus promotorum esse, quantum ab amore sui ipsius et commodi proprii affectione sese abstraxerit.

hunc finem veniat eumque assequatur, *debet* [*talis*] multum considerare *et ruminare per Exercitia et Modos eligendi, prout declaratum est: quantam domum et familiam habere debeat, quomodo eam debeat* regere et gubernare, *quomodo eam debeat docere verbo et exemplo; similiter de suis facultatibus, quantam* [*partem*] *debeat sumere pro sua familia et domo et quantam ad dispensandum in pauperes et in aliis res pias, non volendo, neque quaerendo quidquid aliud, nisi* in omnibus et per omnia maiorem laudem et gloriam Dei Domini nostri. *Cogitet enim unusquisque, tantum se profectum facturum esse* in omnibus rebus spiritualibus, *quantum* exiverit (91) [*exuerit se*] *a proprio suo amore,* [*a propria*] voluntate, *et utilitate* [*commoditate propria*].

(91) *Exiverit.* - Ita proprie ex autographo. Antiqua versio *ms.* habet: *quantum exspoliaverit se.* - Adverte diligenter hoc vitae vere spiritualis ac solidae virtutis acquirendae axioma praecipuum. Observa et pondera relationem *tantum-quantum.* Denique magis magisque intellige, cur omnis horum Exercitiorum ratio, quod quidem ad praxim attinet, ad proprii amoris expugnationem, ad victoriam sui ipsius, tamquam ad finem proximum et immediatum, meditantem impellat. Quia scilicet, si fructum seu finem proximum Exercitiorum (*victoriam sui*) consequatur, ultimum etiam finem, (*gloriam Dei suamque salutem ac perfectionem*) attinget; et hunc quidem ultimum *tanto* copiosius et perfectius, *quanto* plenius et generosius illi primo exercendo se tradiderit.

TERTIA HEBDOMADA

PRIMA CONTEMPLATIO

fit (*) in media nocte, et continet orationem praeparatoriam, tria praeludia, sex puncta cum uno colloquio.

Oratio praeparatoria eadem, quae semper.

Praeludium primum sumitur ex historia: quomodo Chistus a Bethania misit Hierosolymam Discipulos duos ad parandam Coenam, quo et ipse cum reliquis deinde profectus est; ibique post agni Paschalis esum et peractam Coenam, pedes lavit omnibus, et sacrosanctum corpus ac sanguinem suum largitus est. Postremo sermonem ad eos habuit, post discessum Iudae, ipsum venditturi.

Secundum, ex compositione loci, considerando dictum iter asperum aut lene, breve aut longum, cum certis, quae inesse poterant, circumstantiis; deinceps conspicando locum Coenae amplum, vel angustum, vilem vel ornatum, et consimilia.

TERTIA HEBDOMADA

PRIMA CONTEMPLATIO

media nocte, est quomodo Dominus noster perrexit a Bethania versus Hierusalem ad ultimam Coenam inclusive. Infra [inter Mysteria Vitae Christi Domini nostri]; et continet in se orationem praeparatoriam, tria praeambula, sex puncta, et unum colloquium.

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est, adducere [in mentem] historiam, quae hic est, quomodo Christus Dominus noster a Bethania misit duos Discipulos in Hierusalem, ad parandam Coenam; ac dein ipse venit ad illam cum ceteris Discipulis; et quomodo postquam comedit agnum Paschalem et coenavit, illis lavit pedes deditque sanctissimum corpus suum ac sanguinem pretiosum *Discipulis; et fecit illis sermonem, postquam ivit Iudas ad vendendum* Dominum suum.

Secundum, compositio, videndo locum. Hic erit, considerare viam a Bethania in Hierusalem, an lata, an angusta, an plana etc.; similiter locum Coenae, an amplus, an exiguus, an formae huius vel illius.

(*) *In tertia Hebdomada. In titulo primae Contemplationis:* Prima contemplatio fit in media nocte, etc. *addatur ex autographo:* Prima contemplatio de Christi Domini nostri profectione a Bethania in Hierusalem, et de gestis usque ad ultimam Coenam inclusive, fit media nocte, et continet orationem praeparatoriam.

Tertium ex optatae rei petitione, scilicet doloris, indignationis, et confusionis, eo quod ob peccata mea, summus omnium Dominus tantis se tormentis ita obiiciat.

Punctum primum, erit respicere coenantes, et aliquid in usum meum adducere.

Secundum, eosdem audire, quid loquantur, et fructum inde decerpere.

Tertium, attendere quid agant, et per omnia proficere.

Quartum (*), advertere, quid iam inde Christus pati appetat et incipiat, iuxta historiam; unde incipiam et ipse dolorem, moestitiam, et fletum mihi excitare, meque affligam similiter in subsequentibus.

Quintum, meditari quo se pacto abscondens Christi divinitas, adversarios suos, cum valeat, non perdat, sed poenas adeo crudeles pati sinat humanitatem.

Sextum, cogitare, cum talia ferat pro peccatis meis, quid

Tertium, petere id quod volo. Erit hic, [*petere*] *dolorem,* afflictionem *et confusionem, eo quod ob mea peccata Dominus* eat *ad Passionem.*

Primum punctum est, videre personas Coenae, et reflectendo in me ipsum procurare *fructum aliquem ex illis capere.*

Secundum, audire ea quae loquuntur, et similiter aliquem fructum ex his capere.

Tertium, spectare ea quae faciunt, et fructum aliquem capere.

Quartum, considerare ea quae Christus Dominus noster patitur in humanitate, vel pati vult, iuxta tractum [*Passionis*] *quem quis contemplatur; et hic incipere magno nisu et conari* [*excitare me*] *ad dolendum, tristandum et plangendum; et eodem modo* laborando [*s. conando*] *per cetera puncta quae sequuntur.*

Quintum, considerare quomodo divinitas se abscondit, scilicet, *quomodo posset destruere inimicos suos et id non facit, et quomodo sinit pati* sacratissimam *humanitatem tam crudelissime* [*i. e. tam supra modum crudeliter et atrociter*].

Sextum, considerare quomodo haec omnia *patitur pro*

(*) *In quarto Puncto:* Quartum, advertere, quid iam inde, etc. *ita vertendum ex autographo:* Quartum, advertere quid Christus Dominus noster in humanitate patiatur, aut pati appetat, iuxta punctum, quod meditandum suscipitur; unde incipiam et ipse maximo conatu dolorem, moestitiam, et fletum mihi excitare; idemque curabo in sequentibus punctis.

agere debeam aut pati eius causa.

Colloquium ad Christum fiet, terminandum cum *Pater noster.*

In colloquis est notandum (ut supra ex parte iam exposuimus) quod agere convenit, et aliquid petere, iuxta praesentis rei rationem, videlicet, prout sentio in me consolationem, vel perturbationem; prout virtutem unam vel alteram expeto; prout in hanc, vel illam partem de me statuere intendo; prout etiam de re, quam contemplor, tristari volo vel laetari. Denique postulandum erit illud, quod circa rem certam aliquam maxime desidero; et unum dumtaxat colloquium poterit confici ad Christum Dominum, vel triplex, si devotio instiget, nempe ad Matrem, Filium et Patrem, sicut traditum est in contemplatione secundae hebdomadae de tribus Classibus, cum sequente illic Annotatione.

peccatis meis etc. *et quid debeo ego facere* et *pati pro illo* (1).

Terminare colloquio ad Christum Dominum nostrum, et in fine Pater noster.

Advertendum est, sicut superius et ex parte declaratum est, quod in colloquiis debemus ratiocinari et petere *iuxta subiectum materiam, scilicet, prout me reperio* tentatum *vel consolatum, et prout desidero habere unam virtutem vel alteram, prout volo disponere de me in unam partem vel in alteram, prout volo dolere vel gaudere de re quam contemplor, tandem petendo ea quae magis efficaciter circa* res aliquas particulares *desidero. Et hoc modo potest* [*quis*] *facere unum solum colloquium ad Christum Dominum nostrum, vel si* materia vel *devotio ipsum* [*ad hoc*] *moveat, potest facere* tria *colloquia,* unum *ad Matrem,* alterum *ad Filium,* tertium *ad Patrem, eadem forma prout dictum est in secunda hebdomada, in* meditatione *de duobus Vexillis* (2) *cum No-*

(1) Animadvertendum hoc loco est, ut in mysteriis secundae hebdomadae adnotavimus, punctis illis de *personis, verbis, actionibus,* non tam ordinem meditandi constitui, quam materiam (vid. notam. n. 10. de Incarn.), ita tria postrema puncta, quae in hac tertia hebdomada adiiciuntur, non sic intelligi debere, ut haec omnino ad finem contemplationis cuiusque reserventur, sed comitentur, ut ita dicam, *personarum, verborum* et *actionum* considerationem; scilicet, ut haec tria puncta in promptu habeamus in decursu totius contemplationis, et ad haec reflectamus, tamquam aptissima ad fructum illum, qui huius hebdomadae proprius est, dolorem scilicet de poenis Domini, colligendum.

(2) *De duobus Vexillis.* - Ita omnino legendum censeo. In hispanico legitur quidem: *de los dos Binarios;* sed est evidenter mendum scriptoris; *Binarii* enim non *duo* sunt, sed *tres;* cumque mox recurrat mentio *Binariorum,* hoc loco S. Auctorem scripsisse *de las dos Banderas* vix aut ne vix quidem videtur posse dubitari.

De *Nota, quae sequitur post Binarios,* vide supra n. 69. in secunda hebd.

ta quae sequitur post Binarios [*Classes*] (3).

SECUNDA CONTEMPLATIO

in aurora, de rebus a Christo post Coenam, et in Horto gestis.

Oratio praeparatoria consueta semper.

Praeludium primum est iuxta historiam; quomodo Iesus Christus una cum undecim suis Apostolis, descendit ex monte Sion, ubi fuerant coenati, et transiens per vallem Iosaphat, relictis ibi ex illis octo, aliis vero tribus in Horti parte, seorsum ipse digrediens, oravit ad sudorem usque sanguineum, iterata iam ter eadem ad Patrem suum oratione. Postea excitis Discipulis a somno, prostratis ad solam vocem, cum Iuda per osculum prodente, adversariis, restituta deinceps, quam amputaverat Petrus, Malchi auricula, comprehensus tandem est, quasi nefarius aut latro quispiam, et per vallem illam ad Annae domum primo tractus.

SECUNDA CONTEMPATIO

in aurora, erit [*de rebus gestis*] *a Coena ad Hortum inclusive.*

Solita oratio praeparatoria.

Primum praeambulum est historia, et erit hic, quomodo Christus Dominus noster descendit cum suis undecim Discipulis ex monte Sion, ubi Coenam fecit [*fecerat*], *versus vallem Iosaphat, relinquens octo ex illis in parte una vallis, et ceteros tres in Horti parte; et* ponens se in oratione, *sudat sudorem* tamquam guttas sanguinis; *et postquam ter fecit orationem ad Patrem, et excitavit a somno tres suos Discipulos, et postquam ad vocem eius ceciderunt inimici, et Iuda eum osculante, et S. Petro abscindente auriculam Malcho, quam Christus loco suo restituit, cum comprehensus esset ut malefactor,* pertrahunt *illum per vallem* deorsum, *ac*

(3) In hac prima tertiae hebdomadae contemplatione S. Pater, ut patet, formam posuit in omnibus huius hebdomadae contemplationibus adhibendam. Eam brevius hoc loco proponit, propterea quod quae ad personas, verba, actiones contemplandas pertinent, satis explicata fuere in primo Exercitio secundae hebdomadae. Itaque et nos ad illud Exercitium et ad Annotationes ibi positas, praesertim n. 16. remittimus. Cetera omnia perspicua sunt in ipso Libello, dummodo considerentur ac diligenter ponderentur. Copiosa item doctrina de Colloquiorum usu, quae hic traditur, non cursim legenda, aut leviter praetereunda; est enim longe utilissima, et si cum iis, quae de eodem argumento habentur in fine primi Exercitii primae hebdomadae, conferantur, plena habebitur de colloquiis fructuose instituendis instructio, nobis omnibus qui eorum usum quotidianum habere debemus, saltem in matutina meditatione, peropportuna.

dein per declivum sursum, *ad domum Annae.*

Secundum est, pro construendo loco, viam intueri declivem, planam, et arduam; item Hortum certa magnitudine, figura et habitudine depingendum.

Secundum est, videre locum. Erit hic, considerare viam a monte Sion ad vallem Iosaphat, *et similiter Hortum, an latus, an longus, an hoc vel illo modo* [*situs*].

Tertium, pro voti consecutione, poscere moerorem, planctum, anxietatem, et ceteras id genus poenas interiores, ut Christo patienti pro me compatiar.

Tertium, petere id quod volo, quod est proprium petere in Passione, [*scilicet*] dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem *cum Christo* fracto [*viribus consternato*], lacrimas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.

Notanda simul haec quatuor. Primum, quod post praeparatoriam orationem, cum tribus praeludiis secundi huius Exercitii, eodem modo et ordine procedendum est per puncta, et per colloquium, ut in praecedente de Coena peractum est. Adiiciendae quoque erunt circa Missae et Vesperarum tempus duae repetitiones super una et altera dicta contemplatione. Ante coenam vero applicabuntur quinque sensus, praemissa ubique oratione praeparatoria, cum tribus praeludiis, oblatae materiae congruentibus, quemadmodum in hebdomada secunda satis descriptum est.

In hac secunda contemplatione, postquam posita [*facta*] *est oratio praeparatoria, cum tribus praeambulis iam dictis, servabitur eadem forma procedendi per puncta et colloquium, quae habita fuit in prima contemplatione de Coena; et ad horam Missae et Vesperarum fient duae repetitiones super prima et secunda contemplatione; ac dein ante coenam trahentur* [*ducentur*] *sensus* super duas supradictas contemplationes, *semper praemittendo orationem praeparatoriam ac tria illa praeambula, iuxta subiectam materiam, eadem forma, ut dictum est ac declaratum in secunda hebdomada.*

Secundum, quod habita aetatis, complexionis corporalis, ac dispositionis totius ratione, vel quinque vel pauciora Exercitia diebus singulis implebuntur.

Prout aetas, dispositio et complexio iuvat personam quae exercetur, faciet singulis diebus quinque Exercitia vel pauciora.

Tertium, quod in hac tertia hebdomada mutandae sunt

In hac tertia hebdomada, mutabuntur ex parte secunda

ex parte Additio secunda et sexta: siquidem (quod ad secundam spectat) ubi fuero experrectus praecogitans quo tendam, et instantem contemplationem paululum delibans, interim dum surgo et accingor, adnitar simul ad tristitiam et dolorem, de tot ac tantis Christi poenis, meipsum acriter incitare.

Quoad sextam vero, suffugiam potius quam quaeram, aut admittam iucundas cogitationes, licet alioqui utiles et sanctas, ut sunt de Resurrectione Christi et Gloria; pro quibus in meditanda eius Passione, angores ac poenas hauriam, ex frequenti eorum recordatione, quae ab hora suae Nativitatis ad exitum usque vitae huius, ipse perpessus est.

Quartum, quod Examen particulare, circa tam Exercitiorum quam Additionum functionem, fiet ad eumdem modum, ut in hebdomada praecedente.

In SECUNDA autem DIE

contemplatio alia succedet, noctu transigenda, de gestis in domo Annae, ut narratur infra in Mysteriis Vitae Christi;

et sexta Additio. Secunda erit, statim ac excitatus fuero [*a somno*], *proponendo mihi quo vadam* et ad quid, *resumens paululum contemplationem quam facere volo,* prout Mysterium fuerit (4), *adnitar, dum surgo et me vestio, ad tristandum* et *dolendum de tanto dolore et de* tanta poena *Christi Domini nostri.*

Sexta mutabitur, non procurando adducere [*non admittendo*] *cogitationes iucundas, licet bonas et sanctas, ut sunt de Resurrectione et Paradiso, sed immo inducendo me ipsum ad dolorem et ad poenam et afflictionem, trahendo* [*ducendo*] *in memoriam frequenter aerumnas, labores et dolores Christi Domini nostri, quos pertulit a puncto quo natus est* usque ad Mysterium Passionis, in quo nunc versor.

Examen particulare circa Exercitia et Additiones praesentes, *fiet ita ut factum fuit in hebdomada praecedenti.*

SECUNDA DIE

media nocte contemplatio erit [*de gestis*] ab Horto usque ad domum Annae inclusive (5), *infra* [*Mysteria Iesu Christi*

(4) *Prout Mysterium fuerit.* - Non est otiosum hoc incisum. - In omnibus enim Mysteriis est quidem concipiendus dolor, varius tamen pro dolorum Christi varietate; in aliis enim Mysteriis dolores Christi interni, in aliis externi, in aliis tristitia, desolatio, in aliis ignominiae, in aliis cruciatus magis contemplandi veniunt. In Crucifixo vero simul omnia, in gradu summo.

(5) *Ab Horto usque ad domum Annae inclusive.* - Ita ex autographo, tum hoc loco, tum alibi passim, includuntur semper a S. P. N. in contemplatione, laboriosa Domini *itinera,* dum ab uno loco ad alium,

sub auroram vero de secutis rebus in domo Caiphae; deinde repetitiones et usus sensuum, velut prius.

TERTIA DIE

contemplabimur per noctem mediam, quomodo ductus est ad Pilatum Christus, et quid ibi actum, ut dicetur infra; diluculo vero, de iis quae gesta sunt, transmisso Christo ad Herodem. Subdetur repetitionum et sensuum consuetus usus.

DIE QUARTA

meditatio nocturna percurret historiam de reditu ab Herode usque ad mediam partem Mysteriorum, quae apud Pilatum secuta sunt; reliquam vero partem circa lucem primam prosequemur. De repetitionibus quoque, et sensibus, pro consuetudine sit agendum.

DIE QUINTA

sub noctis medium, de progressu ipso Passionis contemplabimur, a sententia Pilati usque ad Crucifixionem; sub auroram deinceps, ab elevatione crucis ad Christi usque expirationem; repetitiones, et sensuum exercitatio, ut supra.

Domini nostri]; *et in aurora* a domo Annae ad domum Caiphae *inclusive, infra* [*ibid.*]; *et postea duae solitae repetitiones, et applicatio sensuum, eo modo quo iam dictum est.*

TERTIA DIE

media nocte, a domo Caiphae ad Pilatum inclusive, *infra* [*Mysteria*]; *et in aurora* a Pilato ad Herodem inclusive, *ibid; ac dein solitae repetitiones et sensus, eadem forma, qua iam dictum est.*

QUARTA DIE

media nocte, ab Herode ad Pilatum, ibid., faciendo [*hoc Exercitium*] *et contemplando usque ad mediam partem Mysteriorum eiusdem domus Pilati; deinde in Exercitio,* [*quod fiet*] *in aurora, reliqua Mysteria quae remanserunt eiusdem domus; et repetitiones, et sensus, ut dictum est.*

QUINTA DIE

media nocte, a domo Pilati usque dum positus fuit in cruce [*s. crucifixus*], *infra ibid.; et in aurora, ab elevatione eius in cruce, usque dum expiravit, ibidem; et postea solitae duae repetitiones et sensus.*

ab uno tribunali ad alterum pertrahitur, non sine gravissima poena et ignominia, utraque merito diligenter contemplanda.

DIE SEXTA

noctu, quomodo mortuus Dominus, sublatus de cruce, et ad monumentum delatus est; primo mane, ex quo sepultus fuit, donec beata Virgo in domum aliquam se recepit.

DIE SEPTIMA

inter noctu et mane Passionem totam revolvemus. Postea repetitionum, et sensuum vice, per diem totum considerabimus, quam licebit frequentissime, quo pacto sanctissimum Iesu Christi corpus remanserit ab anima seiunctum, et ubinam, aut quomodo sepultum; item quae fuerit beatae Mariae matris solitudo, desolatio, qualis et quanta afflictio; quam acerbus quoque Discipulorum moeror exstiterit.

Subnotandum est, quod si cui libeat, meditandae Christi Passioni diutius instare, contemplationes singulas debet absolvere cum paucioribus Mysteriis, ita ut prima solum comprehendat Coenam, secunda Lotionem pedum, tertia Eucharistiae sanctae Institutionem, quarta Sermonem ibi subsecutum, et sic inceteris agendum.

Ad haec, traiecta tota Passione, licebit proximo post die

SEXTA DIE

media nocte, a cruce, cum deponitur, usque ad monumentum exclusive, *ibidem; et in aurora,* a monumento inclusive usque ad domum, *in quam Domina nostra se recepit, postquam sepultus esset Filius eius.*

SEPTIMA DIE

contemplatio totius Passionis simul in Exercitio mediae noctis et aurorae; et duarum repetitionum ac sensuum loco, considerare per totam illam diem, quam poterit [*exercitans*] *frequentissime, quomodo corpus sacratissimum Christi Domini nostri remansit* solutum *et separatum ab anima, et ubi et quomodo sepultum; item considerando solitudinem Dominae nostrae cum tanto dolore et animi afflictione; deinde ex altera parte Discipulorum* [*etiam*] *solitudinem* [*et moerorem*].

Notandum est, quod qui magis vult tempus producere [*diutius immorari*] *in Passione, debet assumere in quavis contemplatione pauciora Mysteria, scilicet, in prima contemplatione Coenam solummodo, in secunda Lotionem pedum* [*discipulis factam*], *in tertia Sacramentum illis datum, in quarta Sermonem quem Christus illis fecit, et sic per ceteras contemplationes et Mysteria.*

Item, post finitam Passionem, sumat uno die integro

iterare eius dimidium, atque reliquum postridie; perendie rursus totam simul.

E contrario vero si quis malit tempus succidere, contempletur de Coena Domini per noctem, de Horto in aurora, de Annae domo circa Missam, sub Vesperas de domo Caiphae, de praetorio Pilati ante coenam; et ita pergendo per dies singulos diversa Exercitia quinque implebuntur, utpote repetitionum ac sensuum usu praetermisso. Transcursa vero Passione, operae pretium fuerit, eamdem simul totam die unico revolvere, sive in unum tantum Exercitium congestam, sive distributam in plura, prout sibi fore conducibilius ille censuerit.

mediam partem totius Passionis, et secundo die alteram partem, et tertio die totam Passionem.

E contrario, qui voluerit magis abbreviare [tempus] in Passione [contemplanda], assumat media nocte Coenam et in aurora Hortum, ad horam Missae domum Annae, ad horam Vesperarum domum Caiphae, loco horae ante coenam [i. e. applicationis sensuum] domum Pilati; ita ut non faciendo repetitiones, neque applicationem sensuum, faciat quotidie quinque Exercitia distincta, et in quovis Exercitio [contempletur] distinctum Mysterium Christi Domini nostri; et post finitam ita totam Passionem potest facere [contemplari] alio die totam Passionem simul in uno Exercitio, vel in diversis, prout magis sibi videbitur fructum percipere posse.

REGULAE ALIQUOT

ad victum recte temperandum.

Prima est, quod a pane minus abstinendum sit, quam a reliquis alimentis: cum neque gulam adeo irritet, nec tenta-

REGULAE

ad ordinandum se *in posterum in victu* (1).

Prima regula est, quod a pane convenit minus abstinere, quia non est cibus, super quem appetitus soleat tam

(1) *Regulae etc.* - Videntur hae Regulae a S. Patre hoc loco positae, occasione primae contemplationis huius tertiae hebdomadae, *de Christi Domini Coena.* Vid. Reg. 5. Certe enim hae Regulae non magis ad hanc tertiam hebdomadam pertinent, quam ad totum Exercitiorum tempus, immo vero etiam ad omnem vitam nostram.

Multae ex his Regulis doctrinam continent, quae licet hic applicata ad *victum* sit, generatim tamen ad omnes actiones et affectiones ordinandas utilissime transferri potest; v. g. ut ad gulam, ita ad su-

tioni aeque obnoxios nos reddat.

Secunda, quod circa potum attendenda sit magis abstinentia, quam circa panem: caute observando, quae prosit mensura potus, ut sumatur semper, quae rursum noceat, ut tollatur.

Tertia, quod circa pulmenta et edulia potissimum abstinentiae ratio versetur, cum per illa, tum appetitui ad peccandum, tum inimico ad tentandum, maior subministretur occasio. Temperanda sunt igitur, vitandi excessus causa; quod fit dupliciter, dum vel cibis grossioribus vescimur atque assuescimus, vel dum parce delicatis utimur.

Quarta est, quod quanto plus de conviente victu sibi quis ademerit (vitato interim valetudinis adversae gravi pe-

inordinari [*tam inordinate ferri, modum excedere*], *aut ad quem tentatio insistat* [*adeo impellat*], *uti ad ceteros cibos.*

Secunda, circa potum videtur commodior [*magis opportuna, necessaria magis*] *abstinentia, quam circa* comestionem *panis; proinde multum debet considerari quid prosit,* ut admittatur (2), *et quid noceat, ut tollatur.*

Tertia, circa obsonia servari debet maxima, et maxime integra abstinentia, quia tam appetitus ad inordinationem [*excedendum modum*], *quam* tentatio *ad* investigandum (3) [*ad excogitandas et quaerendas lautitias*] *promptiores sunt in hac parte; itaque abstinentia in cibis, ad* inordinationem *vitandam, potest adhiberi duobus modis: primo cum* [*quis*] *assuescat manducare cibos grossiores, altero, si delicatos* [*sumat*] *in parva quantitate.*

Quarta, cavendo ne incidat in infirmitatem, *quanto plus quis subtraxerit de convenienti* [*victu*], *tanto citius perve-*

perbiam, ad iram domandam, etc. Duo notantur a S. Patre, quae ad inordinationem in victu stimulare hominem solent, quaeque proinde observare docet et expugnare, *appetitus* naturalis et daemonis *tentatio* (Vid. Reg. 1. 3. et ult.). Eadem vero in omni alia inordinatione observari possunt ac debent; et pleraque remedia, quae hic praescribuntur a S. Patre, aeque usui erunt in alia quacumque *appetitus* ac *tentationis* materia, praesertim ea quae habentur a Reg. 5. usque ad finem.

(2) *Ut admittatur.* - Sane differt multum haec expressio ab ea quae in vulgata versione habetur: *ut sumatur semper.* Nam, et *admittatur* minus dicit, quam *sumatur;* et *semper* abest in autographo.

(3) *Ad investigandum.* - Fortasse mendum est in textu hispanico, et pro *investigar* legendum *instigar,* quod certe sensum praebet planiorem. Antiqua versio *ms.* habet hoc loco: *insistere,* quod utique non respondet verbo hispanico *investigar,* bene vero *instigar.* - Similiter in prima Regula, pro *insista,* quod nunc habet textus hispanicus, omnino legendum videtur *incita,* quod idem est ac *instiga.*

riculo), tanto celerius mensuram cibi ac potus iustam reperiet: tum quia, hoc modo melius se disponens, et obnixius tendens ad perfectionem, sentiet interdum quosdam cognitionis internae radios, et consolatorios motus sibi coelitus immissos, ex quibus facile poterit rationem victus commodiorem discernere, tum quoniam si quis ita abstinendo se deprehenderit viribus imbecilliorem esse, quam ut ipsa Exercitia spiritualia peragere commode valeat, sic facile advertet, quam mensuram victus naturae necessitas requirat.

Quinta, quod expedit inter comedendum imaginari, quasi videamus Iesum Christum Dominum nostrum vescentem cum suis Discipulis, observando quem teneat edendi, bibendi, respiciendi, et loquendi modum, eumque ad imitandum nobis proponendo. Usuveniet enim, ut occupato magis intellectu circa meditationem talem, quam circa corporalem cibum, discamus facilius victum moderari.

Sexta, quod, gratia varietatis, aliae adhiberi possunt me-

niet ad medium (4) *quod servare debet in manducando et bibendo;* [*idque*] *ob duas rationes: primo, quia sic* adiuvans sese *ac se disponens, saepe magis sentiet internas cognitiones, consolationes et divinas inspirationes, quibus ostendatur sibi* medium, *quod sibi conveniat; secundo,* [*quia*] *si persona videat se in tali abstinentia, nec tantis viribus corporis* nec dispositione,[*quae sufficiant, vel aptum conservent*] *ad Exercitia spiritualia* [*peragenda*], *facile perveniet ad iudicandum quid magis conveniat sustentationi corporis.*

Quinta, tempore quo quis cibum sumit, consideret ac si videat Christum Dominum nostrum cibum sumentem cum suis Apostolis, et quomodo bibat, et quomodo respiciat, et *quomodo loquatur; et* curet *eum imitari, ita ut praecipue intellectus occupetur in consideratione Domini nostri, et minus in sustentatione corporis, ut ita capiat maiorem* methodum (5) *et ordinem circa modum, quo* se habere et gubernare *debeat.*

Sexta, alias, dum cibum sumit, potest aliam considera-

(4) *Medium.* - Intellige ex autographo, *viam mediam,* inter excessum et defectum. - Notatu etiam dignissima est expressio illa: *adiuvans sese.*

(5) *Methodus.* - Hisp. *concierto,* quasi: harmonia. Antiqua versio *ms.* vertit: *formam.* - Notandum quod sequitur: *circa modum quo se habere ac gubernare debeat,* quod latius patet, neque ad solam rationem *moderandi victus* pertinet, sed respondet propositae considerationi, quomodo Christus non modo *manducet* ac *bibat,* sed et quomodo *respiciat* et *loquatur.* Et sane in conviviis non minori cura lingua et sensus ceteri custodiendi sunt et ab inordinatione servandi, quam gustus.

ditationes inter vescendum, ut sunt de Sanctorum vita, de pia quapiam doctrina, vel de aliquo spirituali negotio agendo: unde sic abstracta mente, cibus ipse et vescendi delectatio parum sentiatur.

Septima, quod cavendum sit praecipue, ne super sumendos cibos, animus quodammodo totus effundatur, et ne avide vescamur, aut festine: sed appetitui semper dominantes, tum mensuram victus, tum sumendi modum una temperemus.

Octava est, quod plurimum conducit ad tollendam cibi potusque immoderantiam, si ante prandium aut coenam, et quacumque hora nulla esuries sentitur, praevia deliberatione, victum proxime sumendum definiamus ad mensuram certam, quam deinde nulla vel propria aviditate, vel instigatione inimici, numquam excedamus, sed potius vincendae utriusque causa, de illa nonnihil etiam subducamus.

tionem adhibere, vel de vita Sanctorum, vel de pia aliqua contemplatione, vel de aliquo negotio spirituali quod sibi agendum sit: quia attentione defixus in re tali, minus *sumet delectationis* et sensus *in cibo corporali.*

Septima, super omnia (6) *caveat, ne sit totus animus suus* intentus *in id quod comedit, neque in comedendo sit* festinus prae appetitu, *sed sit dominus* sui, *tam in modo comedendi, quam in quantitate quam sumit.*

Octava (7), *ad tollendam* [*omnem*] inordinationem [*circa victum*], *multum iuvat,* post *prandium, vel* post *coenam, vel alia hora qua non sentiat appetitum comedendi. determinare secum pro prandio vel coena proxime futura,* et ita consequenter quotidie, *quantitatem quam conveniat sumere, ultra quam neque ob appetitum quemcumque, neque ob tentationem* [*ullam*] *procedat, sed immo ad magis vincendum* omnem *appetitum*

(6) *Super omnia.* - Merito S. P. hac utitur emphasi: *Super omnia.* Id enim praecipuum, id *super omnia* cavendum, ne animus se effundat, sed sit dominus sui, numquam sui impotens. Idemque in omni affectione praecipuum est, quo eniti per assiduam vigilantiam suique victoriam quisque virtutis cultor debet.

(7) *Octava.* - Regula mirae sapientiae, et ad omnem affectionem ordinandam utilissima. 1. *Tempore tranquillo praevidere* occasionem, qua inordinatio facilius possit accidere; - 2. in antecessum *statuere, quid* in ea occasione *agendum sit,* ne tentationi succumbamus, scilicet proponere tentationi contraria; - 3. quod si in occasione dein constituti acrius tentemur, etiam *plus agere* contra illam, *quam quod* prius *constitueramus.* Hoc scilicet est non solum *resistere* inimico, sed illum etiam *prosternere,* ut loquitur S. P. Ann. 13. inter 20. Hoc est *agere contra* sensualitatem, quod item plus est quam *resistere.* Vide de *Regno Christi* notam sub n. 5.

inordinatum et tentationem inimici, si tentatur ad plus comedendum comedat minus.

QUARTA HEBDOMADA

CONTEMPLATIO PRIMA

quomodo Iesus Dominus post Resurrectionem apparuit sanctae Matri suae, ut habetur infra in Mysteriis Vitae Christi .

Oratio praeparatoria iuxta morem.

Praeludium primum accipitur ab historia: quomodo postquam exspiravit Dominus in cruce, sepulto (*) corpore, sed Divinitate semper sociato, ipse in anima, Divinitati quoque continue unita, descendit ad Inferos; ereptisque inde iustorum animabus, rediens ad se-

[*QUARTA HEBDOMADA*]

PRIMA CONTEMPLATIO

quomodo Christus Dominus noster apparuit [*Dominae nostrae. Infra* [*vid. inter Mysteria*].

Solita oratio praeparatoria.

Primum (1) *praeambulum est historia, quae hic est: quomodo postquam Christus exspiravit in cruce, et corpus remansit separatum ab anima, et cum illo semper unita Divinitas,* anima beata(2) *descendit ad Infernum, pariter unita cum Divinitate; unde eripiens*

(*) *In prima Contemplatione quartae hebdomadae. In primo praeludio:* Sepulto corpore, *ex autographo habetur*: Corpore ab anima separato; *vox enim illa* (sepulto) *non est neque cohaeret cum aliis.*

---

(1) Hoc praeambulum diligenter consideretur; praebet enim copiosam contemplandi materiam circa personas, verba, opera, etc., quae alioqui in hac contemplatione, prout inter Mysteria proponitur, ieiunior videri posset.

(2) *Anima beata.* - Notatu dignum est hoc epitheton *beata,* quod animae apponitur in autographo. Et vero Christi anima momento, quo corporis soluta vinculis fuit, eodem perfecta ac plena beatitudine sibi debita perfrui coepit. Quamquam enim propter unionem hypostaticam, et gloria corpori et beatitudo animae Christi esset debita omnino ac propria, fuit tamen etiam in Christo *corpus mortale,* maxime in passione, vero sensu *animae ergastulum,* ex quo haec egressa statim in ipsa morte victrix plene ac perfecte glorificata est. Et procul dubio terrae motus ceteraque illa signa, quae Christi mortem subsecuta sunt, non minus victoriae huius trophaea quam luctus creaturarum ob exstinctum Salvatorem indicia fuisse censenda sunt.

pulchrum, corpus cum anima denuo univit, ac resurgens, demum apparuit beatae Virgini Matri suae vivus, ut pie ac verisimiliter credendum est.

animas iustas (3) *et veniens ad sepulchrum et resurgens, apparuit benedictae Matri suae in corpore et anima.*

Secundum, pro constructione loci, speculandum accipiet sepulchri situm et beatae Virginis domicilium, cuius formam, partes et reliquam dispositionem, ut cellulam et oratorium, singillatim perscrutabimur.

Secundum, compositio, videndo locum, quod hic erit, videre dispositionem sancti sepulchri et locum seu domum Dominae nostrae, respiciendo partes eius in particulari; item cubiculum, oratorium etc.

Tertium, continebit gratiam petendam, ut scilicet immensum Christi ac Matris gaudium participemus.

Tertium, petere id quod volo, et erit hic, petere gratiam (4) *ut laeter et gaudeam* intense *de tanta* gloria *et* gaudio *Christi Domini nostri.*

(3) *Animas iustas.* - Omnes ac singulas participes facit triumphi et gloriae, prout laborum participes olim exstiterunt. (Ex *Regno Christi*). Quam multa hìc se offerunt, quibus venturum Christum Patriarchae et Prophetae praefigurarunt, acta praeclare ac tolerata, quae nunc a triumphatore Christo sua obtinent praemia. - Quid vero in Virgine, quae omnium maxime laborum ac dolorum fuit particeps? - Quale huic, quale illis solatium affert Christus! Ut in quinto puncto.

(4) *Petere gratiam.* - Bene advertenda est gratia, quae petenda dicitur. Est autem haec: ut *laetemur* et *gaudeamus*, idque *intense*. Qua vero de re gaudeamus? DE GLORIA ET GAUDIO CHRISTI DOMINI NOSTRI. Id quod in vulgata versione minus clare exprimitur illo verbo: *participemus*. Christum Dominum Regem ac Ducem nostrum, tam bene de nobis meritum, *gloria* et *gaudio* ineffabili fruentem contemplamur. Haec nostrae laetitiae vera ratio, *ex amore erga Christum Dominum,* qui amor purissimus atque sanctissimus huius hebdomadae praecipuus est fructus. Et vero contemplatio tantae gloriae Regis nostri, qui in hoc Mysterio apparet, qualis est, *gloria generis humani,* mirum in modum valet ad confirmandam in nobis et augendam aestimationem Eius, et ad Eius amorem in nobis magis magisque accedendum; itemque ad aestimationem et amorem laborum Eius et Crucis Eius, per quam tanta parta est victoria et gloria. Unde hic *amor Christi,* quem praecipuum dicimus esse huius hebdomadae fructum, nequaquam sterilis est affectus, sed mire efficax ad confirmandos nos in proposito Illum sequendi et imitandi, et praecipue excitat *alacritatem* laborandi et patiendi, dum vivimus hanc mortalem vitam, ad exemplum et ex amore *talis ac tanti* Regis nostri. - Itaque possunt quidem et debent etiam haec Mysteria gloriosa nostrae fragilitati etc. vires addere, propter *spem* quae hìc excitatur, fore ut aliquando id fiat in membris, quod in capite iam videmus impletum; praecipuum tamen est, ut de Christi gloria *propter ipsum Christum* gaudeamus, nostri ipsorum nostraeque propriae felicitatis tantisper veluti obliti. Ita nostrae miseriae ac poenae, quibus etiam, dum maxime in hac quarta Exercitiorum hebdomada versamur, exercitari non raro nos vult Deus (quod item Dei

Punctum primum, secundum, ac tertium eadem hic erunt, quae supra in contemplatione Coenae fuerunt exposita, id est considerare personas, verba, opera.

Quartum vero erit, animadvertere (*), quomodo Christi Divinitas, Passionis et mortis tempore abscondita, palam se faciat in Resurrectione, ac tot miraculis deinceps elucescat.

Quintum, aestimare quam prompto copiosoque functus sit Dominus consolandi suos officio, adhibita consolationis, quae ab amicissimo quopiam praestari potest, similitudine.

Colloquio uno, vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio cum *Pater noster.*

Primum punctum secundum, et tertium sint eadem solita, quae habuimus in Coena Christi Domini nostri.

Quartum, considerare quomodo Divinitas, quae videbatur se abscondere in Passione, apparet et ostendit se nunc tam miraculose in sanctissima *Resurrectione,* per veros et sanctissimos eius effectus.

Quintum, speculari *officium consolandi* (5) [*suos*] *quod Christus Dominus noster exercet; et comparando, quomodo solent amici amicos consolari* (6).

Terminare uno vel pluribus colloquiis, iuxta subiectam materiam, et Pater noster (7).

(*) *In quarto puncto:* Quomodo Christi Divinitas Passionis et mortis tempore abscondita: *in autographo habetur:* Quomodo Christi Divinitas, quae Passionis tempore videbatur abscondita, etc.

famuli in praecipuis anni sollemnitatibus experiri aliquando solent), fructum solidum harum contemplationum non impedient. Nam ut Christi gloria et gaudium extra mundi huius vicissitudines positum est, ita nostrum de hac Christi gloria gaudium securum erit et inviolabile, ut proin cogitemus ac dicamus: « Mihi quidem tempus gaudendi de « meo bono necdum advenit, sed *sufficit mihi*, quod Rex ac Dux meus « Christus gloria et gaudio potiatur ». Qui quidem animi sensus in angelico cantico: *Gloria in excelsis,* sublimibus illis Ecclesiae verbis exprimitur: *Gratias agimus tibi* PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM. Et hoc est vere ac proprie *delectari* **In Domino** - Ita certe gavisa fuisse, in resurrectione Filii, Mater sanctissima censenda est, cui vel solam cogitationem de gloria et gaudio, quo Filium iam frui sciebat, plenissimum praebuisse solatium, in ferendis per multos deinceps annos exilii huius laboribus, dubitandum non est.

(5) *Consolandi.* - Christus redivivus consolatur omnes suos: 1. *sua propria gloria,* qua illi gaudent magis, quam de quacumque sua ipsorum felicitate; 2. *felicitate,* quam illis prabet, vel *in re,* ut Patribus ac Iustis in limbo, vel *in spe,* ut Matri sanctissimae, Discipulis, inque illis etiam unicuique nostrum. Dum ergo peregrinamur a Domino, *gaudere* nos decet, Christo quidem de gloria iam impleta, nobis autem *spe. Gaudete* IN DOMINO, SPE *gaudentes.*

(6) Vide notam n. 1. in tertia hebdomada.

(7) *Pater noster.* - Licet S. P. solum *Pater noster dicendum* praescribat, non tamen inopportunum erit ad Beatam Virginem, quae magna

Notandum porro, quod in sequentibus contemplationibus, seu Exercitiis, recensenda erunt per ordinem Mysteria omnia Resurrectionis Ascensionisque, et quae sunt intermedia, servatis ubique iisdem formulis et modis: sicuti per totam illam hebdomadam factum est, in qua Passionis Mysteria contemplati sumus, et iuxta modum ac exemplum primae huius de Resurrectione Domini meditationis, formandae sunt sequentes omnes, atque regulandae, tam in praeludiis (nisi quod haec rebus sunt accommodanda), quam in punctis quinque, et Additionibus singulis. Pari etiam ratione circa repetitiones, et sensuum operationes, nec non in augendo, minuendove Exercitiorum secundum Mysteria numero, dirigi poterimus, sicut in praedicta meditandae fuimus edocti.

In contemplationibus sequentibus procedatur per omnia Mysteria Resurrectionis eo modo qui infra sequitur, usque ad Ascensionem inclusive, adhibendo et servando de cetero in tota hebdomada Resurrectionis eamdem formam et methodum, quae servata fuit in tota hebdomada Passionis. Ita ut hac prima contemplatione de Resurrectione se regat [hanc tamquam normam sequatur contemplans] quantum ad praeambula, iuxta subiectam materiam; et quantum ad quinque puncta, sint eadem, et Additiones, quae habentur infra, sint eaedem; atque ita in reliquis omnibus potest se regere [dirigere] iuxta modum hebdomadae Passionis, ut in repetitionibus, in sensuum applicationibus, in abbreviandis vel extendendis Mysteriis.

Secundo notandum est, convenire magis quartae huic hebdomadae, quam praecedentibus, ut quatuor dumtaxat fiant Exercitia: primum, postquam mane surreximus; secundum, circa Missae tempus, vel paulo ante prandium prioris repetitionis loco; tertium, hora Vesperarum, pro secunda repetitione; quartum, ante coenam, admotis sensuum officiis, ad imprimendas fortius animae contemplationes tres eo die factas, signatis obiter, et pe-

Secunda nota, communiter *in hac quarta hebdomada magis convenit quam in ceteris tribus praeteritis, facere quatuor Exercitia, et non quinque: primum, statim ut quis surrexerit mane; secundum, ad horam Missae, vel ante prandium, loco primae repetitionis; tertium, ad horam Vesperarum, loco secundae repetitionis; quartum, ante coenam, trahendo [applicando] quinque sensus* super tria Exercitia eiusdem diei, notando,

pars est huius contemplationis, addere: *Regina Coeli.* Idque eo magis, quod vel *uno* vel *pluribus colloquiis* terminandum dicatur hoc Exercitium.

nitius tractatis partibus, seu locis illis, in quibus motus animi efficaciores, maioremque gustum spiritualem senserimus.

Tertio, quod quamvis ei, qui exercitatur, certus praescribatur numerus punctorum, puta ternarius, aut quinarius: liberum tamen ipsi erit in plura vel pauciora puncta redigere contemplationem, prout commodius se habere expertus fuerit. Qua in re magnopere iuvabit, ante ingressum Exercitii, tractanda puncta comminisci, et numero certo praefinire.

Quarto denique notandum est, quod per quartam hanc hebdomadam, variari debent secunda, sexta, septima, et decima Additiones.

In secunda quidem, ut dum evigilo, repente mihi ponam

et moram faciendo in partibus principalioribus, et *in quibus senserit* maiores *motiones, et gustus spirituales* (8).

Tertia, quamvis in omnibus contemplationibus data sint tot puncta numero certo [*definita*], *puta tria, vel quinque, etc.; ille* [*tamen*] qui contemplatur (9) *potest ponere plura vel pauciora puncta, prout melius se* [*habere*] *reperiet.* Ad quod *multum iuvat priusquam quis intret in contemplationem,* coniecturare [*praevidere coniectura probabili*] *et definire puncta, quae assumere debet, certo numero* (10).

In hac quarta hebdomada, inter omnes decem Additiones mutari debent secunda, sexta, septima et decima.

Secunda erit, statim ut excitor a somno ponere ob ocu-

(8) *Maiores motiones, et gustus spirituales.* - Cum alibi S. P., de repetitionibus agens, semper remittat simpliciter ad formam praescriptam in primae hebdomadae Exercitio tertio, hìc non ita, sed sistendum dicit in iis, in quibus *maiorem motionem et gustum spiritualem* senserimus, nec iubet sisti etiam in illis, in quibus senserimus *desolationem.* - Cur ita? Fortasse quod minus conveniat huic hebdomadae *laboriosum* studium quaerendi id quod optamus, quasi terram fodiendo ut aquarum venam reperiamus abundantiorem, sed veluti sponte oblata consolatione, sive potius gustu spirituali; spirituali, inquam, etiamsi minus quandoque sensibili, suaviter fruendo vel utendo contenti simus. Fortasse etiam supponit S. P. desolationem vix locum habere in hac hebdomada, inter haec gloriosa Christi mysteria, in anima, quae ad ea contemplanda accedat, post Exercitia trium praecedentium hebdomadarum, rite disposita.

(9) *Qui contemplatur.* - Ita S. P., non: *qui exercitatur.* Fortasse, quia haec adnotatio, aeque extra tempus Exercitiorum ac in Exercitiis, contemplanti cuique opportunissima est. - Neque minus certe conveniet secundae et tertiae hebdomadae, quam huius quartae mysteriis contemplandis.

(10) *Certo numero.* - In hoc punctorum numero coniectura probabili praevidendo ac definiendo, itemque fructu, qui potissimum quaerendus sit, determinando, praecipue consistit illa, quam quotidie ante nocturnum examen ex maiorum nostrorum instituto facere solemus, *praeparatio ad matutinam meditationem.* (Congreg. VII. decr. 25.).

ob oculos statutam contemplationem, et de gaudio Domini cum suis studeam et ipse exhilarescere.

los contemplationem, quam facturus sum, volendo affici *et exhilarescere de tanto gaudio et laetitia Christi Domini nostri.*

In sexta vero, ut memoriae meae obiiciam ea, quae laetitiam spiritualem cient, ut cogitatio de Gloria.

Sexta, memoriae obiicere et cogitare *res quae movent ad* delectationem, hilaritatem *et* laetitiam *spiritualem, ut de Paradiso.*

In septima, ut lucis et coeli utar commoditate, quae sese offeret, puta per tempus vernum herbarum virentium et

Septima, uti claritate [*lucis*] *et commoditatibus tempestatis, ut* veris et aestatis *tempore* (11) refrigerio [*aurae,*

(11) *Veris et aestatis tempore.* - Hisp. *verano* utrumque significat, scilicet anni *tempus* a mense Aprili ad Octobrem. - *Refrigerio* (aurae, herbarum, florum). Ita plenius exprimi existimo sensum vocis hisp. *frescura*, cui respondet ital. *fresco.* - Antiqua versio *ms.* habet: *rebus amoenis et iucundis.* - Valde notanda sunt infra: *in quantum anima existimat... sibi posse esse adiumento,* ut meminerimus, nonnisi *media* haec esse ad finem, et eatenus solum adhibenda, quatenus ad finem profutura existimentur, non amplius. Regula enim *Fundamenti* semper et ubique in suo vigore tenenda est. - Notandum item quod dicitur de fine in hac hebdomada nobis proposito: *ad gaudendum* IN CREATORE ET REDEMPTORE SUO. Absit a nobis alius quidam laetitiae sensus, quasi de labore longi itineris tandem ad finem vergente in hac postrema Exercitiorum hebdomada ad quietem adspirantes gaudeamus! A quo sensu, nimium naturali et humano, incredibile dictu est, quantum saepe quidam minus cauti detrimentum capiant, iam illis ultimis diebus, quibus maxime fervere animos aequum esset, relaxantes sese ac tepescentes, et incipientes iam tum deperdere salutaria illa sensa, quae in praecedentibus Exercitiis, spiritu Dei afflante, non sine labore conceperant; maximo sane christianae ac religiosae perfectionis damno, nec facile deinceps reparando.

NOTA

Qua sequuntur, nempe *Contemplatio ad amorem excitandum* et *tres Modi orandi,* ex autographo censenda sunt extra seriem IV hebdomadarum. Cum enim post 20 Annotationes, in capite cuiusque paginae perpetuo notatum legatur in autographo: *prima hebdomada, secunda hebdomada,* - *tertia hebdomada,* - *quarta hebdomada,* - id quod et nos in hac editione imitati sumus, - ubi ad *Contemplationem de amore* ventum est, inscriptio illa *quartae hebdomadae* in autographo omittitur, atque ita deinceps.

Nec tamen hinc sequitur, non recte fieri solere, quod usus habet, ut haec *Contemplatio* detur in fine quartae hebdomadae veluti pro conclusione et coronide Exercitiorum. Immo vero nec alio loco poni opportunius poterat a S. Patre haec Contemplatio, et vix alio tempore melius ac fructuosius institui potest. *Amor Dei,* qui hic docetur, est ultimus terminus, est perfectio huius vitae. Merito praemissa est meditatio vitae, mortis ac resurrectionis D. N. I. C.; per Iesum enim,

florum aspectu, aut aprici loci amoenitate, per hiemem vero solis vel ignis opportuno calore, et ita de ceteris corporis atque animi oblectationibus congruis, per quas Creatori et Redemptori meo congaudere queam.

herbarum, florum], *et hiemis tempore sole vel* [*ignis*] *calore,* in quantum *anima existimat vel* coniectura supponit, sibi posse esse adiumento *ad gaudendum* in *Creatore et Redemptore suo.*

In decima, ut loco poenitentiae, temperantia et mediocritate victus contentus sim, nisi quo tempore ieiunium, vel abstinentiam Ecclesia indixit, cuius praeceptis semper obtemperandum est, nisi iustum adsit impedimentum.

Decima, loco poenitentiae, attendat ad temperantiam *et* [*ad tenendum*] *medium in omnibus, nisi* [*sit tempus quo*] *praecepta sint ieiunia vel abstinentiae, quas Ecclesia indicit; quia haec semper impleri debent, nisi adfuerit iustum impedimentum.*

CONTEMPLATIO

ad amorem spiritualem in nobis excitandum.

CONTEMPLATIO

ad obtinendum amorem.

In primis duo notanda sunt.

Primo, convenit duo animadvertere.

Primum, quod amor ipse ab operibus magis, quam a verbis pendet.

Primum est, quod amor debet poni *magis* in *operibus quam* in *verbis* (1).

nec nisi per Iesum aditus nobis ad Deum Eiusque amorem patet. *Nemo venit ad Patrem nisi per me. - Ego sum ostium. - Ego sum via.* - Cumque ad Iesum pervenire non possimus, nisi peccata in primis expellantur, itemque inordinatae passiones frenentur, ideo hinc initium fieri debuit, in prima scilicet Exercitiorum hebdomada. Et sane frustra ad hunc amorem Dei adspiret, qui non ante omnia in abnegatione sui ipsius strenue se exercuerit. Recte itaque et ordinatissime processum est, ut demum ad hunc felicem tertium, amorem Dei, perveniretur.

Aptissime vero haec Contemplatio respondet *Fundamento:* ita tamen ut, cum fundamentum proponi censeatur incipientibus, in illo de hac *perfectione* amoris Dei ne mentio quidem fiat. Ibi enim S. P. solummodo loquitur de laude ac reverentia Deo exhibenda deque Illi serviendo, et parat animum ad impedimenta removenda; in hac vero *Contemplatione de amore Dei,* quae purgatis iam et exercitatis proponitur, S. P. ad ea ducit, quae in laude ac reverentia Deo exhibenda inque eius servitio absolutissima sunt ac perfectissima.

(1) *In verbis.* - idem censendum de affectu sterili et inefficaci. Affectus enim tales sunt *verba* interna.

Secundum, quod consistit amor in mutua facultatum, rerum, et operum communicatione, puta scientiae, divitiarum, honoris, et boni cuiuscumque.

Alterum, [*quod*] *amor consistit in communicatione* (2) [*quae fit*] ab utraque parte, *scilicet,* ut det et communicet amans amato ea quae habet, vel ex iis quae habet vel potest, et sic vicissim amatus amanti; ita ut, si alter habet scientiam, det illi qui eam non habet, si honores, si divitias, et sic [*porro*] alter alteri [*vicissim*].

Oratio praemittitur ex more.

Oratio [*praeparatoria*] *solita.*

Praeludium primum est, ut coram Domino, Angelis, Sanctisque omnibus, mihi propitiis, stare me videam.

Primum praeambulum est compositio, quae hic est, videre quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis et Sanctis interpellantibus pro me.

Secundum, ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum eius in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum, et servitium ipsius totum me impendam.

Secundum, petere id quod volo. Erit hic, petere cognitionem internam (3) *tot ac tantorum bonorum,* [*a Deo*] *acceptorum, ut ego* integre [*haec*] recognoscens [*vel integro grati animi sensu*] possim in omnibus *amare et servire* divinae suae Maiestati.

Punctum primum sit, revocare in memoriam beneficia

* *Primum punctum est, adducere in memoriam beneficia*

(2) *In communicatione (quae fit) ab utraque parte etc.* - Totam hanc versionem ex autographo diligenter velim considerari. Ita enim mentem suam S. P. expressit, ut ad amorem Dei erga hominem, hominisque vicissim erga Deum, optime omnia applicari possint; *communicet amans amato, et vicissim amatus amanti ea quae habet, vel ex iis quae habet vel potest.* - Si enim *amans* intelligatur Deus, homo vero *amatus,* apte dicitur *amans* Deus *amato* homini *communicare ea quae habet, vel ex iis quae habet vel potest.* Neque enim potest Deus infinitus, quantumvis amans, finitae creaturae omnia, quae habet ipse, communicare; recte vero *ex iis quae habet vel potest* communicare dicitur, pro capacitate scilicet amati.

(3) *Cognitionem internam.* - Ita ex autographo distinctius, quam in vulgata versione, *duplex* gratia exprimitur, quam ubique S. P. docet postulandam, *cognitionis* seu illuminationis, et *affectionis* seu voluntatis et executionis officii, per lumen divinae gratiae cogniti.

* Quatuor puncta quae sequuntur solent quibusdam confusionem quamdam parere, quod non satis distincta ipsi videantur ista quatuor,

Creationis, ac Redemptionis; dona itidem particularia, seu privata enumerare, et cum

accepta Creationis, Redemptionis, et dona particularia, ponderando multo *cum affec-*

sed et secundum punctum et tertium in ipso iam primo puncto videantur contineri. Cui incommodo ut remedium aliquod suggeramus, ita distinguenda sunt ex ipso textu S. P. N., ut:

In *primo puncto* contemplemur generatim Dei in nos *beneficia,* seu praestita, seu praestanda, quatenus scilicet summa bona nobis inde ex Eius amore provenerunt ac porro proveniunt, et proventura in aeternum firma spe confidimus.

In *secundo puncto* contemplemur beneficia illa praestari a Deo *praesenti* in omnibus, in quibus Ille nobis bona sua communicat, et in nobis ipsis; ita ut *personaliter* in omnibus ipse nobis benefaciat. Quae certe ratio plurimum amoris superaddit in beneficiis.

In *tertio puncto* contemplemur Deum non modo praesentem nobis benefacere, ceterisque creaturis propter nos, sed *operantem* etiam et quodammodo *laborantem* in nobis et in aliis creaturis, adiuvantem et nos et creaturas omnes, ut nobis benefaciat. Quod cum in quocumque benefactore amoris significationem plurimum adaugeat, in Deo profecto, qui, licet causis secundis verum actum tribuat, ipse tamen suo concursu etiam operatur in illis in bonum nostrum, amoris est plane inexplicabilis et infiniti.

Addiderim hoc loco, non videri mihi prohiberi, quominus tum in secundo tum in tertio puncto distinctius etiam de Deo Redemptore cogitemus, ut scilicet:

In *secundo* quidem *puncto* perpendamus etiam illam Dei *praesentiam,* quam aeterni Patris Filius tum in carne mortali praestitit, cum *in terris visus est et cum hominibus conversatus est,* tum eam quam praestat nobis in sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

In *tertio* vero *puncto* Dei Redemptoris veros et gravissimos *labores* ac *dolores,* quos pro nobis ipse, verus Dei Filius, sustinere dignatus est, cum pro nobis *non dubitavit manibus tradi nocentium et crucis subire tormentum.*

Praeterea cum in primo puncto non solum beneficia iam praestita, quaeve omni tempore nobis praestantur a Deo, sed etiam in futurum, in aeternum praestanda proposita sint, nil vetat quominus etiam haec duo puncta, secundum nempe et tertium, simili modo ad futura nobis in caelis bona ab eo, qui contemplatur, extendantur. Solet enim S. P., postquam semel aliquid satis indicavit, cetera nobis inde colligenda relinquere. Quam ampla vero contemplandi materia de Deo *praesente* atque *operante* in bonum nostrum, si haec ad Paradisi gaudia aeterna applicemus!

In *quarto* demum *puncto* nulla est difficultas, satis enim primo intuitu distinguitur a praecedentibus. Continet enim rationem amoris Dei purissimi ac perfectissimi, scilicet, *propter ipsum solum* Eiusque perfectiones infinitas. Quae ratio Deum amandi merito ad ultimum punctum reservata fuit a S. Patre. Ad hanc tamen perfectissimi amoris rationem viam sternunt tum *secundum,* tum *tertium* punctum, dum in creaturis Deum ipsum cernere praesentem et operantem docent, sed habent illa adhuc annexam considerationem boni, quod inde *ad nos* derivatur; nam et in secundo dicitur *dans - dans mihi,* et in tertio *propter me;* in hoc vero quarto puncto a bono nostro fit abstractio, et pura purissima proponitur ratio perfectionis absolutae in Deo, ad quam contemplandam introducimur consideratione perfectionum, quas in creaturis deprehendimus, quaeque quantumvis insignes nobis vi-

intimo affectu perpendere, quantum mea causa benignissimus Dominus egerit, atque pertulerit; quantum mihi elargitus sit de thesauris suis; quodque iuxta divinum suum decretum et beneplacitum, seipsum mihi, quantum potest, donare velit. Quibus optime inspectis, vertar ad meipsum, et disquiram mecum, quae meae sint partes, et quid aequum iustumque sit, ut divi-

tu, quantum fecerit (4) *Deus Dominus noster pro me, et quantum mihi dederit ex iis quae habet; et consequenter,* [quantum] (5) *idem Dominus desideret dare se ipsum mihi in quantum potest, iuxta divinam suam* ordinationem; *ac deinde reflectere in me ipsum, considerando quae ego,* multa cum ratione et iustitia (6), *debeam ex mea parte offerre et* dare *suae divinae Maiestati,*

deantur, non sunt tamen nisi radii, non nisi rivuli infinitae illius perfectionis.

Sic autem distincta quatuor puncta distinctum et cuique puncto accuratius respondentem excitabunt affectum, et colloquium primi puncti merito variabitur, id quod S. P. etiam innuit.

Ceterum brevissimis punctis materiam contemplandi copiosissimam, immo vero infinitam, S. P. N. complexus est, quam qui animo purgato riteque disposito tractare aggrediatur, finem aut terminum, dum vivit mortalem hanc vitam, non inveniet. Vere enim hìc vena ostenditur, seu *fons* AQUAE SALIENTIS IN *Vitam aeternam.*

(4) In vulgata versione additur hoc loco: *atque pertulerit,* quod neque in autographo hispanico neque in versione antiqua *ms.* habetur. Ceterum, cum in hoc puncto etiam beneficium *Redemptionis* considerandum proponatur, sensus illorum verborum: *quantum fecerit... pro me,* naturaliter is est: *fecerit* tum *agendo,* tum *patiendo.* Quamquam totum hoc primum punctum simpliciter beneficia Dei generatim contemplanda proponit, *quatenus* sunt *bonum nostrum,* abstractione facta a *modo* quo Deus haec omnia nobis praestitit aut praestat aut praestiturus est. Vide quae supra diximus de *quatuor punctis* huius Contemplationis.

(5) (*Quantum*) *idem Dominus.* - Tó *quantum* hoc loco eo libentius ex antecedentibus subintellectum admisi, quod in antiqua *ms.* versione latina, qua S. P. usum fuisse constat, etiam insertum reperiatur, licet in autographo hispanico absit haec particula, prout etiam abest *τὸ quod* positum in versione vulgata.

Iuxta divinam suam ordinationem. - Ita litteraliter ex autographo, et placet magis quam *decretum;* ne cui fors cogitatio de praedestinationis Mysterio, sane minime opportuna hoc loco, contemplationem interturbet. - *Quantum potest, iuxta divinam suam ordinationem,* intelligo de ordine providentiae suae, qua liberae creaturae cooperationem requirit Deus, ut illi seipsum, quantum potest, communicet.

(6) *Multa cum ratione et iustitia.* - In hispanicis editionibus passim nunc legi solet: *con mucha razon y instancia.* - Sed certe mendum est. In exemplari *ms.,* quo S. P. usus est, quodque sua manu variis in locis correxit, legitur: *justicia.* Et sic omnino legendum esse patet etiam ex utraque versione latina; nam et vulgata hanc lectionem exprimit: *quid aequum iustumque sit,* et antiqua *ms.* versio habet: *rationabiliter et iuste.* - Quod infra insertum est textui (*aliquid alteri*) ex antiqua versione *ms.* desumptum est: *sicut qui offert aliquid alteri.*

nae offeram et exhibeam Maiestati; haud sane dubium, quin mea omnia offerre debeam, ac meipsum cum summo affectu, et verbis huiusmodi, vel similibus:

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe me-

scilicet, omnia mea et meipsum cum illis, ut qui [*aliquid alteri*] offert *multo cum affectu:*

(7) Sume (8), *Domine*, et suscipe *omnem meam liberta-*

(7) *Sume, Domine, et suscipe etc.* - Quidquid est hic discriminis, inter hanc litteralem versionem et latinam vulgatam, diligenti consideratione dignum existimo, praesertim ista: 1. *Sume, Domine, et suscipe;* 2. *Omnia tua sunt;* 3. *Dispone* (de illis) *pro omni voluntate tua.*

Sume, Domine, et suscipe. - Ex vulgata versione posset quis existimare, huius oblationis eum tantummodo sensum esse, ut Dei donis, *memoria* praesertim, *intellectu* et *voluntate*, nonnisi iuxta Dei beneplacitum uti statuamus. Qui quidem sensus, licet verissimus sit atque sanctissimus, et in hac sui oblatione necessario contineatur, nequaquam tamen ea omnia complectitur quae in autographo exprimi videntur; immo vero hic non est proprius sensus neque praecipuus huius oblationis. Est enim *oblatio* dantis seu offerentis proprie sic dicta, et ut talis respondet huic primo puncto, in quo ut *amans* Deus *amato dare* ex iis quae habet consideratur, ita *amatus amanti* vicissim *dare* seu offerre ea quae habet censendus est.

Iam vero S. P. duplici utitur verbo: *Sume* seu *tolle*, et *suscipe*, in quo certe amplius quid indicari videtur, quam simplex propositum sancte hisce Dei donis utendi.

Ac *suscipi* quidem illud dicitur, quod sponte ab altero offertur, *sumi* autem vel *tolli* dicitur, quod etiam pro lubitu auferatur, quamvis alter non offerat. « *Sume* ergo, ait S. P., *tolle, aufer* pro tuo lubitu, es « enim Dominus omnium; *omnia tua sunt:* si auferas quae dedisti, mea « non tollis, sed ea quae *tua* sunt ac semper manent *tua;* tu amandus « aeque atque laudandus, et cum *das* et cum *aufers.* (*Dominus dedit,* « *Dominus abstulit, sit nomen Oomini benedictum*). Neque vero ha- « bere volo, nisi quod et quantum tu me habere volueris. *Tolle, Do-* « *mine, et suscipe:* nam equidem lubens etiam volensque tibi offero « omnia ». Itaque cum dicit: *Sume* seu *tolle - et suscipe,* non modo usurum se Dei donis nonnisi iuxta eius beneplacitum statuit, sed lubens, quantum quidem in se est, his ipsis Dei donis *cedit* plane, ut Dominus ea pro suo beneplacito, vel *minuat* vel etiam omnino *auferat.*

Propterea etiam, paulo infra, non modo ea *tradit* Domini voluntati *gubernanda*, ut habet vulgata versio, sed ait: *omnia tua sunt,* duplici titulo scilicet, et quod *tu ea mihi dedisti,* et quia ego, libera donatione mea, *tibi ea restituo;* ergo *dispone de illis iuxta omnem voluntatem tuam,* quae verba certe plus sonant, quam: *tibi ea trado gubernanda;* et procul dubio etiam illam includunt divinae voluntatis dispositionem, qua fortasse velit aliquando ea ipsa dona sua vel *minuere* in nobis, vel etiam plane *auferre.*

Atque hoc sensu, maxime cum non solum de quibusvis Dei donis, verum etiam de ipsis animae potentiis agatur, exprimitur certe oblatio maxime heroica. Quamvis enim memoria, intellectus, liberumque arbitrium, eiusmodi sint Dei dona, sine quibus Deo servire non possimus, ut proinde, qui his renuntiat, renuntiare videatur ipsi facultati

moriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui

tem (9), *meam memoriam, meum intellectum et omnem voluntatem meam, quidquid habeo* et *possideo* (10); *tu mihi haec omnia dedisti, tibi, Domine, ea restituo:* omnia

Deo serviendi, quia tamen accidit non raro, etiam Dei famulis, ut vel infirmitate aliqua, vel senio, ad conditionem adeo miserabilem redigantur, et multos quandoque annos harum animi facultatum usu destituti vivant, quis dubitet, quin et oblatio huiusmodi fieri possit, et heroicae resignationis et amoris ardentissimi actus futurus sit, si quis libere, ex Dei amore, ad eiusmodi humilitationis ac moralis nullitatis veluti abyssum, pro divino beneplacito, adeundam sese offerat, solo *eius amore et gratia* contentus?

Itaque haec talis oblatio sui, plane universalis, qua maiorem amplioremve excogitari posse non existimo, ex autographo exprimi videtur; et hoc demum sensu haec S. P. verba plane respondent donationi universali, ad quam divinae Bonitati offerendam *de eius* ipsius *donis ac datis* omnis haec Contemplatio legitimo ratiocinio nos introducit. - Ceterum huiusmodi oblatio sui, *serio* aliquando facta, vel sola posset fortasse Dei famulo illud damnum compensare, quod alioqui gravissimum atque irreparabile subire cogeretur, si quando, ut fert humana conditio, in tam miserabilem infirmitatem incideret.

Est denique operae pretium meminisse, totum hoc colloquium: *Sume, Domine, etc.* non esse *petitionem,* quasi hoc a Deo precaremur, ut sua dona a nobis auferat, sed meram esse *oblationem,* actum scilicet plenae atque perfectae resignationis. Sunt enim verba *offerentis* omnia sua seque ipsum, ut expresse monet S. P.

(8) *Sume.* - Praeter sensum huius verbi, quem modo fusius exposuimus in explicatione huius colloquii, non abs re videtur alterum indicare, qui et valde naturalis est, et ex praemissa beneficiorum divinorum consideratione sponte fluit. Scilicet ut, perpensis Dei benficiis ac donis, dum reflecto ad me, quid vicissim ego dare Deo possim, prorumpam in illam vocem: SUME, *Domine, - omnia quae habeo — omnia tua sunt.* Quasi dicam per exclamationem, prae admiratione tantae bonitatis: *Quid enim ego dare tibi possum, Domine, quod iam tuum non sit?* SUME - *Domine - et quoniam tanta est tua benignitas, ut mihi facultatem esse velis aliquid tibi offerendi,* SUSCIPE etc. Maxime vero hunc sensum hispanicus textus, verbo *Tomad,* habere videtur; et optime hoc convenit cum eo quod S. P. dicit, hanc oblationem faciendam tamquam ab eo, qui offert (aliquid alteri) *multo cum affectu.* - *Tomad, Sume,* etiam illum sensum habere potest, ut quasi tenacitatem meam et pravitatem indignans, qua parcum me erga Deum fuisse et etiamnum esse sentiens, exclamem: *Tu ipse, Domine, sume, sume omnia mea etc.* et me ipsum *sume,* et tibi vindica tuo iure etc.

(9) *Libertatem.* - Intellige non liberum arbitrium, quod infra offertur, cum *voluntatem omnem* nostram offerimus, sed libertatem illam, qua nostri iuris sumus, neque ullo externo impedimento prohibemur facere quod volumus. In libertate hac comprehendi existimo etiam sanitatem et honorem et vitam.

(10) *Habeo et possideo.* - *Habere* dicimur ea, quae nobis sunt in nobis ipsis, ipsa scilicet bona *interna* ac personalia, corporis et animi; *possidere* potius bona quaevis *externa* seu extra nos posita.

solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Secundum erit, speculari Deum, in singulis existentem creaturis suis; et elementis quidem dantem, ut sint; plantis vero, ut per vegetationem quoque vivant; animalibus insuper, ut sentiant; hominibus postremo, ut simul etiam intelligant. Inter quos accepi et ipse universa haec beneficia, esse, vivere, sentire, ac intelligere; meque templum quoddam suum efficere voluit, ad imaginem suam et similitudinem creatum. Ex quorum omnium admiratione, reflexus in meipsum, agam ut in primo puncto, vel melius si quid occurrerit: id quod in punctis etiam sequentibus erit factitandum.

Tertium est, considerare eumdem Deum ac Dominum,

tua sunt, dispone [*de illis*] *pro omni voluntate tua. Da mihi tuum amorem et gratiam,* nam haec mihi sufficit.

Secundum, attendere quomodo Deus habitat *in creaturis: in elementis, dans esse, in plantis, dans vegetare, in animalibus, dans sentire, et ita in me* [*habitat*] *dans mihi esse, vivere, sentire, et faciens me intelligere;* item *faciens me templum* [*sui*], *cum creatus sim ad similitudinem et imaginem suae divinae Maiestatis; similiter reflectendo ad me ipsum, eo modo quo dictum est in primo puncto, vel alio* [*si*] quem sensero meliorem (11). *Eadem ratione fiet super quolibet puncto quod sequitur.*

Tertium, considerare quomodo Deus operatur *et laborat*

(11) *Meliorem.* - Satis indicat S. P. alium aliquem affectum diversum ab eo quem ipse in primo puncto posuit, et *meliorem* magisque materiae huius secundi puncti respondentem, excitari hoc loco posse. Respondebit autem considerationi Dei *habitantis*, idest *praesentis* in creaturis et in me ipso, - si ego me vicissim illi *praesentem* semper sistam, *providens illum in conspectu meo semper* (Ps. 15.), si viva fide ac sollicito studio coner *Deum in omnibus quaerere* (ut nobis praescribit Reg. sum. 17.), *invisibilem* (Deum) *tamquam videns sustinere,* ut Apostolus loquitur (ad Hebr. c. 11. v. 27.), - si *ambulare coram eo,* si in *eius conspectu stare* semper, si cogitationes meas et verba mea et opera, ut Eo *praesente* et inspectante, qua possim perfectissime ordinare studeam *sollicite ambulans cum Domino Deo meo,* - si me *templum* Dei esse, quae quidem pulcherrima est idea et magnifica, practice meminero, ac proin *glorificem et portem Deum in corpore meo,* ut idem Apostolus loquitur (1. ad Cor. 6). Haec ergo et his similia sensa concipi, et *magno cum affectu* Deo offerri in hoc secundo puncto conveniet.

Quod si quis in hoc secundo puncto contemplationem Dei *praesentis* ad Christi Dei in SS. Eucharistiae Sacramento, itemque ad Eiusdem in nobis ipsis Communionis tempore praesentiam extendat, nova et copiosa affectuum copia, qui tantae Bonitati respondeant, contemplanti se offeret.

propter me in creaturis suis operantem, et laborantem quodammodo (*), quatenus dat ipsis, conservatque id quod sunt, habent, possunt, atque agunt. Quae omnia, ut supra, in mei considerationem reflectenda erunt.

propter me in omnibus *rebus creatis* super faciem terrae, id est, habet se ad modum laborantis, *ut in caelis, elementis, plantis, fructibus, gregibus, etc., dando esse, conservando, donando vegetationem et sensum, etc. Deinde reflectere ad me ipsum* (12).

Quartum, prospicere quo pacto munera et bona omnia coelitus descendunt, ut sunt potentia, iustitia, bonitas, scientia, et alia quaelibet humana perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta; quae ab infinito illo totius boni thesauro, sicut lumen a sole,

Quartum, speculari quomodo omnia bona et dona descendunt desursum, ut mea limitata potentia *a summa et infinita illa desursum, et eodem modo iustitia, bonitas, pietas, misericordia, etc.; sicut a sole descendunt radii, a fonte aquae, etc.* (13). *Dein termi-*

(*) *In Contemplatione ad acquirendum amorem. In tertio puncto, post illa verba:* Laborantem quodammodo, *addantur haec ex autographo:* Ut in caelis, elementis, plantis, frugibus, et animantibus, quatenus dat, etc.

---

(12) *Reflectere ad me ipsum,* - et scilicet facere, ut in secundo puncto monuit S. P., *eo modo, quo dictum est in primo puncto, vel alio si quem sensero meliorem.* - In hoc tertio puncto, ubi Deum contemplamur *operantem* et *laborantem* quodammodo in omnibus rebus creatis propter nos, affectus huic considerationi respondens erit, ut et nos vicissim *operari* et *laborare* propter ipsum statuamus, ne amor noster in solo affectu, quod fere idem foret atque in solis verbis, consistat. - Ac Deus quidem in creaturis *operatur* et *laborat* quodammodo, utique sine labore, qui in Deum cadere non potest; at si Christum Deum spectemus, *operantem* et *laborantem* pro nobis in vita sua mortali, incomparabiles Eius *labores* ac *dolores* ad efficax desiderium *laborandi* et *patiendi* pro Deo quam plurima rapere animos nostros debent.

Respondebit item ille affectus, ut Deum in omnibus creaturis *operantem* contemplans, discam viva fide, quaecumque a creaturis mihi obveniant, sive grata illa sint sive ingrata, omnia prorsus, tamquam de ipsius Dei manu admittere et excipere, et omnia prorsus tamquam Eius munera et beneficia infinito amore in me collata, ut vere sunt omnino omnia. Nec enim est *malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* (Amos c. 3.), et *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. c. 8). Unde merito *semper et ubique* Deo *gratias agam* in omnibus.

(13) *Sicut a sole radii, a fonte aquae.* - Aptissimae similitudines, quibus omnia bona ita desursum a Deo descendere docemur, ut eadem ab Ipso semper etiam dependere intelligamus, cessatura scilicet si quando se Deus subtrahat; plane ut radii a sole, aquae a fonte, non origine solum verum et duratione pendent.

et ex fonte aqua, derivantur. Addenda superest reflexio praedicta in mei circumspectionem.

nare reflectendo in me ipsum (14), *ut dictum est.*

Colloquium etiam in fine fiet, terminandum cum *Pater noster.*

Finire cum colloquio et Pater noster.

MODI TRES ORANDI

TRES MODI ORANDI

et primus [*quidem, primo*] super praeceptis.

Primus orandi Modus deducendus est ex mandatis, ex peccatis septem mortalibus, ex tribus animae potentiis, et ex quinque sensibus consideratis; unde non tam habet orationis formam, quam Exercitii cuiusdam spiritualis, per quod et animae iuvatur, et oratio Deo redditur acceptior.

Primus Modus orandi est circa decem praecepta et septem peccata mortalia, tres potentias animae et quinque sensus corporis; qui Modus orandi est potius dare formam, modum, et [*quaedam*] *Exercitia,* quomodo *anima se* praeparet [*ad exercitia facienda*], *et ut in illis proficiat, et ut oratio accepta sit* [*Deo*], *quam dare formam et modum* aliquem *orandi* [*proprie dictum*].

(14) *Reflectendo in me ipsum.* - Patet huic quarto puncto respondere affectum amoris purissimi erga Deum *propter Ipsum solum,* Eiusque infinitas perfectiones. Scilicet, ut ex creaturarum limitatis perfectionibus ad infinitas Dei perfctiones cognoscendas et amandas, veluti per gradus quosdam, ascendamus - atque inde *exuentes nos, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, affectum universum in ipsarum Creatorem conferamus, Eum in omnibus creaturis amando, et omnes* nonnisi *in Eo, iuxta sanctissimam ac divinam Ipsius voluntatem.* (Reg. item Sum. 17).

Pro conclusione huius pulcherrimi argumenti *de amore Dei* iuvat repetere, quod in *Nota* huic Contemplationi praemissa innuimus, veram nostri *abnegationem* esse *conditionem sine qua non* possimus eo pertingere, quo haec Contemplatio nos invitat. Itaque aureum illud documentum, quod a S. P. positum est in fine secundae hebdomadae, et ad quod exercendum omnia S. P. N. Exercitia nos ducunt et impellunt, hìc adscribere operae pretium visum est: *Hoc unusquisque persuasum habeat,* TANTUM *se in studiis spiritualibus* (quorum finis ac terminus est perfectus Dei amor) *promoturum esse,* QUANTUM *ab amore sui ipsius et proprii commodi affectione sese abstraxerit.*

Prius itaque quam hoc orem Modo, iuxta illud, quod tertiae Additioni aequipollet, sedebo vel deambulabo paulisper (prout ad animae quietem facere videro), pensitans apud me, quo mihi accedendum sit, et quid faciendum. Hoc idem Additionis genus ad omnem orandi Modum praemitti debet.

Primo fiat aequivalens secundae Additioni (1) secundae hebdomadae, *scilicet antequam intrem in orationem,* quiescat paululum spiritus, *sedendo, vel ambulando, prout melius ei videbitur, considerando* quo vadam, et ad quid; *et haec eadem Additio fiet ad initium omnium Modorum orandi* (2).

Oratio praeparatoria gratiae contineat postulationem, ut mihi detur agnoscere quidquid deliquero adversus Decalogi praecepta, meque in posterum emendare, intellectis illis exactius, et (ut par est) ad Dei gloriam et salutem meam solito cautius observatis.

[*Dein fiat*] *oratio quaedam praeparatoria: veluti, petere gratiam a Deo Domino nostro,* ut possim cognoscere *in quo defecerim circa decem praecepta;* et item petere gratiam et auxilium *ad emendandum me in posterum,* postulando perfectam intelligentiam illorum, ad melius ea servanda et ad maiorem gloriam et laudem suae divinae Maiestatis.

Primo ergo, mandatum quodlibet ordine discutiam, attendens, quo pacto servaverim illud, aut violaverim, deque succurrentibus in memoriam delictis, veniam precabor, recitando semel *Pater noster.*

Pro primo Modo orandi convenit considerare *et* cogitare *in primo praecepto, quomodo illud servaverim* et in quo defecerim, tenendo regulam (3) [*sistendi in hac consideratione*] *per spatium quo*

(1) *Secundae Additioni secundae hebdomadae.* - Intellige illam Additionem, quae habetur in *quinto* ex Notandis positis post primae diei secundae hebdomadae contemplationem quintam.

(2) *Ad initium omnium Modorum orandi.* - Id licet proprie dictum sit hoc loco de tribus orandi Modis, qui hic traduntur, valet tamen idem praeceptum ad omnem quamcumque orationem, sive mentalem sive vocalem; et haec praeparatio si omni orationi, seu brevior seu longior futura sit, praemittatur, ut sane decet, non poterit non esse efficacissima ad bene orandum. Nec enim tumultuarie ab actionibus humanis, fortasse etiam vanis, ad agendum cum Deo vel Sanctis transeundum est.

(3) *Tenendo regulam etc.* - Intellige *ordinariam,* ut sensus sit: *satis fore ordinarie, plerumque, insumi spatium etc.,* posse autem ac debere *aliquando* protrahi diutius vel etiam contrahi, prout in Notando dicitur. Observa etiam ex autographo: 1. Spatium indicari, quo ter recitari possit non solum *oratio Dominica,* ut habet vulgata versio, sed *et salutatio Angelica.* 2. Petitionem *veniae et remissionis* - (venia

Porro in excutiendis singulis praeceptis, satis fuerit insumi spatium temporis, quo ter posset oratio Dominica percurri.

quis recitat ter Pater noster et ter Ave Maria; *et si in hoc tempore invenio defectus meos [s. peccata mea], petere veniam* et remissionem *illorum,* et *dicere unum* Pater noster; *et hoc eodem modo fiat in quovis ex omnibus decem praeceptis.*

Notandum tamen, quod circa praeceptum, cuius praevaricatio rarior nobis accideret, minus immorandum esset; at eo amplius, quo lapsus fuerit ex assuetudine frequentior, idque similiter circa mortalia peccata sit praestandum.

Notandum est, quod quando quis venerit ad cogitationem [sive discussionem] praecepti alicuius, in quo reperit non habere se ullum habitum peccandi, non est necesse ut immoretur tanto tempore, sed secundum quod quis reperit se plus vel minus impingere [*offendere*] *contra illud mandatum, ita debet plus vel minus immorari in* consideratione et scrutinio *illius [praecepti]; et hoc idem servetur in peccatis mortalibus.*

Completo de praeceptis singulis discursu, post mei accusationem, et gratiae implorationem, ut ea vigilantius deinceps custodiam, colloqium dirigam ad Deum, iuxta rei occasionem.

Post finitum discursum iam dictum super omnibus praeceptis, *accusando me in illis et petendo gratiam* et auxilium *ad emendandum me in posterum, debet terminari colloquio ad Deum Dominum nostrum iuxta subiectam materiam* (4).

Secundo, similem orationis Modum prosequemur circa mortalia peccata, post additionem, et praeparatoriam ora-

Secundo, super peccatis mortalibus.

Circa septem *peccata mortalia, post additionem [supra*

ad *culpam,* remissio ad *poenam* refertur) non fieri debere simpliciter *recitando semel Pater noster,* sed peti veniam et remissionem primum, *deinde* recitari *Pater noster.*

(4) *Iuxta subiectam materiam.* - Intellige, pro ratione qua me reperero me habuisse in observatione praeceptorum, v. g. *gratias agendo,* ubi per Dei misericordiam ab alicuius praecepti violatione praeservatum me fuisse invenero; *dolendo* de iis in quibus deliqui; *petendo gratiam et auxilium* in futurum ad servanda praesertim ea praecepta, quae transgrediendi periculum maius imminere mihi in mea praesenti conditione intelligam; *excitando* me ad odium quam maximum huiusmodi peccatorum.

tionem, sicut fecimus in praeceptis. Nihil enim utrobique varium occurrit, nisi quod ad materiam attinet, cum praecepta quidem servanda sint, peccata vero devitanda. Cetera eadem sunt, fietque itidem colloquium.

Sciendum est, peccatorum vitiorumque notitiam iuvari per contrariorum actuum et habituum considerationem. Quapropter per gratiam divinam et piam quamlibet exercitationem laborandum est unicuique, ut virtutes sibi paret, mortalibus peccatis septem oppositas.

Tertio, circa tres animae potentias idem sequitur progressus, per additionem, orationem, et discussionem singularum, cum colloquio ad finem, faciendus.

Quarto, circa quinque sensus corporis, nulla re mutata, praeter materiam.

Ubi subnotandum est, quod si quis optet, in sensuum suorum usu, Christum imitari, debet in oratione praeparatoria seipsum super hoc Deo commendare, factaeque sensuum singulorum examinationi, Dominicam orationem subiicere: si vero similem affectet Beatae Virginis Mariae imitationem, ei se commendet, tamquam a Filio id impetraturae; et salutationem Angelicam, dum sensus excutit, identidem recitet.

dictam] *fiat oratio praeparatoria, modo iam dicto, solum mutando, quod materia hic est de peccatis, quae evitanda sunt, et prius erat de praeceptis, quae sunt servanda; et similiter servetur ordo et regula iam dicta et colloquium.* — *Ad melius cognoscendas culpas commissas in peccatis mortalibus, considerentur eorum contraria,* atque ita ad melius vitanda ea [*peccata*], proponat et curet ille [*qui hunc orandi Modum adhibet*], sanctis exercitiis *acquirere* et possidere *septem virtutes illis* [*peccatis*] *contrarias.*

Tertio, super potentiis animae.

Circa tres potentias animae, servetur idem ordo et regula, quae in praeceptis, faciendo suam additionem, orationem praeparatoriam *et colloquium.*

Quarto, super quinque sensibus corporis.

Circa quinque sensus corporis servabitur semper idem ordo, mutando materiam illorum.

Qui vult imitari in usu sensuum suorum Christum Dominum nostrum, commendet se in oratione praeparatoria suae divinae Maiestati, *et post consideratum unumquemque sensum, dicat unum* Ave Maria, vel *unum* Pater noster; *et qui voluerit imitari in usu sensuum Dominam nostram,* in oratione praeparatoria *se commendet illi,* ut sibi obtineat gratiam a Filio suo ac Domino ad hoc ipsum, *et* post consideratum unumquemque sensum, *dicat unum* Ave Maria.

SECUNDUS ORANDI MODUS	*SECUNDUS MODUS ORANDI*
ex vocum orationis singularum perpensa significatione.	*est* [*sive fit*] contemplando *significationem singularum vocum orationis* [*illius, circa quam hic Modus orandi exercetur*].
Additio eadem, quae superius, it praevia.	*Eadem Additio, quae fuit in primo Modo orandi, erit in hoc secundo.*
Oratio praeparatoria personae congruet, ad quam dirigitur.	*Oratio praeparatoria fiet conformiter personae ad quam dirigitur oratio* [*circa quam hic Modus orandi exercetur*].
Secundus orandi Modus est, ut flexis genibus, vel sedendo (pro habitudine corporis et animi devotione) oculis vel clausis, vel defixis in partem unam, neque huc et illuc motis, precationem Dominicam a principio recitemus, et in prima voce, quae est, *Pater*, meditationis figamus pedem, quamdiu circa eam variae nobis significationes, similitudines, spirituales gustus, et aliae commotiones devotae inci-	*Secundus Modus orandi est, ut* ille [*qui hunc Modum vult adhibere*] *genibus flexis* (5), *vel sedens, prout magis,* [*ad hoc vel illud*] *dispositum se reperit, et prout magis eum devotio comitatur, tenendo oculos clausos vel defixos in unum locum, neque huc illuc eos movendo,* dicat Pater, *et* consistat in consideratione *huius vocis tamdiu, quamdiu* invenit (6) *significationes* [*varias*], *comparationes* (7), *gu-*

(5) *Genibus flexis vel sedens.* - Quod supra notavimus (n. 2.), ubi de *praeparatione* orationi praemittenda agebatur, idem hoc loco notare iuvat, scilicet ista duo, quae hic a S. P. dicuntur de *corporis situ* adhibendo, *pro animi vel corporis dispositione,* tamquam medio ad finem, itemque de *oculis* in oratione vel *claudendis* vel *defigendis in unum locum, neque huc illuc movendis,* ad omnis orationis bonum successum valere plurimum. Ne quis forte ea nonnisi in hoc secundo orandi Modo adhibenda sibi existimet.

(6) *Invenit.* - Ita autographum. Exprimitur applicatio adhibenda in quaerendo. Verbum *incident,* quod habet vulgata versio, hanc ideam quaerendi, idest conatus adhibendi et applicationis, non exprimit, quam omnino requirit S. P. et insinuat etiam voce illa *consideratione,* semel atque iterum hoc loco usurpata.

(7) *Comparationes.* - Comparationes seu similitudines, si quae in oratione quaerenti se offerant, solent esse utilissimae, non solum ad gustum spiritus sed etiam ad efficaciam spiritualis profectus. Itaque fere videmus eas fuisse Sanctis, maxime orationi deditis, familiarissimas. Quin etiam consuetum videtur Divino Spiritui, per eas potissimum animam illustrare ac docere. Nec leviter debet in illis transcurri, sed

dent: et ita deinceps per singula eiusdem vel alterius orationis verba factitabimus.

stum et consolationem in considerationibus pertinentibus ad talem vocem; *et eodem modo faciat in quavis voce orationis cuiuscumque, quam* [*assumere*] *voluerit ad orandum hoc modo.*

Regulae tres circa haec servandae. Prima, ut in tali precationis cuiuslibet ruminatione, horae spatium insumamus; quo expleto, *Ave Maria, Credo, Anima Christi,* et *Salve Regina,* semel iuxta communem morem, vel mente sola, vel etiam voce percurrantur.

Prima regula est, quod [*qui sic orat*] *persistet hoc modo unam horam* in tota oratione Dominica; *qua* [*oratione*] *expleta, dicet unum* Ave Maria, Credo, Anima Christi, *et* Salve Regina, *voce vel mente, modo* solito.

Secunda est, quod si orantibus hoc Modo nobis, in una voce, vel duabus, meditatio affluat, et interna simul delectatio, postponenda erit transcurrendi cura, licet hora tota praetereat; qua elapsa, reliquum orationis cursim recitetur.

Secunda regula est, quod si ille, qui contemplatur orationem Dominicam, inveniat *in una voce vel in duabus* tam bonam materiam cogitandi, *et gustum et consolationem, non curet progredi ulterius, etiamsi terminetur hora* in eo quod invenit; *qua finita, dicet reliquum* orationis Dominicae *modo* solito.

Tertia, ut quando ita contigerit meditandae voci uni, aut pauculis, horam impendisse, postridie recitato breviter eo, quod excussum fuit, ad sequentis verbi considerationem pergamus.

Tertia est, quod si in una voce vel duabus orationis Dominicae *immoratus fuerit una hora* integra, *alio die,* quando volet redire ad [*eamdem*] orationem, *dicat supradictam vocem vel duas illas* modo solito, *et in voce quae sequitur* immediate incipiat contemplari, eo modo quo dictum est in regula secunda.

Post excussam vero ad hunc modum Dominicam precationem totam, succedet salutatio Angelica, deinde alia

Advertendum est quod, finita oratione Dominica intra unum vel multos dies, *debet fieri idem circa salutationem*

omnis ratio similitudinis cum obiecto quod consideramus, quam fieri poterit, accuratissime persequenda. - Hoc item, quod de comparationibus ac similitudinibus dicimus, ad omnem orationem mentalem pertinere intelligendum est.

oratio, ut sine interruptione haec orandi exercitatio procedat.

Ad haec, oratione qualibet sic completa, personam illam, ad quam pertinebat, paucis compellabimus, virtutem aliquam aut gratiam petentes, qua maxime indigere nos senserimus.

Angelicam et postea circa reliquas orationes, *ita ut* per aliquod tempus semper *se exerceat circa unam ex illis.*

Altera nota est, quod finita oratione, convertendo se ad personam ad quam directa fuit illa oratio, paucis verbis petat virtutes vel gratias, *quibus sentiat magis se indigere.*

TERTIUS ORANDI MODUS

per quamdam vocum et temporum commensurationem.

Additio ab utraque superiore nihil differt.

Oratio praeparatoria fiet sicut in secundo Modo.

Tertius hic orandi Modus in eo consistit, ut inter singulas respirandi vices, singula Dominicae, alteriusve orationis verba transmittamus, expensa interim, vel significatione prolatae vocis, vel personae ad quam oratio spectat dignitate, vel mea ipsius vilitate, vel utriusque postremo differentia. Eodem procedendum modo in verbis reliquis. Addendae quoque orationes supra memoratae, *Ave, Credo, etc.*

TERTIUS MODUS ORANDI

erit per [*sive, ad*] mensuram [*sive, in numerum, ad modum rhythmi*] (8).

Additio erit eadem quae fuit in primo et secundo Modo orandi.

Oratio praeparatoria erit sicut in secundo Modo orandi.

Tertius Modus orandi est, quod ad quemlibet anhelitum, seu [*ad quamlibet*] *respirationem* orandum est [*oretur*] mentaliter, *dicendo unam vocem orationis Dominicae vel alterius orationis quae recitetur,* ita ut una sola vox dicatur inter unum anhelitum et alterum, et dum durabit tempus ab uno anhelitu ad alterum *attendatur* praecipue *ad significationem talis vocis, vel ad personam ad quam recitat*

(8) *Per* (*ad*) *mensuram* (*sive, in numerum, ad modum rhythmi*). - In autographo hispanico *por compas;* quae expressio, cum de aliis mensurae speciebus tum praesertim de illa adhibetur, qua in musico concentu, rhythmo metro pulsu, temporum spatia ac soni temporibus respondentes rite atque *in numerum* distribuuntur. - Metaphora haec, ab arte musica deducta, cum hoc orationis Modo ideam copulat harmoniae cuiusdam sacrae, in qua respirationibus singulis piae cogitationes et affectus ex aequo respondent, et *cor et caro exsultant in Deum vivum.*

[oratio dirigitur], vel ad vilitatem sui ipsius, vel ad differentiam inter tantam altitudinem [illius personae] et tantam vilitatem propriam; et eadem forma et regula procedet in reliquis vocibus orationis Dominicae; et ceteras orationes, scilicet: Ave Maria, Anima Christi, Credo et Salve Regina *dicet* more consueto.

Regulae duae huc spectantes. Prior, ut, finita iuxta hunc orandi Modum precatione Dominica, sumatur aliis diebus vel horis Angelica salutatio, simili respirationum intervallo tractanda, cum aliis orationibus, usitato more recitandis.

Prima regula est, quod altero die, vel alia hora qua [sic] orare velit, dicat Ave Maria ad mensuram, et ceteras *orationes more consueto,* et ita consequenter (9) procedendo per ceteras

Posterior, ut, qui hunc orandi Modum exercere cupit diutius, ad eum applicet precationes omnes supradictas, aut earum partes, et paria anhelituum ac vocum interstitia observet.

Secunda est, quod qui voluerit plus immorari (10) *in orando* ad mensuram, potest dicere *omnes supradictas orationes vel partem illarum, servando eumdem ordinem anhelitus* ad mensuram, *prout declaratum est.*

(9) *Et ita consequenter etc.* - Intellige, si primum hoc tertio orandi Modo se exercuerit circa *Pater noster,* secundo circa *Ave Maria,* tertio idem faciat circa *Anima Christi;* atque ita porro circa ceteras orationes. - Supponitur vero in hac regula, singulis vicibus nonnisi singulas orationes hoc modo pertractari, cum post singulas ita pertractatas, reliquae *more consueto* recitandae dicantur.

(10) *Plus immorari.* - Id est, plus temporis impendere, quam quod requiratur ad unicam orationem hoc tertio orandi Modo decurrendam.

VITAE D. N. IESU CHRISTI MYSTERIA.

Notandum est primitus, omnia sequentium Mysteriorum verba, quae includuntur parenthesi, ex ipsis Evangeliis deprompta esse, non item cetera. Ad haec, in unoquoque Mysterio, semper aut fere, poni puncta tria, ut expeditior sit contemplatio, quo est distinctior.

MYSTERIA VITAE CHRISTI DOMINI NOSTRI

Notandum est in omnibus Mysteriis sequentibus, omnia verba quae sunt inclusa intra parenthesin esse ex ipso Evangelio, non item ea quae sunt extra [*parenthesin*]*; et in quovis Mysterio, pro maxima parte invenient* [*qui meditaturi sunt*] *tria puncta ad* meditandum et *contemplandum in illis* maiori cum facilitate.

DE ANNUNTIATA B. MARIA VIRGINI CHRISTI INCARNATIONE.

de qua Luc. 1.

Primo, quomodo Angelus Gabriel, beatam Virginem salutans, divini Verbi conceptionem ei nuntiavit: *(Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena,* etc. *Ecce concipies in utero, et paries Filium* etc.).

Secundo, confirmat Angelus id quod praedixerat, adducto exemplo de sancti Ioannis Baptistae conceptione admiranda: *(Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua,* etc.).

Tertio, respondit Angelo Virgo sancta: *(Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum).*

DE ANNUNTIATIONE DOMINAE NOSTRAE

scribit S. Lucas cap. 1 *litt. C. D.*

Primum punctum est, quod Angelus S. Gabriel, salutans Dominam nostram, ei nuntiavit conceptionem Christi Domini nostri: (Ingressus Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena, concipies in utero, et paries Filium).

Secundum, confirmat Angelus ea, quae dixerat Dominae nostrae, nuntiando conceptionem S. Ioannis Baptistae dicens illi: (Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua...).

Tertium, respondit Angelo Domina nostra: (Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum).

DE MARIA ELISABETH COGNATAM SUAM VISITANTE

ut habetur Luc. 1.

Primo, quomodo invisit Maria Elisabeth, ac S. Ioannes in

DE VISITATIONE DOMINAE NOSTRAE AD ELISABETH

agit S. Lucas cap. 1. *litt. D.*

Primo, cum Domina nostra visitasset Elisabeth, S. Ioannes

utero existens, sensit Maria salutationem, et gestiit: *(Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius; et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui).*

Secundo, beata Virgo in hoc canticum prae laetitia prorupit: *(Magnificat anima mea Dominum,* etc.).

Tertio, *(Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam).*

Baptista existens in utero matris suae, sensit visitationem quam fecit Domina nostra: (Et ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero eius, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui).

Secundo, Domina nostra cantat canticum, dicens: (Magnificat anima mea Dominum).

Tertio, (Mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus; et reversa est in domum suam).

DE CHRISTI NATIVITATE

Luc. 2.

Primo, beata Maria cum Ioseph sponso suo e Nazareth proficiscitur Bethlehem: *(Ascendit autem et Ioseph a Galilaea,* etc. *in Bethlehem,* etc., *ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante).*

Secundo, *(Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio).*

Tertio, eo tempore *(Facta est cum Angelo multitudo militiae coelestis, laudantium Deum, et dicentium, Gloria in altissimis Deo,* etc.).

DE NATIVITATE CHRISTI DOMINI NOSTRI

agit S. Lucas cap. 2. litt. A. B.

Primo, Domina nostra et sponsus eius Ioseph eunt a Nazareth in Bethlehem: (Ascendit Ioseph a Galilaea in Bethlehem, ut profiteretur subiectionem Caesari *cum Maria desponsata sibi uxore praegnante).*

Secundo, (Peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio).

Tertio, (Facta est multitudo militiae caelestis, dicentium: Gloria in altissimis Deo).

DE PASTORIBUS

Luc. 1.

Primo, Pastoribus revelatur Christi Nativitas per Ange-

DE PASTORIBUS

scribit S. Lucas cap. 1. *litt. B. C.*

Primo, Nativitas Christi Domini nostri manifestatur Pa-

lum: *(Evangelizo vobis gaudium magnum*, etc. *Quia natus est vobis hodie Salvator*, etc.).

Secundo, Pastores properant in Bethlehem: *(Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Ioseph, et Infantem positum in praesepio).*

Tertio, *(Et reversi sunt Pastores glorificantes et laudantes Deum*, etc.).

DE CIRCUMCISIONE
Luc. 2.

Primo, circumcisus est Puer.

Secundo, *(Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur).*

Tertio, redditus est Matri Puer, quae illi compatiebatur de sanguinis visa effusione.

DE TRIBUS MAGIS REGIBUS

Matth. 2.

Primo, tres Magi Reges ad puerum Iesum adorandum venerunt, stella duce, ita attestantes: *(Vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum).*

Secundo, *(Procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham).*

Tertio, *(Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi in regionem suam).*

storibus per Angelum: (Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator).

Secundo, Pastores eunt in Bethlehem: (Venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio.

Tertio, (Reversi sunt Pastores glorificantes et laudantes Deum).

DE CIRCUMCISIONE
scribit S. Lucas cap. 2. litt. C.

Primo, circumciderunt puerum Iesum.

Secundo, (Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur).

Tertio, reddunt Puerum Matri suae, quae compatiebatur de sanguine, qui de Filio suo *exibat* [*fundebatur*].

DE TRIBUS REGIBUS MAGIS
scribit S. Matthaeus cap. 2. litt. A.

Primo, tres Reges Magi stellam sequentes ducem, venerunt ad adorandum Iesum, dicentes: (Vidimus stellam eius in Oriente et venimus adorare eum).

Secundo, adoraverunt eum, et obtulerunt et munera: (Procidentes adoraverunt eum, et... obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham).

Tertio, (responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam).

DE PURIFICATIONE B. VIRGINIS et PUERI IESU PRAESENTATIONE.

Luc. 2.

Primo, detulerunt Puerum in Templum, ut praesentarent eum Deo, tamquam primogenitum, offerentes pro eo consuetum munus *(Par turturum, aut duos pullos columbarum).*

Secundo, Simeon veniens eadem hora in Templum,*(Accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine,* etc.).

Tertio, Anna *(Superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel).*

DE PURIFICATIONE DOMINAE NOSTRAE ET PRAESENTATIONE PUERI IESU.

scribit S. Luc. cap. 2. litt. C.

Primo, deferunt *puerum Iesum ad Templum, ut* praesentetur *Domino, tamquam primogenitus, et* offerunt *pro eo (Par turturum aut duos pullos columbarum).*

Secundo, Simeon veniens ad Templum (Accepit eum in ulnas suas dicens: nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace).

Tertio, Anna (Superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel).

DE FUGA IN AEGYPTUM

Matth. 2.

Primo, volens Herodes puerulum Iesum interficere, occidi fecit Innocentes, praemonito Ioseph per Angelum, ut in Aegyptum profugeret: *(Surge, et accipe Puerum, et Matrem eius, et fuge in Aegyptum).*

Secundo, iter corripuit Ioseph Aegyptum versus: *(Qui consurgens nocte,* etc., *secessit in Aegyptum).*

Tertio, *(Et erat ibi usque ad obitum Herodis).*

DE FUGA IN AEGYPTUM

scribit S. Matth. cap. 2. litt. C.

Primo, Herodes volebat occidere puerum Iesum, itaque occidit Innocntes; et ante illorum caedem Angelus monuit Ioseph, ut fugeret in Aegyptum: (Surge, et accipe Puerum et Matrem eius, et fuge in Aegyptum).

Secundo, profectus est Aegyptum versus: (Qui consurgens nocte, secessit in Aegyptum).

Tertio, (Erat ibi usque ad obitum Herodis).

DE REDITU AB AEGYPTO

Matth. 2.

Primo, admonetur Ioseph ab Angelo, ut in terram Israel revertatur: *(Surge, et accipe Puerum et Matrem eius, et vade in terram Israel).*

Secundo, *(Qui consurgens* etc., *venit in terram Israel).*

Tertio, eo quod regnabat Archelaus filius Herodis in Iudaea, recessit in Nazareth.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER REDIIT EX AEGYPTO.

scribit S. Matth. cap. 2. litt. D.

Primo, Angelus monet Ioseph, ut revertatur in Israel: (Surge, et accipe Puerum et Matrem eius, et vade in terram Israel).

Secundo, (Consurgens venit in terram Israel).

Tertio, quia regnabat Archelaus filius Herodis in Iudaea, refugit in Nazareth.

DE VITA DOMINI AB ANNO AETATIS SUAE DUODECIMO USQUE AD TRIGESIMUM.

Luc. 2.

Primo, quomodo subditus erat et oboediens Parentibus.

Secundo, *(Proficiebat sapientia, et aetate, et gratia* etc.)

Tertio, videtur fabrilem artem exercuisse, cum dicat S. Marcus c. 6. *(Nome hic est faber?)*

DE VITA CHRISTI DOMINI NOSTRI AB ANNO AETATIS DUODECIMO AD TRIGESIMUM.

scribit S. Luc. cap. 2. litt. G. (1).

Primo, erat oboediens Parentibus suis: (Proficiebat sapientia et aetate et gratia).

Secundo, videtur exercitasse artem fabrilem, ut indicare [*insinuare*] *videtur S. Marcus cap. 6. (Nonne hic est faber?).*

(1) Cur S. P. hoc Mysterium praecedere voluerit, licet ratione temporis proxime sequens priorem locum postulet, vide *Praeambulum ad considerandos status,* hebdomadae secundae die tertio, et ibi adnotata n. 39. Porro hoc Mysterium in duo divisum puncta, eo modo quo hic damus, habetur in autographo hispanico. In antiqua tamen versione *ms.* distinctum est in tria puncta, eo plane ordine, quo in versione vulgata, atque haec posterior divisio procul dubio fuit a S. P. approbata, unde etiam in hispanici textus editiones passim recepta est; et ipsa materia primi puncti, prout hic proponitur, duo distincta puncta continet: 1. *erat oboediens* - 2. *proficiebat.*

DE ASCENSU IN TEMPLUM ANNO DUODECIMO

Luc. 2.

Primo, natus Iesus annos duodecim, e Nazareth profectus est Hierosolymam.

Secundo, remansit illic nesciis Parentibus.

Tertio, post triduum invenerunt eum in Templo sedentem inter Doctores, et ipse illis causam morae percontantibus respondit: *(Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?)*

DE ADVENTU CHRISTI IN TEMPLUM CUM ESSET ANNORUM DUODECIM.

scribit S. Luc. cap. 2. litt. F. G.

Primo, Christus Dominus natus annos duodecim, ascendit a Nazareth in Hierusalem.

Secundo, Christus Dominus noster mansit in Hierusalem, et nesciverunt Parentes eius.

Tertio, elapsis tribus diebus, invenerunt illum disputantem in Templo, et sedentem in medio Doctorum; et interrogantibus illum Parentibus suis: ubi fuisset, *respondit: (Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?)*

DE BAPTISMO EIUS

Matth. 3.

Primo, Matri valedicens, e Nazareth ad Iordanis flumen se contulit, ubi tunc Ioannes baptizabat.

Secundo, baptizatus est a Ioanne, excusante se primum de indignitate, sed compulso his verbis: *(Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam).*

Tertio, descendit Spiritus sanctus super eum, et vox de coelo sic attestans: *(Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui).*

QUOMODO CHRISTUS BAPTIZATUS FUIT

scribit S. Matth. cap. 3. litt. C.

Primo, Christus Dominus noster vale dicto benedictae *Matri suae, venit a Nazareth ad flumen Iordanem, ubi erat S. Ioannes Baptista.*

Secundo, S. Ioannes baptizavit Christum Dominum nostrum, et volenti illi excusare se, reputando se indignum qui ipsum baptizaret, dicit Christus: (Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam).

Tertio, descendit Spiritus sanctus super eum, et vox Patris de coelo, attestans: (Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui).

DE TENTATIONE CHRISTI

Luc. 4. et Matth. 4.

Primo, post baptismum secessit in desertum Christus, et ibi per dies quadraginta et totidem noctes ieiunavit.

Secundo, ter ab inimico tentatus est: *(Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Haec omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me).*

Tertio, *(Angeli accesserunt, et ministrabant ei).*

QUOMODO CHRISTUS FUIT TENTATUS

scribit S. Luc. cap. 4. litt. A. et Matth. cap. 4. litt. A. B.

Primo, postquam esset baptizatus, secessit in desertum, ubi ieiunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.

Secundo, tentatus fuit ab inimico tribus vicibus: (Accedens tentator dixit ei: Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant, Mitte te deorsum, Haec omnia dabo tibi, si cadens adoraveris me).

Tertio, (Angeli accesserunt, et ministrabant ei).

DE APOSTOLORUM VOCATIONE

Primo, videntur SS. Petrus et Andreas fuisse ter vocati: primum ad solam quamdam Christi notitiam, *Ioan.* 1.; deinde ad sequelam solum temporaneam, cum animo revertendi ad piscationem, *Luc.* 5.; ultimo ad perpetuam sequelam, *Matth.* 4. *et Marc.* 1.

Secundo, vocavit filios Zebedaei, *Matth.* 4., et Philippum, *Ioan.* 1., et Matthaeum, *Matth.* 9.

Tertio vocati sunt reliqui, licet de quorumdam vocatione,

DE VOCATIONE APOSTOLORUM

Primo, videntur ter vocati fuisse S. Petrus et S. Andreas: primum ad quamdam notitiam, id constat ex S. Ioanne cap. 1.; secundo ad sequendum aliquo modo *Christum, cum proposito revertendi* ad possidenda ea quae reliquerant, *ut dicit S. Luc. cap. 5.; tertio, ad sequendum in perpetuum Christum Dominum nostrum, S. Matth. cap. 4. et S. Marc. cap. 1.*

Secundo, vocavit (2) *Philippum, ut habetur cap. 1. S. Ioannis, et Matthaeum, ut ipse Matthaeus dicit cap. 9.*

Tertio, vocavit ceteros Apostolos, de quorum particulari

(2) Recte hoc loco versio vulgata ponit *filios Zebedaei,* ex Evangelio *s. Matth.* 4., licet hoc in autogr. non habeatur.

et de ordine vocationum, expresse mentio non fiat in Evangelio.

Tria hic expendenda sunt.

Primum, quomodo erant Apostoli abiectae conditionis.

Secundo, ad quantam fuerint dignitatem, et quam suaviter vocati.

Tertio, quibus gratiae donis supra omnes veteris Testamenti Patres novique Sanctos evecti sint.

vocatione Evangelium non facit mentionem.

Et etiam alia *tria* consideranda sunt.

Primo, quomodo Apostoli erant rudis *et abiectae conditionis.*

Secundo, dignitas, ad quam fuere tam suaviter vocati.

Tertio, dona et *gratiae, quibus fuere elevati supra omnes Patres novi et veteris Testamenti.*

DE PRIMO CHRISTI MIRACULO FACTO IN NUPTIIS

Ioan. 2.

Primo, invitatus fuit Christus cum Discipulis suis ad nuptias.

Secundo, deficere vinum Mater commonuit: *(Vinum non habent).* Et ministris dixit: *(Quodcumque dixerit vobis, facite).*

Tertio, aquam in vinum Dominus convertit: *(Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum Discipuli eius).*

DE PRIMO MIRACULO FACTO IN NUPTIIS CANAE GALILAEAE.

scribit S. Ioan. cap. 2. litt. B.

Primo, fuit invitatus Christus Dominus noster cum suis Discipulis ad nuptias.

Secundo, Mater indicat Filio defectum vini, dicens: (Vinum non habent). Et mandavit ministris: (Quodcumque dixerit vobis, facite).

Tertio, convertit aquam in vinum: (Et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum Discipuli eius).

DE FUGATIS E TEMPLO NEGOTIATORIBUS PRIMA VICE

Ioan. 2.

Primo, eiecit de Templo vendentes illic et ementes, facto ex funiculis flagello.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER EIECIT E TEMPLO EOS, QUI VENDEBANT.

scribit S. Ioan. cap. 2. litt. C.

Primo, eiecit omnes *eos qui vendebant e Templo, flagello facto ex funibus.*

Secundo, *(Nummulariorum effudit aes, et mensas subvertit).*

Tertio, vendentibus columbas mansuete inquit: *(Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis).*

Secundo, evertit mensas et pecunias nummulariorum divitum (3), *qui erant in Templo.*

Tertio, pauperibus *qui vendebant columbas, mansuete dixit: (Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis).*

DE SERMONE CHRISTI HABITO IN MONTE
Matth. 5.

Primo, ad dilectos suos Discipulos, octo Christus Beatitudinis genera exposuit. Beati pauperes spiritu, mites, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, misericordes, mundo corde, pacifici, qui persecutionem patiuntur.

Secundo, eos exhortatur, ut acceptis donis seu talentis utantur recte: *(Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in Caelis est).*

Tertio, ostendit non solvere se legem, sed implere, explicatis praeceptis de vitando homicidio, furto, fornicatione, periurio, et diligendis quoque inimicis: *(Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos).*

DE SERMONE QUEM FECIT CHRISTUS IN MONTE
scribit S. Matth. cap. 5. *litt. A.B.*

Primo, ad dilectos suos Discipulos separatim *loquitur de octo Beatitudinibus: (Beati pauperes spitu, mites, misericordes, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, mundo corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur).*

Secundo, hortatur illos, ut utantur bene suis talentis: (Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in Caelis est).

Tertio, se ostendit non transgressorem legis, sed consummatorem, explicans praeceptum de non occidendo, non moechando, non peierando, et de diligendis inimicis: (Ego dico vobis: Diligite inimcos vestros, benefacte his qui oderunt vos).

(3) Notatu dignissima sunt epitheta *divitum* et *pauperum,* a S. P pio simul et probabiliter meditante adiecta, quibus rationem insinuat, cur Dominus diverso modo egerit; cum illis severe, cum his mitius.

DE SEDATA MARIS TEMPESTATE

Matth. 8.

Primo, dormiente Christo coorta est in mari vehemens tempestas.

Secundo, excitarunt a somno eum territi Discipuli, quos de fidei levitate arguit: *(Quid timidi estis modicae fidei?)*

Tertio, ventis et mari praecepit, ut conquiescerent, et facta est statim tranquillitas; unde obstupentes homines dicebant: *(Qualis est hic, quia venti et mare oboediunt ei?)*

QUOMODO CHRISTUS SEDAVIT MARIS TEMPESTATEM.

scribit S. Matth. cap. 8. *litt. C.*

Primo, dum Christus Domiminus noster dormiebat in mari, facta est magna tempestas.

Secundo, Discipuli eius territi excitarunt eum, quos ob exiguam fidem quam habebant reprehendit, dicens illis: (Quid timidi estis, modicae fidei?)

Tertio, praecepit ventis et mari, ut cessarent; et ita illis cessantibus factum est tranquillum mare, de quo mirabantur homines, dicentes: (Qualis est hic, quia venti et mare oboediunt ei?).

DE AMBULATIONE SUPER AQUAS

Matth. 14.

Primo, cum in monte adhuc esset Christus, Discipulis in naviculam abire iussis, et *(Dimissa turba, ascendit in montem solus orare).*

Secundo, cum agitaretur noctu navicula, eo ipse venit, ambulans super aquas, unde perterrefacti Discipuli phantasma esse iudicabant.

Tertio, postquam dixerat ad eos: *(Ego sum, nolite timere);* S. Petrus accedendi petiit facultatem, et gradiendo super aquas, ob subortum metum mergi coepit, quem increpans Dominus de modica fide, naviculam intravit, et cessavit ventus.

QUOMODO CHRISTUS AMBULABAT SUPER MARE

scribit S. Matth. cap. 14. *litt. C.*

Primo, cum Christus Dominus noster esset in monte, iussit Discipulos abire in naviculum, et dimissa turba coepit orationem facere solus.

Secundo, navicula iactabatur fluctibus, ad quam Christus venit ambulans super aquam; et Discipuli putabant phantasma esse.

Tertio, dicente illis Christo: (Ego sum, nolite timere), S. Petrus eius iussu *venit ad illum, ambulans super aquam; qui dubitans coepit mergi, sed Christus Dominus noster illum* liberavit *et reprehendit eum de modica eius fide, ac postea* intrante illo *in naviculam, cessavit ventus.*

DE MISSIS AD PRAEDICANDUM APOSTOLIS

Matth. 10.

Primo, Discipulis Iesus convocatis dedit potestatem eiiciendi daemonia ex hominibus, et omne morborum genus sanandi.

Secundo, prudentiam eos docuit et patientiam: *(Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae).*

Tertio, profectionis exponit modum: *(Gratis accepistis, gratis date; nolite possidere aurum neque argentum).* Ad haec materiam praedicationis expressit: *(Euntes autem praedicate, dicentes: quia appropinquavit regnum Caelorum).*

QUOMODO APOSTOLI FUERE MISSI AD PRAEDICANDUM.

scribit S. Matth. c. 10. litt. A.B.

Primo, vocat Christus dilectos *suos Discipulos, et dat illis potestatem eiiciendi daemonia ex hominum* corporibus, *et curandi omnes infirmitates.*

Secundo, instruit *illos* de *prudentia et patientia: (Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae).*

Tertio, tradit illis modum eundi: (Nolite possidere aurum, neque argentum, gratis accepistis, gratis date). Deditque eis materiam praedicandi: (Euntes praedicate, dicentes: quia appropinquavit regnum Caelorum).

DE CONVERSIONE MAGDALENAE

Luc. 7.

Primo, Christo accumbente mensae in Pharisaei domo, ingressa est mulier, quae fuerat in civitate peccatrix (sive (*) Maria Magdalena soror Marthae fuerit, sive alia), deferens alabastrinum vas, unguento plenum.

Secundo, stans retro coepit pedes eius rigare lachrymis, et

DE CONVERSIONE MAGDALENAE

scribit S. Luc. cap. 7. litt. E. F. G.

Primo, intrat *Magdalena ubi Christus Dominus noster accumbit mensae in domo Pharisaei, quae ferebat vas alabastri, plenum unguento.*

Secundo, stans pone Dominum circa pedes eius, *lacri-*

(*) *De Conversione Magdalenae. In autographo non habentur verba illa:* Sive Maria Magdalena soror Marthae fuerit, sive alia.

capillis suis abstergere, deosculari, et ungere.

mis coepit eos rigare, et capillis capitis sui eos tergebat, *et* osculabatur *pedes eius, et unguento eos* ungebat.

Tertio, criminatam eam a Pharisaeo defendit Christus, et ad ipsum ait: *(Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum).* Et ad ipsam deinceps: *(Fides tua te salvam fecit, vade in pace).*

Tertio, cum Pharisaeus accusasset Magdalenam, Christus loquitur in eius defensionem, dicens: (Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et dixit ad mulierem: Fides tua te salvam fecit, vade in pace).

DE QUINQUE MILLIUM HOMINUM REFECTIONE

Matth. 14.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER DEDIT AD MANDUCANDUM QUINQUE MILLIBUS HOMINUM.

scribit S. Matth. cap. 14. *litt. B. C.*

Primo, rogabant Iesum Discipuli ut dimitteret astantes turbas.

Primo, Discipuli, cum iam sero fieret, rogant *Christum, ut* dimittat *multitudinem hominum, qui cum ipso erant.*

Secundo, ipse afferri iussit, quos habebant panes, eosque praemissa benedictione frangens, Discipulis porrexit, turbis hominum discumbere iussis, apponendos.

Secundo, Christus Dominus noster mandavit [*Discipulis*] *ut* sibi *afferrent panes, et* iussit *ut* [*turbae*] discumberent, *et* benedixit *et* fregit *et dedit Discipulis* suis panes illos, et Discipuli multitudini.

Tertio, comederunt, et saturati sunt, et superaverunt cophini duodecim.

Tertio, (Manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos).

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI

Matth. 17.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI

scribit S. Matth. cap. 17. *litt. A. B.*

Primo, assumptis Iesus charissimis tribus Discipulis, Petro, Ioanne et Iacobo, *(Transfiguratus est ante eos: re-*

Primo, assumens comites *Christus Dominus noster dilectos suos discipulos Petrum, Iacobum et Ioannem, transfigu-*

splenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix).

Secundo, loquebatur cum Moyse et Elia.

Tertio, rogante Petro, ut fierent ibi tria tabernacula, insonuit vox de Caelo: *(Hic est Filius meus dilectus,* etc., *ipsum audite).* Unde consternati Discipuli, proni collapsi sunt, quos tangendo Christus, dixit: *(Surgite et nolite timere,* etc. *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat).*

ratus est, et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius sicut nix.

Secundo, loquebatur cum Moyse et Elia.

Tertio, dicente *S. Petro ut facerent tria tabernacula, sonuit vox de coelo, quae dicebat: (Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite). Quam vocem cum audissent Discipuli eius, prae timore ceciderunt in facies suas; et Christus Dominus noster tetigit eos, et dixit illis: (Surgite, et nolite timere. Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat).*

DE LAZARI SUSCITATIONE

Ioann. 11.

Primo, audito Christus nuntio de Lazari aegrotatione, per biduum subsistit, ut evidentius foret miraculum.

Secundo, antequam suscitet mortuum, utriusque sororis fidem exstimulat: *(Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet).*

Tertio, collacrymatus, ac precatus prius suscitavit illum; fuit autem, quo usus est, suscitandi modus per mandatum: *(Lazare veni foras).*

DE RESURRECTIONE LAZARI

Ioan. 11. *litt. A. B. C. D.*

Primo, certiorem faciunt *Christum Dominum nostrum* Martha *et* Maria *de infirmitate Lazari, qua cognita, substitit per duos dies, ut miraculum esset evidentius.*

Secundo, antequam eum resuscitet, petit [*exigit*] ab una et ab altera ut credant, *dicens: (Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet).*

Tertio, eum resuscitat postquam lacrimatus esset et orationem fecisset; et modus eum resuscitandi fuit iubendo: (Lazare veni foras).

DE COENA APUD BETHANIAM.
Matth. 26.

Primo, coenabat Christus in domo Simonis leprosi, et pariter Lazarus.

Secundo, effudit Maria unguentum super caput eius.

Tertio, obmurmurat Judas: *(Ut quid perditio haec?)* Denuo vero excusat Christus Magdalenam: *(Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me).*

DE COENA IN BETHANIA
Matth. cap. 26. *litt. A.*

Primo, Dominus coenat *in domo Simonis leprosi, simul cum Lazaro.*

Secundo, effundit *Maria unguentum super caput Christi.*

Tertio, murmurat Iudas, dicens: (Ut quid perditio haec unguenti?) Sed ille excusat denuo Magdalenam, dicens: (Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me).

DE DIE PALMARUM
Matth. 21.

Primo, praecepit Dominus adduci asinam, et pullum: *(Solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos).*

Secundo, asinam conscendit, Apostolorum vestibus instratam.

Tertio, excepturus eum populus, cum veniret obviam, vestiments suis et ramis arborum sternebat viam et canebat: *(Hosanna, Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis).*

DOMINICA PALMARUM
Matth. cap. 21. *litt. A. B.*

Primo, Dominus mittit [*Discipulos*] *ut adducant asinam et pullum, dicens: (Solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos).*

Secundo, conscendit asinam, coopertam vestimentis Apostolorum.

Tertio, exeunt ad excipiendum illum sternentes in via vestimenta sua et ramos arborum, et dicentes: (Hosanna, Filio David benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis).

DE PRAEDICATIONE IN TEMPLO
Luc. 19.

Primo, docebat quotidie in in Templo.

Secundo, finita praedicatione, in Bethaniam redibat, ne-

DE PRAEDICATIONE IN TEMPLO
Luc. cap. 19. *litt. G.*

Primo, erat quotidie docens in Templo.

Secundo, finita praedicatiocatione, quia non erat qui *eum*

mine apud Hierosolymam ipsum excipiente.

exciperet Hierosolymis, redibat in Bethaniam.

DE COENA ULTIMA
Matth. 26. et Joan. 13.

Primo, comedit cum Discipulis Paschalem agnum, eosque de imminente sua morte praemonuit: *(Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est)*

Secundo, lavit eorum, Judae quoque ipsius, pedes, incipiens a Petro, qui ad maiestatem Christi, et indignitatem suam respiciens, sese opponebat : *(Domine, tu mihi lavas pedes?)* Ignarus scilicet praeberi a Domino exemplum humilitatis, ita postea declarante: *(Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis).*

Tertio, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum instituit, in signum summae dilectionis, his verbis utens: *(Accipite et comedite,* etc.) Expleta autem coena, Iudas ad vendendum illum egressus est.

DE COENA [ULTIMA]
Matth. 26. *Ioan.* 13. *litt. A.*

Primo, comedit agnum Paschalem cum suis duodecim Apostolis, *quibus praedixit suam: (Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est).*

Secundo, lavit pedes Discipulorum suorum, etiam [ipsius] Iudae, incipiens a S. Petro, qui considerans maiestatem Domini *et suam* propriam vilitatem, nolens consentire, *dicebat: (Domine, tu mihi lavas pedes?) Sed S. Petrus nesciebat, eum in hoc praebere exemplum humilitatis, et ideo [Iesus] dixit: (Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis).*

Tertio, instituit sanctissimum Sacrificium *Eucharistiae, in* maximum *signum sui amoris, dicens: (Accipite et comedite). Finita coena, Iudas exit ad vendendum Christum* Dominum nostrum.

DE MYSTERIIS POST COENAM ET IN HORTO GESTIS.
Matth. 26. et Marc. 14.

Primo, peracta coena, et hymno dicto, profectus est Christus ad Oliveti montem

DE MYSTERIIS FACTIS A COENA (4) *USQUE AD HORTUM INCLUSIVE.*
Matth. 26. *et Marc.* 14.

Primo, Dominus finita coena et cantans hymnum, profectus est ad montem Oliveti

(4) *A coena usque ad hortum inclusive.* - Observa in omnibus hisce Mysteriis Dominicae Passionis peculiari modo indicari a S. P. patientis Domini *itinera,* quod item supra notavimus, in heb. III die 2. n. 5.

cum Discipulis suis undecim, metu plenis; et octo remanere iussit Gethsemani: *(Sedete hic, donec vadam illuc, et orem).*

Secundo, ductis secum tribus, Petro, Iacobo, Ioanne, oravit ter dicens: *(Pater mi, si possibile est, transeat a me caix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu).* Et in agonia exsistens prolixius orabat.

Tertio, cum eo timoris redigi se passus fuisset, ut diceret: *(Tristis est anima mea usque ad mortem),* etiam sanguinem sudavit copiosum, teste Luca, *(Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram).* Unde coniicere licet, vestimenta eius iam tum fuisse madefacta cruore.

cum suis Discipulis metu plenis; et relinquens octo in Gethsemani, dicens: (Sedete hic, donec vadam illuc et orem).

Secundo, assumptis comitibus S. Petro, S. Iacobo et S. Ioanne, oravit ter ad Dominum, dicens: (Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo sed sicut tu. Et exsistens in agonia orabat prolixius.

Tertio, in tantum timorem venit, *ut diceret: (Tristis est anima mea usque ad mortem), et sudavit sanguinem* tam *copiosum,* ut dicat *S. Lucas: (Factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram).* Id quod iam supponit *vestimenta esse* [*fuisse*] plena *sanguine.*

DE COMPREHENSIONE CHRISTI ET TRADUCTIONE AD ANNAE DOMUM.

Matth. 26. Luc. 22. Marc. 14. Io. 18.

Primo, permisit se Dominus osculo a Iuda tradi, et quasi latronem comprehendi: *(Tamquam ad latronem existis cum gladiis ac fastibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in Templo, et non me tenuistis).* Ipsoque intrrogante, *(Quem quaeritis?)* corruerunt in terram inimici omnes.

Secundo, servum Pontificis percutienti Petro ait: *(Mitte*

DE MYSTERIIS FACTIS AB HORTO USQUE AD DOMUM ANNAE INCLUSIVE.

Matth. 26. *Luc.* 22. *Mar.* 14.

Primo, Dominus osculandum *se permittit Iudae et comprehendi ut latronem* [*a satellitibus*]*; quibus dixit: (Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me; quotidie apud vos sedebam docens in Templo, et non me tenuistis). Et dicente eo: (Quem quaeritis?) ceciderunt in terram inimici.*

Secundo, S. Petrus vulneravit quemdam servum Pontifi-

gladium tuum in vaginam); et sanavit servum

cis, cui mansuetus Dominus dixit: (Converte gladium tuum in locum suum), et sanavit vulnus *servi.*

Tertio, captus et a Discipulis relictus, ad Annae domum pertrahitur, ubi a Petro paulo post secuto semel negatus est, et alapam accepit a ministro quodam obiiciente: *(Sic respondes Pontifici?)*

Tertio, derelictus a suis Discipulis pertrahitur ad Annam, ubi S. Petrus, qui eum secutus erat a longe, *eum negavit semel; et Christo data fuit alapa* [*a ministro*] *dicente illi: (Sic respondes Pontifici?)*

DE GESTIS POSTEA IN DOMO CAIPHAE

Matth. 26.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO ANNAE USQUE AD DOMUM CAIPHAE INCLUSIVE.

Matth. 26, *Luc.* 22. *Io.* 18.

Primo, abducitur ligatus Christus ab Anna in domum Caiphae, ubi Petrus rursum eum bis negavit, atque respiciente ipsum Domino, *(Egressus foras flevit amare).*

Secundo, permansit ligatus tota illa nocte.

Tertio, circumstantes eum satellites illudebant, vexabant, et velata facie colaphis caedebant, interrogantes: *(Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?)* ac modis aliis blasphemabant.

Primo, illum pertrahunt ligatum a domo Annae ad domum Caiphae, ubi S. Petrus eum bis negavit, et respectus a Domino (Egressus foras flevit amare).

Secundo, mansit Iesus tota illa nocte ligatus.

Tertio, praeterea ii, qui tenebant eum captivum, *illudebant ei, et* percutiebant eum, *et* velabant ei faciem, *et dabant* ei alapas, *et* interrogabant *eum: (Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?) et similia blasphemabant contra illum.*

DE CHRISTI APUD PILATUM ACCUSATIONE

Matth. 26. Luc. 23. Marc. 15. et Io. 18.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO CAIPHAE USQUE AD [*DOMUM*] *PILATI INCLUSIVE.*

Matth. 26. *Luc.* 23. *Marc.* 15.

Primo, traducitur deinceps ad Pilatum Christus, et coram eo a Iudaeis calumniose accu-

Primo, pertrahunt eum omnis multitudo Iudaeorum *ad Pilatum, et coram illo eum ac-*

satur: *(Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari).*

Secundo, eo semel atque iterum examinato retulit Pilatus: *(Ego nullam invenio in eo causam).*

Tertio, Barabbae latronis quam Christi Iesu liberationem, malle se Iudaei proclamarunt: *(Nunc hunc, sed Barabbam).*

DE TRANSMISSO CHRISTO AD HERODEM

Luc. 23.

Primo, transmisit Pilatus Christum ad Herodem, aestimans quod esset Galilaeus.

Secundo, Herodi poscenti curiosa, nihil penitus respondit, licet a Iudaeis valide accusaretur.

Tertio, ab Herode cum suo exercitu spretus fuit, atque veste alba iudutus.

DE REVERSIONE AB HERODE AD PILATUM

Matth. 27. Luc. 23. Marc. 15. et Io. 19.

Primo, Christum remisit ad Pilatum Herodes, et ambo ea ipsa die, cum prius inimici essent, sibi invicem reconciliati sunt.

Secundo, Iesum flagellis caedi iussit Pilatus: milites eumdem spinis coronarunt, atque

cusant, dicentes: (Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Caesari).

Secundo, postquam Pilatus eum semel et iterum examinasset, ait Pilatus: (Ego nullam invenio in eo causam).

Tertio, ei praelatus fuit Barabbas latro: *(Clamaverunt omnes dicentes, non hunc, sed Barabbam).*

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO PILATI USQUE AD [DOMUM] HERODIS

Luc. 23.

Primo, Pilatus misit Iesum [utpote] Galilaeum ad Herodem, Tetrarcham Galilaeae.

Secundo, Herodes curiosus *interrogavit eum* multum, *et ille nihil ei respondit, licet Scribae et Sacerdotes* constanter *eum accusarent.*

Tertio, Herodes eum sprevit cum exercitu suo, induens eum veste alba.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO HERODIS USQUE AD [DOMUM] PILATI.

Matth. 27. *Luc.* 23. *Marc.* 15. *et Io.* 19.

Primo, Herodes remittit eum ad Pilatum, ob quam causam *facti sunt amici, cum prius essent inimici.*

Secundo, apprehendit *Iesum Pilatus et* flagellavit *eum; et milites* fecerunt coronam de

purpura induerunt, deinde irridentes dicebant: *(Ave Rex Iudaeorum);* et colaphos simul impingebant.

Tertio, *(Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum);* et Pilatus dicit illis: *(Ecce Homo).* Pontifices vero conclamabant: *(Crucifige, crucifige eum).*

spinis *et* posuerunt eam super caput eius; *et* vestierunt eum purpura *et* venibant ad eum *et dicebant: (Ave Rex Iudaeorum); et dabant ei alapas.*

Tertio, eduxit eum foras in conspectum omnium: *(Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum), et dixit eis Pilatus: (Ecce Homo)*; *et* cum vidissent eum *Pontifices clamabant, dicentes: (Crucifige, crucifige eum).*

DE CONDEMNATIONE ET CRUCIFIXIONE IESU CHRISTI.

Ioan. 19.

Primo, sedens pro tribunali Pilatus Christum iudicavit, et tradidit crucifigendum, posteaquam negantes eum Iudaei suum Regem esse, dixerunt: *(Non habemus Regem, nisi Caesarem).*

Secundo, baiulavit Christus crucem suam, donec ob virium defectum Simon quidam Cyrenaeus illam post eum ferre compulsus est.

Tertio, inter duos latrones crucifixus fuit ascripto titulo: *(Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum).*

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO PILATI USQUE AD CRUCEM INCLUSIVE.

Ioan. 19. litt. D.

Primo, Pilatus sedens ut iudex *tradidit illis Iesum, ut eum crucifigerent, postquam illum Iudaei negassent* [*esse suum*] *Regem, dicentes: (Non habemus Regem, nisi Caesarem).*

Secundo, portabat crucem humeris suis et cum non posset eam portare, coactus fuit Simon Cyrenaeus ut illam portaret post Iesum.

Tertio, crucifixerunt eum in medio *duorum latronum, ponentes hunc titulum: (Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum).*

DE MYSTERIIS IN CRUCE FACTIS
Matth. 27. Luc. 23. Ioan. 19.

Primo, blasphemiàs pertulit in cruce: *(Vah, qui destuis Templum Rei,* etc. *Descende de Cruce).* Et divisa sunt vestimenta eius.

Secundo, effatus est Dominus in cruce verba septem: Orans videlicet pro crucifigentibus; Latroni parcens; Matrem et Ioannem sibi mutuo commendans; Exclamans: *(Sitio),* quando aceto eum potaverunt; et deinde se a Patre dicens derelictum; postea: *(Consummatum est);* ac po-

DE MYSTERIIS FACTIS IN CRUCE (5)
Ioan. 19. *litt. E. F. G.*

Primo, locutus est septem verba in cruce: oravit pro iis, qui eum crucifigebant (6); *veniam dedit latroni; commendavit S. Ioannem Matri suae, et S. Ioanni Matrem; dixit alta voce: (Sitio)* (7), *et dederunt ei* fel et *acetum;* dixit *se esse derelictum;* dixit: *(Pater, in manus tuas commendo spiritum meum).*

Secundo, sol obscuratus fuit, petrae scissae, sepulchra aperta, velum Templi divisum in duas partes a summo usque deorsum.

(5) *De Mysteriis in cruce.* - Magnum hìc notatur discrimen inter vulgatam versionem et autographum. In illa servatur fere ordo historiae, in autographo contra, historiae serie praetermissa, ordo rerum contemplandarum *accommodatus* videtur ad commendatam toties a S. P. considerationem *personarum, verborum, actionum,* et, in tertia hebdomada, *eorum quae* Dominus *patitur.* In primo puncto videmus *personam,* Iesum eiusque *verba* et *ea quae patitur.* In secundo *inanimata,* quae, veluti *personificata,* suo modo *dolent* et dolorem suum *loquuntur.* In tertio *inimicos* Christi eorumque *verba* et *actiones.* Porro in aperto Christi latere merito haec desinit contemplatio et in transfixo Iesu corde conquiescit. In Corde - *doloris* et *amoris* pelago - Hi duo affectus in corde Salvatoris dominati sunt in tota vita mortali, et in his Passionis mysteriis praecipue elucent - et incomparabiliter maiores fuerunt in Corde, quam in omnibus iis, quae exterius in Vita et in Passione tamquam signis quibusdam manifestavit.

(6) Ita, in ipso actu crucifixionis, ut innuit S. Lucas, qui solus Evangelistarum hoc Domini verbum commemorat.

(7) Videtur ex S. Ioanne verbum hoc *Sitio,* prolatum a Domino ultimo loco ante istud *Consummatum est.* - Actus ergo ille obedientiae, *cum accepit acetum, ut Scriptura impleretur,* ultimus fuit, post quem dixit: *Consummatum est. Derelictum* se dixisse videtur, postquam Matrem ipsam, quae sola sibi supererat in terris, quodammodo abdicavit.

stremo: *(Pater, in manus tuas commendo spiritum meum).*

Tertio, sol obscuratus est ipso exspirante, et petrae scissae sunt, aperta quoque monumenta, et velum Templi a summo ad infimam usque partem scissum, et latus lancea confossum aquam et sanguinem effudit.

Tertio, blasphemant illum, dicentes: (Vah, qui destruis Templum Dei, descende de cruce); fuerunt divisa vestimenta eius; percussum lancea latus eius manavit *aqua et sanguine.*

DE MYSTERIO SEPULTURAE

Ibidem.

Primo, de cruce sublatus est mortuus Dominus per Ioseph atque Nicodemum, in conspectu ipso Matris afflictissimae.

Secundo, delatum est ad sepulchrum corpus unctum et inclusum.

Tertio, adhibiti sunt inibi custodes.

DE MYSTERIIS FACTIS A CRUCE USQUE AD SEPULCHRUM INCLUSIVE.

Ibidem.

Primo, fuit depositus *de cruce per Ioseph et Nicodemum, in conspectu Matris suae dolorosae.*

Secundo, fuit delatum corpus ad sepulchrum et unctum et sepultum.

Tertio, positi *fuere custodes.*

DE CHRISTI RESURRECTIONE ET APPARITIONE PRIMA

Primum, apparuit Dominus Matri suae, postquam resurrexit cum dicat Scriptura, quod apparuit multis. Licet enim nominatim illam non exprimat, id nobis tamen relinquit pro certo, tamquam intellectum habentibus; ne alioqui iure audiamus illud: *(Adhuc et vos sine intellectu estis).*

DE RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI DE PRIMA EIUS APPARITIONE

Primo, apparuit Virgini Mariae; quod licet non dicatur in Scriptura, habetur pro dicto, cum dicat eum apparuisse tam multis aliis; *quia Scriptura supponit nos habere intellectum, sicut scriptum est: (adhuc et vos sine intellectu estis?)*

DE SECUNDA APPARITIONE
Marc. 16.

Primo, summo mane ad monumentum profectae sunt Maria Magdalena, Iacobi, et Salome inter se dicentes: *(Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?)*

Secundo, viderunt lapidem revolutum et Angeli dictum audierunt: *(Iesum quaeritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non est hic).*

Tertio, apparuit Mariae Magdalenae, quae, aliis digressis, iuxta sepulchrum restiterat.

DE SECUNDA APPARITIONE
Marc. 16. *litt. E.*

Primo, eunt *valde mane Maria Magdalene, Iacobi et Salome ad monumentum, dicentes: (Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?)*

Secundo, vident *lapidem revolutum et* Angelum, qui dicit: *(Iesum quaeritis Nazarenum. Surrexit, non est hic).*

Tertia, apparuit Mariae, quae remansit iuxta sepulchrum, postquam abivissent ceterae.

DE APPARITIONE TERTIA
Matth. ult.

Primo, redibant a monumento mulieres cum timore simul et gaudio ingenti, ut narrarent Discipulis, quidquid de Domini Resurrectione intellexerant.

Secundo, apparens eis in via Christus, ait: *(Avete)* et illae accedentes, ac prostratae ad pedes eius, ipsum adorarunt.

Tertio, affatus est illas Dominus: *(Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeum: ibi me videbunt).*

DE TERTIA APPARITIONE
S. Matth. ult. cap.

Primo, exeunt *istae* Mariae *e monumento cum timore et gaudio magno,* volentes *annuntiare discipulis* Resurrectio- *Domini.*

Secundo, Christus Dominus noster illis apparuit in via, dicens illis: (Avete); et illae accesserunt, et prostraverunt se ad eius pedes, et adorarunt eum.

Tertio, Iesus dicit illis: (Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt).

DE APPARITIONE QUARTA
Luc. ult.

Primo, audita Petrus ex mulieribus Christi Resurrectione, cucurrit ad monumentum.

DE QUARTA APPARITIONE
S. Luc. cap. ult. litt. B.

Primo, cum audisset ex mulieribus Christum resurrexisse, ivit cito *S. Petrus ad monumentum.*

Secundo, introgressus, sola vidit linteamina, quibus fuerat involutum corpus.

Secundo, intrans in monumentum, vidit sola linteamina, quibus coopertum fuit corpus Christi Domini nostri, et nihil aliud.

Tertio, cogitanti super his Petro Christus se ostendit, unde dicebant Apostoli: *(Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni).*

Tertio, cogitanti S. Petro de his rebus apparuit Christus; et propterea dicebant Apostoli: (Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni).

DE APPARITIONE QUINTA
Ibidem.

DE QUINTA APPARITIONE
ult. cap. S. Lucae.

Primo, duobus Discipulis deinceps apparuit, cum irent in Emmaus, et de ipso colloquerentur.

Primo, apparet *Discipulis, qui ibant in Emmaus, loquentes de Christo.*

Secundo, redarguit eorum incredulitatem, et Mysteria Passionis atque Resurrectionis ipsis exposuit: *(O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae. Nonne haec opportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?)*

Secundo, reprehendit illos, ostendens per Scripturas, quod Christus debebat mori et resurgere: *(O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae. Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam sua?)*

Tertio, rogatus cum eis mansit, fractoque ipsis pane disparuit; qui subito in Hierusalem reversi nuntiaverunt Apostois, quomodo vidissent eum, et in fractione panis agnovissent.

Tertio, ad preces illorum remanet ibi et fuit cum illis, donec data ipsis communione *disparuit; et ipsi revertentes dixerunt* Discipulis, *quomodo cognovissent eum* in communione.

DE APPARITIONE SEXTA
Ioan. 20.

DE SEXTA APPARITIONE
Io. cap. 20. litt. E. F.

Primo, Discipuli omnes, praeter Thomam, domi congregati erant propter Iudaeorum metum.

Primo, Discipuli erant congregati (Propter metum Iudaeorum), excepto S. Thoma.

Secundo, ingressus ianuis clausis Christus *(Stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis).*

Secundo, apparuit *illis Iesus, cum essent ianuae clausae; et* stans in medio illorum *dicit: (Pax vobis).*

Tertio, Spiritum sanctum eis dedit, et ait: *(Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc.).

Tertio, dat illis Spiritum sanctum, dicens illis: (Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis).

DE APPARITIONE SEPTIMA
Ibidem.

DE SEPTIMA APPARITIONE
Io. 20. *litt. G.*

Primo, S. Thomas, cum apparitioni praedictae non interfuisset, protestatus erat: *(Nisi videro* etc., *non credam).*

Secunda, post dies octo, iterum clausis ianuis obtulit se videndum Christus, et Thomae dixit: *(Infer digitum tuum huc, et vide* etc., *et noli esse incredulus, sed fidelis).*

Tertio, exclamavit Thomas: *(Dominus meus et Deus meus);* cui subintulit Christus: *(Beati qui non viderunt, et crediderunt).*

Primo, sanctus Thomas incredulus, *quia aberat ab apparitione praecedente, dicit: (Nisi videro.., non credam).*

Secundo, apparet illis *Iesus inde post dies octo, cum essent ianuae clausae, et dicit S. Thomae: (Infer digitum tuum huc, et vide.., et noli esse incredulus, sed fidelis).*

Tertio, S. Thomas credidit, *dicens: (Dominus meus, et Deus meus); cui ait Christus: (Beati qui non viderunt, et crediderunt).*

DE APPARITIONE OCTAVA
Ioan. ult.

DE OCTAVA APPARITIONE
Io. cap. ult. litt. A. B.

Primo, palam se denuo fecit Christus piscantibus septem Discipulis, qui cum tota nocte nil cepissent, iactum ad mandatum eius rete *(Iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium).*

Secundo, per id miraculum, agnoscens eum Ioannes, ait Petro: *(Dominus est); qui* confestim desiliens in mare, ad Christum accessit.

Tertio, dedit eis, ut comederent panem et piscem. Postea

Primo, Iesus apparet *septem ex suis Discipulis piscantibus, qui tota nocte nihil prendiderant; et iacientes rete ad eius mandatum, (Non valebant illud trahere prae multitudine piscium).*

Secundo, per hoc miraculum S. Ioannes illum cognovit, et dixit S. Petro: (Dominus est); qui proiecit se in mare et venit ad Christum.

Tertio, dedit illis ad comedendum (8) *partem piscis assi*

(8) *Partem piscis assi et favum mellis.* - Ita in autographo. Quae verba, cum in Evangelio ad aliam apparitionem pertineant, dicendum est, Sancto Patri memoriter puncta haec scribenti illud evenisse, quod non raro etiam Ss. Patribus verba Scripturae ex memoria referentibus accidisse nemo ignorat.

Petro, an se diligeret, ter interrogato, suum ovile commendavit: *(Pasce oves meas).*

et favum mellis; et commendavit oves [suas] S. Petro, examinato primum tribus vicibus de caritate, et dicit illi: (Pasce oves meas).

DE APPARITIONE NONA
Marc. ult.

Primo, ex Domini mandato abeunt Discipuli ad montem Thabor.

Secundo, iis apparens ille inquit: *(Data est mihi omnis potestas in Caelo, et in terra).*

Tertio, mittens eos ad praedicandum per universum orbem, sic mandavit: *(Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti).*

DE NONA APPARITIONE
Matth. cap. ult. litt. D.

Primo, Discipuli ex mandato Domini eunt ad montem Thabor.

Secundo, Christus illis apparet et dicit: (Data est mihi omnis potestas in Caelo et in terra).

Tertio, misit eos per totum mundum ad praedicandum, dicens: (Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti).

DE APPARITIONE DECIMA
1. Cor. 15.

(Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul).

DE DECIMA APPARITIONE
In Ep. 1. ad Corinth. cap. 15. litt. B.

(Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul).

DE APPARITIONE UNDECIMA
Ibidem.

Apparuit deinde Iacobo.

DE UNDECIMA APPARITIONE

(Deinde visus est Iacobo).

DE APPARITIONE DUODECIMA

Apparuisse Christum etiam Iosepho ab Arimathia, legitur in hagiographis quibusdam; et verisimile est, atque meditatu pium.

De DUODECIMA APPARITIONE

Apparuit Iosepho ab Arimathea, ut pie cogitatur meditando, et legitur in vita Sanctorum.

DE APPARITIONE DECIMATERTIA
1. Cor. 15.

Apparuit et beato Paulo post Ascensionem: *(Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi)*, inquit ipse. Apparuit etiam Patribus in Limbo, quoad animam, et postquam inde educti sunt.

Denique, resumpto corpore, apparebat passim Discipulis, et cum eis crebro versabatur.

DE ASCENSIONE CHRISTI
Act. 1.

Postquam iam per dies quadraginta multoties se Christus Discipulis suis vivum exhibuisset *(In multis argumentis* etc., *loquens eis de Regno Dei)*, misit eos Hierosolymam ut promissum sibi Spiritum sanctum illic exspectarent.

Secundo, eduxit eos ad Oliveti montem: *(Et videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum)*.

Tertio, iisdem in coelum suspicientibus dictum est per duos illos viros in vestibus albis assistentes, quo Angelos fuisse credimus: *(Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum)*.

DE DECIMATERTIA APPARITIONE
Ep. 1. *ad Corinth. cap.* 15. *litt. B.*

Apparuit S. Paulo post Ascensionem: (Novissime tamquam abortivo visus est mihi). Apparuit etiam in anima Patribus sanctis Limbi, et postquam [*eos inde*] eduxisset et corpus iterum assumpsisset, *multis vicibus apparuit Discipulis et* conversabatur *cum illis.*

DE ASCENSIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI
Act. 1. *litt. A. B.*

Primo, postquam per spatium quadraginta dierum apparuisset Apostolis, faciens [*praebens*] multa argumenta et signa, *et loquens de Regno Dei,* mandavit *illis, ut in Ierusalem promissum Spiritum sanctum exspectarent.*

Secundo, eduxit illos ad montem Oliveti, et in praesentia eorum elevatus est, et nubes sustulit eum ab oculis eorum.

Tertio, aspicientibus illis in coelum, dicunt illis Angeli: *(Viri Galilaei, quid statis aspicientes in caelum? Hic Iesus, qui assumptus est a vobis in caelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in caelum)* (9).

(9) Quam opportune terminatur ultima Contemplatio de gloriosis Christi mysteriis illa admonitione Angelorum: *Viri Galilaei, quid statis...?* et futuri iudicii commemoratione! Scilicet, ut nos, illud iudicium prospicientes, contemplationis suavitate non contenti, ad *opera* Christo digna nos accingamus.

REGULAE ALIQUOT

ad motus animae, quos diversi excitant spiritus, discernendos, ut boni solum admittantur, et pellantur mali. Advertendum est, quod potissimum conveniunt Exercitiis primae hebdomadae.

REGULAE

ad sentiendum et *cognoscendum* aliquo modo (1) varias motiones, quae in animae *exercitantur: bonas, ut suscipiantur, malas, ut reiiciantur. Suntque magis propriae [sive, convenientes istae regulae] pro prima hebdomada.*

Prima regula est, quod illis, qui facile peccant lethaliter, et peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis et sensuum de-

Prima regula: in illis, qui eunt [ruunt] a peccato mortali in peccatum mortale, solet communiter inimicus proponere eis delicias apparentes (2)

(1) *Ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo.* - Notatu dignum est ex autographo: 1. Regulas istas non tantum ad *discernendos* animi motus inservire, sed etiam ad illos *sentiendos,* sive observandos. Quam multi enim sunt, qui motus animae suae ne *sentiunt* quidem, id est, non attendunt, non observant. Ut ergo ad illos reddamur attenti, regulae istae mirifice iuvant. 2. Dicitur: *ad sentiendum et cognoscendum aliquo modo. Aliquo modo, aliqua ratione,* per sequentes regulas, motus animi dignosci possunt, ne scilicet solas hasce regulas sufficere existimemus, cum non modo alterae deinde subtiliores ab ipso S. P. nostro tradantur, verum etiam singulari lumine divino et gratia opus sit, quod donum *discretio spirituum* vocatur. - Nemo vero sibi ad propriam directionem regulas sufficere existimet solas, absque directoris ductu.

Ceterum in hisce regulis omnes variationes ex autographo diligenter velim observari, quamvis nullam adnotationem subiiciamus. Magis enim hìc, quam usquam alias, textus S. P. ex autographo clarior redditur; id quod etiam in hoc argumento de discernendis spiritibus momenti est maioris fortasse, quam usquam alias.

(2) *Apparentes.* - Nonnisi *apparentes* delicias proponere potest, ipse miserrimus; et *inimicus* cum sit, odio flagrans in humanam naturam, non vult nec potest velle, nisi quo noceat vel animae, vel corpori, vel utrique; quod si quid delectabile obiiciat, bonum illud apparens est, vanum, fucatum, fallax, et certo certius ad malum animae inferendum bonum illud qualecumque dirigitur. Vide dicta ad Annot. 7. ex 20. n. 15. Exponuntur in his duabus primis regulis media, quibus utitur tum malus angelus, tum bonus, contraria pro fine quem uterque intendit contrarium, et pro dispositione cuiusque hominis pariter contraria. - Adverte tamen, poni a S. P. duo extrema, nempe exemplum peccatoris *perditissimi* in prima regula, *ferventis* poenitentis vel iusti in secunda. Ergo ubi de *tepido* agitur, magna discretione opus est in applicandis hisce regulis. Vid. dicta supra n. 1.

lectationes obiicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. Spiritus vero bonus e contrario conscientiam illorum pungit assidue, et per synderesis rationisque officium a peccando deterret.

Secunda, quod aliis hominibus, qui se a vitiis et peccatis purgandos curant sollicite, et in obsequii divini studio magis in dies promovent, immittit spiritus malignus molestias, scrupulos, tristitias, rationes falsas, et alias id genus perturbationes, quibus profectum illum impediat. Spiritui autem bono ex opposito proprium consuetumque est recte agentibus animum ac vires addere, consolari, devotionis lacrymas ciere, illustrare mentem, et tranquillitatem dare, sublatis obstaculis omnibus, ut expeditius alacriusque per opera bona semper ultra tendant.

Tertia, quod spiritualis proprie consolatio tunc esse noscitur, quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui, nec iam creaturam ullam, nisi propter ipsum potest diligere. Quando etiam lacrymae funduntur, amorem illum provocantes, sive ex dolore de peccatis profluant, sive ex do-

efficiendo ut imaginentur *delectationes et voluptates sensuales, quo magis illos conservet et* adaugeat [*promoveat*] *in suis* vitiis et *peccatis; in quibus personis bonus spiritus* utitur modo contrario, *pungendo illos et remordendo illis conscientias per synderesin rationis.*

Secunda: in illis, qui intense procedunt *in purgandis suis peccatis et in servitio Dei* Domini nostri de bono in melius ascendendo, obtinet modus contrarius ei qui in prima regula [*notatus est*]*; tunc enim proprium est mali spiritus,* mordere, tristitia afficere, *et ponere impedimenta,* inquietam reddendo [*animam*] *per falsas rationes, ne pergat ulterius. Et proprium boni* [*spiritus est*], *dare animum et vires, consolationes, lacrimas, inspirationes et quietem* [*animi*], facilia reddendo [*omnia*], *et removendo omnia impedimenta, ut* in bene operando *procedat ulterius.*

Tertia: de *consolatione spirituali.* Voco [*dico, nomino*] *consolationem quando in anima* excitatur (3) *motio* aliqua *interior, qua* inflammari incipit *anima* in amore *sui Creatoris ac Domini; et* consequenter, *quando* [*anima*] *nullam rem creatam super faciem terrae amare potest* in se ipsa, sed [*solummodo*] *in Creatore*

(3) *Excitatur - inflammari incipit.* - In autographo quaedam videtur exprimi gradatio, quam utcumque conservare studuimus. *Excitatur,* hispanice: *se causa* (*causatur*), *motio aliqua, cum qua* seu *per quam,* hisp. *viene la anima a infiammare* (*venit anima ad inflammandum se*).

ex meditatione Passionis Christi, sive alia ex causa qualibet, in Dei cultum et honorem recte ordinata. Postremo, consolatio quoque dici potest, fidei, spei, et charitatis quodlibet augmentum; item laetitia omnis, quae animam ad caelestium rerum meditationem, ad studium salutis, ad quitem et pacem cum Domino habendam, solet incitare.

omnium illarum. Item quando fundit (4) *lacrimas, moventes ad amorem Domini sui, sive sit ob dolorem de suis peccatis, sive de Passione Christi Domini nostri, sive de aliis* rebus *directe ordinatis in eius servitium et laudem. Denique, voco consolationem omne augmentum* spei, fidei *et charitatis, et omnem laetitiam internam, quae* vocat et attrahit [*hominem*] ad res caelestes *et ad propriam salutem ani-* quietam *et pacificando illam* quietam, *et pacificando illam* in *suo Creatore* ac Domino.

Quarta, quod spiritualis e contra desolatio vocari debet quaevis animae obtenebratio, conturbatio, instigatio ad res infimas seu terrenas; omnis denique inquietudo et agitatio, sive tentatio trahens in diffidentiam de salute, et spem charitatemque expellens; unde se anima tristari, tepescere, ac torpere sentit, et de ipsius Dei Creatoris sui clementia prope desperare. Sicut enim consolationi opponitur desolatio ita etiam quae ab utraque oriuntur cogitationes, sunt inter se prorsus oppositae.

Quarta: de desolatione spirituali. *Voco desolationem* omne [*quod est*] *contrarium* tertiae regulae [*dictis in tertia regula*]; *ut, obtenebrationem animae, turbationem in illa, motionem ad res infimas ac terrenas, inquietudinem variarum agitationum et tentationum, moventem ad diffidentiam, sine spe, sine amore, cum se reperiat* [*anima*] *totam pigram, tepidam, tristem et* veluti separatam a Creatore ac Domino suo; *quia sicut consolatio contraria est desolationi, eodem modo cogitationes, quae oriuntur ex consolatione, contrariae sunt cogitationibus, quae oriuntur ex desolatione.*

Quinta, quod tempore desolationis nihil deliberandum, aut innovandum est circa propositum animi, aut vitae statum, sed in eis perseveran-

Quinta: tempore desolationis numquam mutatio facienda *est, sed standum* firmiter et constanter *in propositis ac determinatione, in qua erat*

(4) *Fundit.* - Hisp. *lanca,* i. e. *eiicit* - exprimitur *vis lacrimarum erumpentium.*

dum, quae fuerant prius constituta, puta, praecedente die, vel hora consolationis. (*) Quemadmodum enim dum fruitur quis consolatione illa quam diximus, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur; ita, obversante sibi desolatione, agitur a malo spiritu, cuius instigatione nihil umquam recte conficitur.

Sexta, quod tametsi desolatione affectus homo priora sua consilia minime debet immutare; expediet tamen provideri et augeri ea, quae contra desolationis impulsum tendunt; qualia sunt, insistere orationi, cum discussione sui, ac poenitentiae aliquid assumere.

[*homo*] *die* praecedente eiusmodi desolationem (5), *vel in determinatione in qua erat in praecedenti consolatione; quia sicut in consolatione nos magis ducit et* consilio suo *dirigit bonus spiritus, ita in desolatione malus; cuius consiliis* non possumus *invenire viam* [*deduci*] *ad recte quid decernendum.*

Secta: licet in desolatione non debeamus mutare priora proposita, valde [*tamen*] *iuvat* intense mutare (6) se [*sive, modum agendi, ut pugnemus*] *contra ipsam desolationem: v. g. insistendo* magis *orationi,* meditationi, multum [*nos*] *examinando et* extendendo nos *magis* [*amplius quid*

(*) *In quinta Regula de discretione spirituum. Verba illa:* Quemadmodum enim dum fruitur quis, *usque ad finem, ita commodius verti possunt ex autographo:* Quemadmodum enim in consolatione bonus spiritus nos magis regit ac dirigit, ita in desolatione malus, cuius instigatione et consiliis nihil rectum decernere possumus.

(5) *Die praecedente eiusmodi desolationem.* - Ita ex autographo clarius exprimitur, numquam in desolatione mutari debere concepta *prius* proposita; *prius,* inquam, idest, non modo ea quae *in consolatione* sensibili, sed quae *prius,* ante desolationem, *in animi quiete* statuta fuerant.

(6) *Valde iuvat intense mutare se etc.* - Ergo, consilia quidem prius concepta mutanda non sunt, sed mutanda ratio se ipsum tractandi, et haec mutatio *intense* facienda est *contra ipsam desolationem,* et talis mutatio *valde* iuvat ad desolationem vincendam. Porro, in quo consistere ista mutatio debeat, distincte docemur a S. P.: scilicet, ut v. g. 1. *magis insistamus orationi et meditationi;* 2. *multum* nos, conscientiam nostram, actus nostros, nostraque omnia *examinemus;* 3. *amplius* aliquid et abundantius suscipiamus in exercendis poenitentiae operibus, modo aliquo nobis nostroque statui, nostrae complexioni accommdato seu convenienti. In triplici hoc exercitio *orationis, examinis* et *poenitentiae* torpere nos facit desolatio. Ergo, *contraria contrariis curanda.* - Utinam, quae hìc B. P. *valde* proficua esse dicit in desolatione, diligenter a nobis in usum deducerentur, dum desolatione premimur! Notanda illa: *intense... magis... multum... extendendo nos magis...* quae, in vulgata versione omissa, ex autographo restituimus.

agendo] in aliquo convenienti modo faciendi poenitentiam.

Septima, quod quamdiu premimur desolatione, cogitandum est, nos interim relinqui a Domino nobis ipsis, probationis causa, ut per naturales quoque vires insultibus inimici nostri obsistamus. Id quod possumus haud dubie (*), assistente nobis iugiter praesidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur, eo quod fervorem pristinum charitatis Dominus subtraxerit, relicta nihilominus gratia, quae ad bene operandum et ad consequendam salutem satis esse queat.

Septima: ille qui est *in desolatione, consideret, quomodo Dominus ipsum reliquit, probationis gratia, in suis potentiis naturalibus, ut resistat* variis agitationibus et tentationibus *inimici; potest enim* [*resistere*] *cum auxilio divino, quod semper ipsi manet, licet* aperte *illud non sentiat* [*sibi adesse*], *quia Dominus subtraxit ipsi* multum suum fervorem, magnum amorem [*sensibilem*], *et* gratiam intensam, *manente tamen ipsi gratia quae* sufficiat (7) *ad salutem aeternam.*

Octava, quod hominem tentatione pulsatum, mire iuvat patientiae servandae studium, ut quae vexationibus huiusmodi proprie opponitur, et e diametro resistit. Accersenda etiam spes est, et cogitatio adfuturae brevi consolationis; si praesertim per sanctos conatus in sexta regula signatos, desolationis impetus frangatur.

Octava: ille qui est in desolatione, [*in eo*] laboret *ut persistat in patientia, quae est contraria vexationibus quae sibi ingruunt; et* cogitet *se cito esse consolandum,* adhibendo diligentias (8) [*sive conatus*] *contra eiusmodi desolationem, prout dictum est in sexta regula.*

(*) *In septima Regula de discretione spirituum circa medium:* Assistente nobis iugiter praesidio divino, licet tunc nequaquam sentiatur. *In autographo sic habetur:* Assistente nobis praesidio divino, quod semper manet: licet tunc nequaquam sentiatur.

---

(7) *Quae sufficiat.* - Ita ex autographo. Non modo: *quae satis esse queat;* - sed *quae* vere *satis sit,* vere *sufficiat,* ad tentationes vincendas. Neque vero intelligitur hìc *gratia sufficiens* eo sensu, quo a theologis dicitur per oppositionem ad *gratiam efficacem.* - Satis patet ex dictis in posteriore parte huius Regulae, non excludi a S. Patre, sed omnino etiam subintelligi *gratiam,* licet minus copiosam, ubi in priori parte regulae hominem relinqui dicebat *in suis potentiis naturalibus; naturalibus* id est *ordinariis,* gratia supernaturali minime exclusa.

(8) *Adhibendo diligentias,* (seu conatus). - Tó *praesertim,* quod legitur in vulgata versione, abest in autographo. Et vero sancti illi conatus, de quibus in Regula sexta, *omnino* adhibendi in desolatione, si *spem* fundatam quaerimus *adfuturae brevi consolationis.*

Nona, quod causae desolationis tres sunt praecipuae. Prima, quia propter nostram in spiritualibus studiis seu exercitiis tepiditatem atque acediam consolatione divina merito privamur. Secunda, ut probemur quinam sumus, et quomodo in Dei servitium et honorem, absque praesente quodam consolationum donorumque spiritualium stipendio nosmet impendimus. Tertia, ut certi plane simus nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lachrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem; sed omnia haec gratuita esse Dei dona, quae si vindicemus nobis ut propria, superbiae et vanae gloriae crimen, non sine salutis gravi periculo, incursuri sumus.

Nona: tres causae sunt praecipuae, ob quas desolatos nos reperimus. Prima est, quia sumus tepidi et pigri seu negligentes in exercitiis nostris spiritualibus; atque ita ob culpas nostras elongatur *spiritualis consolatio a nobis. Secunda, ut probet nos* [*Dominus*] quantum valeamus *et quousque* procedamus *in eius servitio et laude, absque* tanto *stipendio consolationum et* magnarum [*specialium*] *gratiarum. Tertia, ut det nobis* veram notitiam et cognitionem, qua intime sentiamus, *non esse ex nobis acquirere vel retinere magnam devotionem, amorem intensum, lacrimas, neque ullam aliam consolationem spiritualem, sed totum esse donum et gratiam Dei Domini nostri; et* ne in aliena domo nidum ponamus (9), *efferendo intellectum nostrum in* aliquam *superbiam, vel vanam gloriam, attribuendo nobis ipsis devotionem vel ceteras partes spiritualis consolationis.*

Decima, quod fruenti homini consolatione, prospiciendum est, quo se pacto gerere

Decima: ille qui est in consolatione, cogitet *quomodo se habebit in desolatione, quae*

(9) *Ne in aliena domo nidum ponamus.* - Locutio proverbialis, alludit ad nidificationem hirundinis; antiqua versio *ms.* legit in hisp. pro *casa,* quae vera est lectio, *cosa,* et sic expressit: *ut in nulla re aliena quiescamus.* - Sensus est, ne, quod alienum est, nobis ut proprium usurpemus, atque ita securitatem capiamus ibi, ubi capienda non est; ut qui *in aliena domo* sibi habitationem figeret, exturbandus scilicet inde, cum domino domus visum fuerit. - Notatu dignum est, in autographo non *superbiae crimen* dici, nec simpliciter *superbiam,* sed lenissime *aliquam superbiam;* quo intelligamus, vel levem *aliquam* superbiam, vel exiguam *aliquam* complacentiam Deo vehementer displicere, et ob eiusmodi levem etiam complaentiam non raro nos caelesti consolatione merito privari. Et vero illud maxime omnium in consolatione timendum atque cavendum, ne evanescamus, neve securitatem capiamus, vanam semper et inanem, nisi in *sola* Domini *misericordia* confidamus, eique *soli* omnia bona nostra accepta referamus.

poterit, desolatione deinceps occurrente: ut iam inde acrimoniam et robur animi mature comparet, ad impetum eius reprimendum.

postea [*ei*] *superveniet, sumendo* novas vires pro illo tempore.

Undecima, ut ille idem, affluente consolatione, seipsum deprimat, ac vilifaciat quantum potest, reputando secum, quam imbellis, quamque ignavus esse apparebit, desolatione impugnante, nisi per gratiae et consolationis divinae opem cito sublevetur. Contra vero ille, quem desolatio molestat, aestimare debet cum Dei gratia, se posse plurimum, facileque adversarios suos omnes devicturum esse, dummodo in Dei virtute collocet spem suam, et animum suum corroboret.

Undecima: ille qui est *in consolatione,* procuret *humiliare sese atque deprimere quantum potest, cogitando quam parum valeat tempore desolationis, sine* illa tali *gratia seu consolatione. E contrario cogitet ille qui* est *in desolatione, se posse multum cum gratia* quae sufficit ad resistendum *omnibus suis inimicis,* sumendo vires in Creatore ac Domino suo.

Duodecima, quod hostis noster naturam et morem muliebrem refert, quoad imbecillitatem virium et animi pervicaciam. Nam sicut femina cum viro rixans, si hunc conspexerit erecto et constanti vultu sibi obsistere, abiicit illico animum, ac terga vertit; sin vero timidum fugacemque esse animadverterit, in extremam surgit audaciam, et in illum ferociter invadit: itidem consuevit daemon animo et robore plane destitui, quoties spiritualem athletam, corde im-

Duodecima: inimicus [*noster*] *facit se* [*exhibet se, gerit se*] *ut femina, in quantum est* [*ipse*] debilis per vim [*i. e. si reprimatur*], *et* fortis per voluntatem [*malitiam et rabiem*] (10). *Nam sicut proprium est feminae, dum rixatur cum aliquo viro, perdere animum, capiendo fugam, quando homo ei os impavidum ostendit, et e contrario si vir incipit fugere perdendo animum,* ira, vindicta *et* ferocia *feminae est valde magna, et prorsus* sine mensura [*ex-*

(10) *Debilis etc.* - Notatu valde digna sunt ista duo epitheta contraria inter se, et tamen verissima imago, quae daemonis naturam egregie depingit. *Debilis per vim,* hisp. *por fuerza,* ital. *per forza, s. suo malgrado;* scilicet quod, licet valeat viribus, reprimi tamen possit, et sic *per vim* et invitus ac maxime nolens *debilis* reddatur, voluntate tamen prava ac nocendi cupiditate *fortis.* Plane ut improba femina. Quod in vulgata versione dicitur: *quoad imbecillitatem virium,* nisi subintelligatur quod vires eius per generosam resistentiam frangantur, verum sensum non exprimit. Quis enim beluam illam *viribus* per se *imbecillem* dicat? Vid. not. mox sequentem n. 11.

perterrito, ac fronte ardua tentationibus videt reluctari; sin autem trepidet, ad primos impetus sustinendos et quasi animum despondeat, nulla est bestia super terram inimico illo tunc efferatior, acrior et pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra malignae obstinataeque mentis suae desiderium adimpleat.

Decima tertia, quod idem inimicus noster morem insequitur nequissimi cuiuspiam amatoris, qui puellam honestorum parentum filiam, vel uxorem viri alicuius probi volens seducere, summopere procurat, ut verba et consilio sua occulta sint, nilque reformidat magis ac aegre fert, quam si puella patri suo, vel uxor marito, illa patefaciat, cum sciat hoc pacto de votis et conatibus suis actum esse. Ad eumdem modum obnixe satagit diabolus, ut anima, quam circumvenire cupit ac perdere, fraudulentas suas

trema]*: eodem modo proprium est inimici* [*nostri*], *viribus destitui et animum perdere,* (in fugam vertentibus se tentationibus eius), *quando ille, qui* se exercet in rebus spiritualibus, *os impavidum opponit tentationibus inimici,* faciendo oppositum e diametro [*idest contrarium omnino ei, quod ipse per suas tentationes praetendit*] (11). *Et e contrario, si qui se exercet* incipit *timere et perdere animum in patiendis tentationibus, non est bestia adeo efferata super faciem terrae, ut* [*est*] *inimicus humanae naturae* in prosecutione perversae suae intentionis, *cum* adeo magna [*maxima*] malitia.

Decima tertia: sic etiam se gerit, ut vanus [*falsus*] *amator,* in quantum vult esse secretus et non detegi. *Nam sicut* [*talis*] *homo vanus* [*falsus*], *qui loquens ad malum finem allicit* [*sollicitat*] *filiam aliquam alicuius boni patris, vel uxorem boni mariti, vult ut verba sua et suasiones sint secretae, et contra displicet ei summopere, quando filia patri, vel uxor marito detegit vana* [*fallacia*] *eius verba et intentionem pravam, quia facile colligit, fore ut non possit rem inceptam ad finem perducere: eodem modo, quando inimicus*

(11) Hoc loco in versione antiqua *ms.* inseritur: *ideo ait Paulus: Resistite diabolo, et fugiet a vobis.* Itemque in fine huius duodecimae Regulae: *ideo recte dicit Job de daemone: Non est potestas super terram, quae comparetur illi.* - Quae quidem in autographo hispanico non habentur, admissa tamen fuere a S. P. in illa versione, qua ipse uti consueverat. Et sane hi textus doctrinam hac Regula contentam egregie confirmant.

suggestiones teneat secretas. Indignatur vero maxime, et gravissime cruciatur, si cui vel confessionem audienti, vel spirituali homini molimina sua detegantur, a quibus ita excidere se funditus intelligit.

naturae humanae ingerit animae iustae *suas fraudes et suasiones*, vult ac desiderat, ut recipiantur et teneantur in secreto; *sed quando* [*illa*] *eas detegit bono suo confessario, vel alteri personae spirituali, quae cognoscat eius* fraudes *ac* malitias, *valde ei displicet; quia* [*hinc*] *infert fore ut non possit malitiam suam, quam inchoarat, perficere, cum detectae sint fraudes suae manifestae.*

Decima quarta, quod solet etiam adversarius imitari aliquem belli ducem, qui obsessam arcem expugnare atque depraedari cupiens, explorata prius natura et munitione loci, debiliorem partem aggreditur. Sic nimirum et ille circuit animam, et callide inquirit, quarumnam virtutum praesidiis, moralium scilicet, aut theologicarum, ipsa vel munita vel destituta sit; eaque potissimum parte machinis omnibus admotis irruit, ac subvertere nos sperat, quam in nobis minus ceteris firmatam custoditamque esse praeviderit.

Decima quarta: sic etiam [*gerit se*] *ut* belli dux (12), *ad vincendum ac depraedandum in quod desiderat. Nam sicut belli dux et* caput exercitus, *castra ponendo et explorando vires ac dispositionem arcis alicuius, eam impugnat ex parte debiliori, eodem modo inimicus humanae naturae* circumiens *explorat* omni ex parte *virtutes* omnes *nostras theologicas*, cardinales *et morales; et qua parte nos reperit debiliores, et* egentiores pro nostra aeterna salute, *ea parte nos impugnat et procurat nos expugnare.*

REGULAE ALIAE

utiles ad pleniorem spirituum discretionem, et secundae hebdomadae potissimum convenientes.

REGULAE

ad eumdem effectus *cum maiori discretione spirituum, et conducunt* [*conveniunt*] magis (1) *pro secunda hebdomada.*

Prima est, quod proprium est Dei, et Angeli cuiusque bo-

Prima: proprium est Dei et Angelorum eius, in suis motio-

(12) *Belli dux.* - et infra, *caput exercitus.* - Duobus hisce locis habetur in autographo vox *caudillo,* quae etiam de *duce latronum* usurpari solet, ut notavimus in contempl. de duobus Vexillis n. 50.

(1) *Magis.* - *Magis* conveniunt, vel convenire solent; non ita ut omnino semper et exclusive secundae hebdomadae conveniant. Pendet

ni, veram infundere spiritualem laetitiam animae, quam movent, sublata tristitia et perturbatione omni, quam ingessit daemon: cum hic e contrario, sophisticis argumentis quibusdam, veri speciem prae se ferentibus, laetitiam illam in anima repertam oppugnare soleat.

Secunda, solius est Dei, consolari animam, nulla praecedente consolationis causa, cum sit hoc proprium Creatoris, suam ingredi creaturam, et illam in amorem sui totam convertere, trahere, et mutare. Causam vero praecedere nullam tunc dicimus, quando nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostrae quidquam obiectum est, quod eiusmodi consolationem causare ex se possit.

nibus dare veram laetitiam et gaudium spirituale, removendo omnem tristitiam et turbationem, quam inimicus inducit; cuius proprium est militare [*pugnare*] *contra eiusmodi laetitiam* (2) et consolationem spiritualem, *adducendo* rationes apparentes, subtilitates *et* assiduas fallacias.

Secunda: solius est Dei Domini nostri *dare consolationem animae sine causa praecedente; quia proprium est Creatoris* [*animam*] intrare, egredi (3), facere motionem in illa, *trahendo illam totam in amorem* suae divinae Maiestatis. *Dico: sine causa,* [*idest sine*] *ullo praevio sensu, vel cognitione alicuius obiecti, per quod illa talis* [*eiusmodi*] *consolatio adveniat* [*animae*] per eius [*proprios*] actus intellectus et voluntatis (4).

enim hoc non tam ex hebdomada Exercitiorum, in qua quis versatur, quam ex animae dispositione et habitu. Vide dicta ad Annot. decimam inter. 20. n. 17.

(2) *Contra eiusmodi laetitiam.* - Laetitia spiritualis cum sit ad animae profectum utilissima, nil mirum si daemon hanc laetitiam impugnare, animamque Deo deditam turbare quibuscumque possit artibus conetur. Inimicus enim cum sit, animam, quam *ad malum pertrahere* se tam facile posse non sperat, saltem *impedire a profectu,* vel saltem *vexare* et affligere tentat; proque odio isto suo etiam *vexare* in primis contentus est, non sine spe *impediendi* hac ratione maius bonum, ac tandem etiam *pertrahendi* animam ad *malum.* - Patet agi de anima qualis describitur in secunda ex prioribus Regulis *ad spiritus dignoscendos.*

(3) *Intrare, egredi.* - Ita ex autographo. Intellige, *uti* Creatorem *anima* sibi dedita *ut propria domo.* Quae similitudo adhibetur etiam infra in Reg. 7.

(4) *Per eius* (proprios) *actus intellectus et voluntatis.* - Haec ultima verba huius Regulae, ex autographo, tollere videntur ambiguitatem illam, vel potius inexplicabilem obscuritatem, quam versio vulgata prae se ferre quibusdam visa est, ac si *nec sensibus, nec intellectui, nec voluntati* quidquam *obiectum esset;* hoc enim posito, quid erit, de quo anima consolationem concipiat? Et quidem τὸ *voluntati* plane deest in autographo, neque admitti posse hoc loco videtur. - Omnino igitur et intellectui et maxime voluntati obiectum aliquod adsit necesse est; sed non ita aut cognitum, aut ratiocinatione comprehensum, ut *talis*

Tertia, quoties praecessit consolationis causa, auctor eius potest existere tam malus Angelus, quam bonus, sed ad fines tendunt contrarios: bonus quidem, ut anima in boni cognitione et operatione magis proficiat; malus autem, ut male agat illa et pereat.

Tertia: cum [*s. praecedente*] *causa potest consolari animam aeque Angelus bonus ac malus, ad fines* [*tamen*] *contrarios: bonus Angelus* ad profectum animae, ut crescat et ascendat de bono ad melius (5); *et malus angelus* ad contrarium, et deinceps *ut trahat illam ad perversam suam intentionem et malitiam.*

Quarta, id moris est spiritui maligno, ut in lucis Angelum transfigurans sese, cognitis piis animae votis, primum obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat etenim ab initio bonas sanctasque hominis cogitationes sequi et fovere; at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat.

Quarta: proprium est angeli mali, qui in Angelum lucis se transfigurat, intrare cum anima devota [*i. e. incipere, suggerendo cogitationes animae devotae conformes*], *et* exire secum ipso [*i. e. finire, suggerendo suas*]; *scilicet,* [*solet*] *inducere cogitatus bonos et sanctos,* conformiter [*ad dispositionem*] *talis animae iustae; ac dein paulatim procurat* pervenire ad finem suum, *trahendo* [*inducendo*] *animam in suas fraudes occultas ac* perversas intentiones (6).

inde consolatio, *per eius* (proprios) *actus intellectus et voluntatis*, oriri in anima potuerit. - Innuitur id quidem in vulgata versione illis verbis: *eiusmodi* consolationem *causare* ex se; multo tamen clarius ex autographo exprimitur. - In versione vero antiqua *ms.* hoc loco habetur sequens citatio: *B. Thomas* 1. 2. *q.* 9, *art.* 6. et *q.* 10. *art.* 4., quibus locis Doctor Angelicus agit de motione voluntatis, movente Deo.

(5) *Ut crescat et ascendat de bono ad melius etc.* - Supponit S. P. hoc loco hominem, qui consolationem accipit, esse actu in bono statu; cui proin bonus Angelus consolationem ingerit, ut ad *meliora* proficiat, malus contra, ut ad *minus bonum*, vel etiam *ad malum* declinet.

(6) Haec quarta Regula summi est momenti, uti et quae proxime sequitur quinta, ne decipiamur specie boni et a vero bono divellamur. Nulla enim est virtus, ad quam ferri maiori studio animam aliquam contingat, quin daemon, id animadvertens, continuo tentet specie ipsius illius virtutis, sive per excessum, sive alio artificio, animam vexare, impedire, perdere. Cogita v. g. quam multos *zelus* indiscretus, quam multos devotio inordinata perdidit, vel certe impedivit, et perdit vel impedit quotidie, fallente scilicet daemone; cuius tamen fallacias anima vere *humilis* et praesertim *oboediens* facile vitabit. Parum enim proficit inimicus extrinsecus agens, nisi domesticus *amor proprius* in eadem ruina conspiret.

Quinta, sedulo et accurate excutiendae sunt cogitationes nostrae, circa principium, medium, et finem suum: quae tria si recte se habeant, Angeli boni argumentum est, cogitationes illas suggerentis; sin autem per discursum mentis aliquid offertur, vel sequitur, quod ex se malum sit, vel avocet a bono, vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quaerendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat, ac perturbet, sublata, quae prius aderat, quiete, pace, et tranquillitate; evidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationis eiusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostrae semper adversantem.

Quinta: debemus valde attendere ad discursum [*s. seriem*] *cogitationum; et si principium, medium et finis,* [*si, inquam, tria haec*] *sint* omnia bona, tendentia ad omne bonum [*s. ad id quod omnino bonum sit*] (7), *signum est boni Angeli; sed si in discursu* [*in serie*] *cogitationum, quae suggerit, desinat in rem aliquam malam, vel distractivam, vel minus bonam, quam ea quae animae prius sibi proposuerat facienda, vel ipsam* debilitet, vel *inquietam reddat,* vel *conturbet animam, auferendo illi suam pacem, tranquillitatem et quietem quam prius habebat, clarum signum est procedere* [*cogitationes illas*] *a malo spiritu, inimico nostri profectus* ac salutis aeternae (8).

Sexta, quoties contingit in aliqua suggestione deprehendi hostem ex cauda sua serpentina, id est fine malo, quem semper nobis insinuare studet: tunc plurimum iuvat, revolvere discursum totum, et notare, quid ab initio praetexuerit bonae cogitationis, et quomodo praecedentem spiritualis gustus suavitatem, animi serenitatem sensim amo-

Sexta: quando inimicus humanae naturae fuerit deprehensus et cognitus *ex cauda sua serpentina* et *fine malo, ad quem inducit, utile est ei, qui fuit ab eo tentatus, considerare postea discursum* [*sive seriem*] *bonarum cogitationum, quas sibi suggessit et principium illarum, et quomodo paulatim procuraverit ut ipsum* descendere [*excidere*] faceret *a sua-*

(7) *Sint omnia bona, tendentia ad id quod omnino bonum sit.* - *Omnia,* quae in principio, medio, et fine, diligenter discussis, deprehendantur et *bona sint* necesse est, et *nonnisi ad bonum inclinent.* Duo haec distincta sunt et per oppositum ex consequentibus clarius intelliguntur. Nota praesertim, signum mali spiritus esse, si cogitationes illae animam *inquietam* rddunt vel *conturbant.* Quantumvis ergo boni speciem habeant, inquietudo illa et conturbatio illas tibi saltem suspectas reddat.

(8) *Ac salutis aeternae.* - Ex autographo, periculum indicatur, non modo amittendae maioris perfectionis, verum etiam *salutis aeternae,* ubi ab illusionibus daemonis homo non caveat.

vere, ac venenum suum infundere tentarit: ut per huiusmodi experimentum cognitae illius fraudes, facilius deinceps caveantur.

vitate illa et laetitia spirituali, in qua erat, donec illum deduceret ad depravatam suam intentionem. *Ut istiusmodi experientia cognita* et notata, *caveat sibi in posterum ab eius consuetis fraudibus.*

Septima, eorum, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque spiritus diverso modo: bonus quidem leniter, placide, ac suaviter, sicut aquae stilla in spongiam illabens; malus vero duriter, implacide, et violenter, cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram; illis autem, qui in dies tendunt in deterius, oppositum prorsus usuvenit. Cuius sane diversitatis ratio est, quatenus Angelo utrilibet similis est vel dissimilis animae ipsius dispositio. Si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu et pulsu, qui facile adverti queat, ei se coniungit; si conformem vero, tamquam in propriam et apertam domum subit cum quiete.

Septima: in iis qui procedunt de bono in melius, bonus Angelus tangit talem animam dulciter, leviter et suaviter, ut gutta aquae, quae intrat in spongiam, et malus [*angelus*] *tangit* [*eam*] *acute et cum sonitu et inquietudine, ut quum aquae gutta decidit super petram; eos autem, qui procedunt de malo in peius, tangunt supradicti spiritus modo contrario. Cuius rei causa est, quod dispositio animae sit dictis Angelis contraria vel similis; quando enim est contraria,* intrat [*spiritus*] (9) *cum strepitu et sensationibus, ita ut percipi facile possit* [*eorum accessus*]; *quando autem est similis, intrat* [*spiritus*] *cum silentio, tamquam in propriam domum et aperta porta.*

Octava, quoties sine praevia ulla causa consolatio nobis adest, quamvis ei, tamquam divinitus immissae, ut supra dictum est, nihil fallaciae subesse possit, debemus tamen attente ac sollicite distinguere praesens consolationis tempus a proximo sequente, in quo anima fervet adhuc, et favoris divini nuper accepti sentit re-

Octava: quando consolatio est sine causa, licet ei non insit *fraus, cum a solo Deo Domino nostro* [*tunc*] *procedat, ut dictum est* [*reg.* 2.], *tamen* persona spiritualis, cui dat Deus talem consolationem, debet multa cum vigilantia *et attentione* considerare *ac discernere* proprium *tempus* actualis *eiusmodi consolationis*

(9) *Intrant* (spiritus). Quod hoc loco habet vulgata versio: *ei se coniungit,* plus dicere videtur, quam quod significandum est. Cum enim agatur solum de spiritus cuiusvis *motione,* si spiritus dicatus animae *se coniungere,* indicari videretur non *motio* tantum, sed etiam animae *consensus,* de quo quidem hic sermo non est.

liquias. Nam posteriore hoc tempore, frequenter accidit, ut vel ex habitu, discursu et iudicio proprio, vel ex boni aut mali spiritus instinctu, aliqua sentiamus, vel deliberemus, quae cum ab ipso Deo citra medium non emanent, solerti indigent discussione, priusquam recipiant assensum, vel in opus veniant.

a sequenti [*tempore*], *in quo anima remanet fervens et favorem* [*divinum*] *ac reliquias consolationis praeteritae etiamnum sentit; quia saepe in hoc secundo tempore per suum proprium discursum* ex habitibus [*suis*] *et* ex consequentiis [*habitorum*] conceptuum *et* iudiciorum [*vel ex iudiciis propriis*], *sive per bonum spiritum sive per malum, format* varia proposita *et* consilia, *quae non dantur immediate a Deo Domino nostro; ac proinde* valde bene discutiantur *necesse est, antequam iis* integer *assensus tribuatur et deducantur ad effectum.*

REGULAE NONNULLAE

in distribuendis eleemosynis servandae.

Prima, si quid erogare libeat in homines genere vel amicitia coniunctos, erga quos sentitur proclivior affectus, attendendae erunt regulae quatuor, quas ex parte, circa electiones commemoravimus. Earum itaque prima haec est, ut affectus erga tales meus, recta proveniat ex amore Dei: quem certe amorem debeo sentire in me, ut radicem esse et causam cuiuscumque meae affectionis erga cognatos et amicos omnes, ac operam dare, ut in hoc praesenti negotio praecipua ea ratio elucescat.

In Ministerio *distribuendi* (1) *eleemosynas debent servari sequentes regulae.*

Prima: si facio distributionem parentibus, vel amicis, vel personis, quas amo, quatuor [*ista*] *consideranda mihi erunt, de quibus dictum est ex parte in materia electionis. Primum est, ut* amor ille qui me movet, meque facit dare eleemosynam, descendat desursum *ex amore Dei Domini nostri; ita ut sentiam primum in me amorem, quem* plus minusve *habeo erga tales personas, esse propter Deum, et ut* in causa, ob quam eas magis amo, reluceat Deus.

(1) *In Ministerio distribuendi.* - Notatu valde dignus est hic loquendi modus S. P. N., quo eleemosynarum distributio *Ministerium* appellatur; ut proin, qui eas distribuunt, *ministros* se esse intelligant; quod cum generatim verissimum est, tum maxime ubi de reditibus Ecclesiasticorum beneficiorum distribuendis agitur.

Secunda, ut (*) considerem, si quis alter, cui parem mecum statum, seu perfectionis gradum optem, me consulat super negotio istiusmodi, quam ego illi erogationis faciendae dictaturus sim rationem. Hac igitur et me uti par est.

Tertia, ut cogitem, si mihi vitae nunc exitus instaret, quid in hac re egisse vellem potissimum. Ita ergo agendum in praesentia decernam.

Quarta, ut prospiciam similiter, quid mallem in die iudicii a me fuisse super his transactum: id quod et nunc citra dubium praeeligam.

Quinta, ut quoties ad personas, mihi humano aliquo vinculo coniunctas, affectum

Secunda: volo proponere mihi hominem aliquem, quem numquam viderim, neque cognoverim; et cum [*s. posito quod*] *ego desiderem omnem eius perfectionem* in *ministerio et statu quem habet, eo modo quo vellem eum tenere* medium *in suo modo distribuendi* [*eleemosynas*], *ad maiorem gloriam Dei Domini nostri et maiorem perfectionem animae suae; eo ipso modo ego faciens,* nec plus nec minus, *servabo* regulam et mensuram, *quam alteri vellem, et* [*quam*] iudico esse talem, [*qualis convenit maiori Dei gloriae et animae perfectioni*].

Tertia: volo considerare, ac si essem in articulo mortis, formam et mensuram, *quam tunc vellem tenuisse in officio meae administrationis; et iuxta illam* [*formam et mensuram*] *me dirigendo, eam servare in actibus meae distributionis.*

Quarta: considerando qualem me inventurus sim [*quo animo sim futurus*] *in die Iudicii, cogitare* bene *quomodo tunc optaturus sim me usum esse* hoc officio et munere ministerii huius; *et regulam, quam tunc optarem tenuisse, eamdem nunc tenere.*

Quinta: quando quis sentit se inclinatum et affectum erga aliquas personas, quibus

(*) *In secunda Regula pro distribuendis eleemosynis.* Secunda, ut considerem, etc. *usque ad finem. Haec Regula in autographo sic habetur.* Secunda, ut considerem, si quis alter esset mihi plane ignotus, cui tamen pro hoc ministerio, et ipsius statu omnem perfectionis gradum exoptem, quam ego illum in hac distributione ratione sequi vellem ad maiorem Dei gloriam, et animae suae perfectionem, hac ipsa eadem mihi utendum esse.

meum sentio magis inclinare, regulas quatuor praedictas sedulo expendam, et iuxta eas examinem affectum; nihil de eleemosyna, seu distributione facienda cogitans, donec ab animo, si quid non rectum inest, removero.

vult distribuere, se detineat [*s. exspectet*] *ac ruminet bene quatuor regulas supradictas, examinando et* probando suam *affectionem ope illarum* [*regularum*] (2); neque det eleemosynam, *donec* conformiter ad illas [*regulas*] *suam inordinatam affectionem* omnino *removerit et* abiecerit.

Sexta, quamvis facultates divino cultui, et usui Ecclesiastico dicatae, citra culpam assumi possint distribuendae ab eo, qui ad hoc ministerium sit vocatus, cum tamen plurimis, in determinando propriis suis sumptibus iusta portione, soleat de excessu scrupulus incidere, operae pretium est, iuxta regulas superiores, vitae suae statum recte disponere.

Sexta: quamvis nulla sit culpa in assumendis bonis Dei Domini nostri *ad ea distribuenda, quando quis vocatus est a* Deo et Domino nostro *ad* tale *ministerium, tamen* in [*determinanda*] *quantitate, quam debet sumere et applicare sibi ipsi, ex iis* quae habet ut det aliis, dubium [*timor*] *est de* culpa *et exesssu; proinde* [*qui in eiusmodi est ministerio*] reformare se *potest in vita sua et statu per regulas supradictas.*

Septima, propter rationes dictas, et alias plerasque in administrandis iis, quae ad propriam personam, conditionem, domum aut familiam pertinent, optimum ac securissimum est unicuique, distributionis curam subeunti, ut suae subtrahat commoditati quantum potest, ac se ipsum proxime conformet ad exemplar Domini nostri Iesu Christi summi Pontificis; quandoquidem in tertio etiam Carthaginensi Concilio, in quo interfuit S. Augustinus, decretum fuit, suppellectilem Episcopi

Septima: propter rationes iam dictas et alias multas, semper [*tanto*] *melius est et securius in eo, quod ad propriam personam et statum domus* [*v. familiae*] *pertinet, quanto magis se* [*quis*] *restrinxerit et* [*sibi*] *diminuerit, et quanto propius accesserit ad summum* nostrum *Pontificem, exemplar et* regulam nostram, qui est *Christus Dominus noster; iuxta quam doctrinam tertium Concilium Carthaginense* (*cui interfuit S. Augustinus*) *decernit et* mandat, *ut suppellex Episcopi*

(2) *Ope illarum* (*regularum*) - hisp. *con ellas,* posset etiam referri ad personas, ita ut sensus sit: *probando affectionem suam erga illas personas,* scil. an purus sit et bene ordinatus ille affectus.

vilem ac pauperem debere esse. Hoc idem in quolibet statu seu vitae genere provideri convenit, habita interim ratione personarum, et statuum ipsorum: sicut in matrimonio exemplum praebent S. Ioachimus et S. Anna, qui divisis per annos singulos facultatibus suis in tres partes, pauperibus unam erogabant, alteram dicabant in Templi et divini cultus ministerium, tertiam postremo necessitati suae reservabant.

sit *vilis et pauper. Idem debet considerari in omnibus vivendi modis* [*s. statibus*], *habita ratione conditionis et status personarum* servataque proportione; *quemadmodum in matrimonio habemus exemplum Sancti Ioachim et Sanctae Annae, qui dividentes facultates suas* [*s. reditus*] *in tres partes, primam dabant pauperibus, secundam ministerio et servitio Templi, tertiam sumebant ad* sustentationem *suam et* suae familiae.

Quaedam notatu digna de scrupulis, quos animae daemon iniicit, dignoscendis.

Ad sentiendos *et dignoscendos scrupulos et* suasiones *inimici nostri, iuvant notae sequentes.*

Primum, vulgo scrupulum appellant, quando ex proprio liberi arbitrii motu et iudicio, aliquid concludimus peccatum esse, cum peccatum non sit: veluti si quis animadvertens se crucem, ex paleis humi figuratam, in transitu calcasse, crimini sibi vertat. Hoc autem non scrupulus proprie, sed iudicium potius erroneum vocari debet.

Prima: appellant vulgo scrupulum, illud quod procedit ex nostro proprio iudicio et libertate: scilicet, quando ego libere iudico [*mihi formo iudicium*] *esse peccatum, quod peccatum non est; sicut accidit, ut aliquis, postquam calcavit incidenter crucem ex paleis* [*formatam*], iudicet suo proprio iudicio *se peccasse. Atque hoc est proprie iudicium erroneum, non verus scrupulus.*

Secundum, scrupulus proprie dicendus est, quoties post calcatam crucem eiusmodi, vel post cogitationem, loquelam, aut operationem aliquam, oboritur nobis extrinsecus peccati admissi suspicio. Et quamvis altera ex parte veniat in mentem, nos minime peccasse, ambiguitatem tamen quamdam, atque animi perturbationem

Secunda: postquam calcavi illam crucem, vel postquam cogitavi, vel dixi, vel feci aliquid aliud, venit mihi extrinsecus cogitatio, me peccasse, et ex altera parte mihi videtur quod non peccaverim; tamen *sentio in hoc turbationem, scilicet,* in quantum dubito [*s. timeo de peccato*], et in quantum non dubito: *istud*

sentimus, a daemone videlicet obtrusam.

Tertium, prior scrupoli species, improprie sic dicti, prorsus abhorrenda est ut erroris plena. Posterior vero, per tempus aliquod (dum praesertim recens est vitae melioris institutio), animam rebus spiritualibus vacantem non parum iuvat; cum eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, iuxta illud Divi Gregorii: *Bonarum mentium est, ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.*

Quartum, callide observare solet inimicus, qualisnam sit animae cuiusvis conscientia, crassiorne an delicatior: et si quam invenit delicatam, multo quoque delicatiorem efficere nititur, et in extremum quemdam redigere anxietatis gradum, ut sic misere turbatam, a profectu spirituali tandem deiiciat. Puta, si animam noverit, quae peccato nulli consentiat, mortali, sive veniali, immo ne umbram quidem (ut sic dicamus) voluntarii peccati sustinere queat; tunc, quoniam non potest veram peccati rationem illi obiicere, eo satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat, quod revera non est; cuiusmodi est, de verbo aliquo, vel cogitatiuncula repentina. Crassam e diverso animam, seu conscientiam, reddere crassiorem studet, ut quae ne-

est poprie scrupulus, et tentatio *quam inimicus ingerit.*

Tertia: primus ille scrupulus primae notae est valde abhorrendus, quia totus *est error; sed secundus notae secundae, per aliquod spatium temporis, non parum prodest animae,* quae se dat *spiritua*libus *exercitiis;* immo *magnopere purgat* et mundat *talem animam,* separando illam valde *ab omni specie* [*apparentia*] *peccati, iuxta illud Gregorii:* Bonarum mentium est, ibi culpam cognoscere ubi culpa nulla est.

Quarta: inimicus valde observat sitne anima crassa, *an* delicata: *et si est delicata, procurat illam reddere magis delicatam* ad extremum usque, *quo facilius eam turbet ac* profliget (1) [*confundat*]; *v. g. si videt animam aliquam non admittere in se peccatum,* [*nec*] *mortale nec veniale, nec speciem* [*apparentiam*] *ullam peccati deliberati, tunc inimicus, cum non possit efficere ut illa cadat in aliquid quod speciem habeat peccati, procurat efficere ut ipsa* iudicet [*esse*] *peccatum, ubi peccatum non est; ut in aliquo verbo, vel cogitatione* minima. *Si anima est crassa, inimicus procurat illam reddere magis crassam; v. g. si prius nihili faciebat peccata venialia, procurabit ut* [*iam*] *mortalia parvi pendat, et* si prius [*pecca-*

(1) *Profliget* (confundat). Verbum hispanicum *desbaratar,* bellicum est, et confusionem illam ac perturbationem exprimit, quae solet accidere, cum exercitus ab hoste victore *funditur.*

gligebat prius venialia peccata, mortalia quoque nunc parum curet, ac in dies minus respiciat.

Quintum, ut anima progredi valeat in via spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem; aut relaxet contra, si daemon nimium velit restringere. Sic enim continget, vitatis extremae utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto et securo statu iugiter manere.

Sexta, quotiescumque homini, dicere aut agere aliquid volenti, quod ab Ecclesiae usu, vel Maiorum nostrorum sensu non dissonat, quodque tendit in Dei gloriam, obviat extrinsecus suggestio dissuadens, ne dicat aut agat illud propositum, adducta vel vanae gloriae, vel mali alterius cuiusvis fucata quadam ratione, tunc ad Deum elevanda mens est: sique appareat, ad eius gloriam spectare dictum aut factum eiusmodi, vel certe contrarium non esse, tendendum recta erit adversus talem cogitationem, atque obstrepenti

ta] *curabat aliquantum*, [*procurabit*] *ut* [*ea*] *nunc* multo minus *vel* omnino non *curet.*

Quinta: anima quae desiderat *proficere in vita spirituali,* semper *debet procedere modo contrario* [*ei*], *quo procedit inimicus; scilicet, si inimicus tentat crassiorem reddere animam,* [*ipsa*] *procuret reddere se delicatiorem; similiter, si inimicus procurat ipsam attenuare* [*delicatiorem reddere*] *ut* in extremum *deducat, anima procuret* solide se firmare in medio (2), *ut omnino quietam se reddat.*

Sexta: quando talis anima bona *vult dicere, vel operari aliquid intra Ecclesiam, intra intelligentiam Maiorum nostrorum, quod sit in gloriam Dei Domini nostri, et venit* [*ingruit*] *ipsi cogitatio aliqua,* vel tentatio extrinsecus, *ut ne dicat neve operetur illud, adducendo ei* rationes apparentes *vanae gloriae, vel alterius* [*mali*] etc., *tunc* debet *elevare mentem ad* suum Creatorem *et* Dominum; *et si videat* [*illud*]*esse eius debiti servitii, vel saltem non* [*esse*] *contra* [*eius obsequium*], *debet* facere [*procedere*] per diametrum [*recta*]

(2) *Solide se firmare in medio.* - Ita ex autographo; ubi notatu dignum est, non poni a S. Patre, quod in vulgata versione legitur: *relaxet contra.* Licet enim hoc videatur sequi ex generali propositione S. P. in initio huius Regulae, tamen id hoc loco in applicatione eiusdem Regulae non dicit; sed potius vult animam, quam daemon in anxietates coniicere tentat, *in medio* firmiter ac *solide* consistere. - Et vero, qui *relaxat* conscientiam, cum eam *daemon* quaerit *nimium restringere,* si ultra *medium* in ea relaxanda se dissolvat, gravissimum incurrit periculum, ne in illud ipsum malum impingat, quo inimicus eam per illas ipsas angustias conatur tandem pertrahere; id quod etiam tristis plurimorum scrupulosorum comprobat experientia.

nobis inimico respondendum cum Divo Bernardo: *Nec propter te coepi, nec propter te finiam.*

contra illam tentationem, iuxta Bernardum eidem respondentem: Nec propter te incepi, nec propter te finiam.

REGULAE ALIQUOT *AD SENTIENDUM*

Servandae, ut cum orthodoxa Ecclesia sentiamus.

vere, sicut debemus. *in Ecclesia Militante, serventur regulae sequentes.*

Prima, sublato proprio omni iudicio, tenendus est semper paratus promptusque animus, ad obediendum verae Christi Sponsae, ac sanctae Matri nostrae, quae est orthodoxa, catholica, et hierarchica Ecclesia.

Prima: deposito omni iudicio [proprio], debemus tenere animum paratum et promptum ab oboediendum in omnibus verae Sponsae Christi Domini nostri, *quae est nostra sancta Mater Ecclesia Hierarchica* (1).

Secunda, laudare convenit solitam fieri Sacerdoti confessionem peccatorum, et Eucharistiae sacrae sumptionem annuam ut minimum, cum sit laudabilius octavo quoque die, aut semel saltem in mense quolibet, servatis interim conditionibus debitis, Sacramentum ipsum suscipere.

Secunda: laudare [commendare] confessionem, [quae fit] Sacerdoti, et susceptionem sanctissimi Sacramenti semel in anno, et multo magis *quovis mense, et* multo melius *octavo quoque die, cum conditionibus requisitis ac debitis.*

Tertia, commendare Christi fidelibus, ut frequenter ac devote Missae sacrum seu sacrificium audiant: item cantus Ecclesiasticos, psalmos et prolixas preces, in Templis vel extra Templa recitandas, tempora etiam probare determinata officiis divinis et precationibus quibuscumque, ut sunt quas vocamus Horas canonicas.

Tertia: laudare [commendare] Missae auditionem frequentem; *item cantus, psalmos et longas orationes in Templo et extra illud; item [laudare] horas ordinatas tempore destinato ad omne officium divinum, et ad omnem orationem et omnes Horas canonicas.*

(1) *Quae est nostra sancta Mater Ecclesia Hierarchica.* - Antiqua versio *ms.* qua, ut saepe memoravimus, S. P. N. usus est, ita habet: *Haec autem est sancta Mater Ecclesia Hierarchica quae Romana est.*

Quarta, laudare plurimum Religionum status, atque coelibatum seu virginitatem matrimonio praeferre.

Quarta: laudare multum Religiones, virginitatem et continentiam, et non adeo [*non tantum laudare*] *matrimonium,* quantum ullum ex istis [praedictis statibus].

Quinta, comprobare vota Religiosorum de servanda castitate, paupertate, obedientiaque perpetua, cum aliis perfectionis et supererogationis operibus. Ubi obiter notandum est, quod cum voti ratio ad ea pertineat, quae ad perfectionem ducunt vitae christianae; de aliis, quae ab ipsa perfectione potius avertunt, ut de negotiatione, vel matrimonio, votum numquam emittendum sit.

Quinta: laudare vota Religionis, obedientiae, paupertatis, castitatis et aliarum perfectionum supererogationis. Et advertendum est, quod cum votum sit circa res quae propius accedunt [*attingunt*] *ad perfectionem Evangelicam, in iis quae ab illa elongantur* [*recedunt*], *non debet fieri votum, v. g. de negotiatione exercenda, vel de matrimonio ineundo* etc.

Sexta, laudare praeterea reliquias, venerationem et invocationem Sanctorum: item stationes, peregrinationesque pias, indulgentias, iubilaea, candelas in Templis accendi solitas, et reliqua huiusmodi pietatis ac devotionis nostrae adminicula.

Sexta: laudare reliquias Sanctorum, *praestando illis* [*reliquiis*] *venerationem, et faciendo orationem ad illos* [*Sanctos*]*; laudando stationes, peregrinationes, indulgentias, iubilaea,* cruciatas, *et candelas accensas in Ecclesiis.*

Septima, extollere abstinentiae ac ieiuniorum usum, ut quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, sextae feriae, sabbati, aliorumque pro devotione susceptorum; item spontaneas afflictiones sui, quas poenitentias dicimus, non internas solum, sed etiam externas.

Septima: laudare statuta [*Ecclesiae*] *circa ieiunia et abstinentias, ut quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum, feriae sextae et sabbati; item poenitentias, non solum internas, sed etiam externas.*

Octava, laudare insuper Templorum exstructiones, atque ornamenta, nec non imagines, tamquam propter id quod repraesentant, iure optimo venerandas.

Octava: laudare ornamenta, et aedificia Ecclesiarum, item imagines, easque venerari secundum *id quod repraesentant.*

Nona, confirmare maxime omnia Ecclesiae praecepta,

Nona: laudare denique *omnia praecepta Ecclesiae,* ani-

nec impugnare ullo modo; sed contra impugnantes quaesitis undique rationibus prompte defendere.

Decima, Patrum etiam, seu Superiorum decreta, mandata, traditiones, ritus, et mores studiose probare. Licet autem non reperiatur ubique ea, quae deberet esse, morum integritas; si quis tamen, vel in publica concione, vel in populari commercio, ipsis obloquitur, generat potius damna et scandala, quam aliquid afferat remedi aut utilitatis; cum nihil aliud sequatur, nisi exasperatio et obtrectatio populi adversus Principes et Pastores suos. Temperandum est igitur ab isto invectivarum genere. Verumtamen, sicut damnosum est, Primates ipsos absentes apud populum allatrare, atque proscindere; ita rursus privatim admonere eos, qui si velint, mederi huic malo possunt, operae pretium videtur fore.

Undecima, doctrinam sacram plurimi facere, tum eam, quae Positiva dici solet, tum quae Scholastica. Sicut enim sanctis Doctoribus antiquis Hieronymo, Augustino, Gregorio, et consimilibus, scopus fuit, ad amorem et cultum Dei amplectendum, animos movere: ita peculiare est B. Thomae, Bonaventurae, Magistro Sententiarum, et aliis recentioribus Theologis, dogmata ad salutem necessaria exactius tradere, atque definire, prout convenit suis temporibus, et

mum gerendo promptum *ad quaerendas rationes in eius* [*v. eorum*] *defensionem, et nullo modo in eius* [*v. eorum*] *impugnationem.*

Decima: debemus esse magis prompti *ad probandum* et laudandum *tam statuta, commendationes, quam mores nostrorum Maiorum* [*i. e. Superiorum, quam ad reprehendendum*]*; quia etiamsi aliquando ea non sint,* vel non essent *talia* [*i. e. quae laude digna sint, tamen*] *loqui contra illa, sive praedicando in publico, sive* sermonem habendo *coram personis vulgaribus* [*ex vulgo*], *generaret potius murmurationes et scandalum, quam utilitatem; atque ita indignaretur populus contra Maiores suos, sive temporales, sive spirituales. Itaque* [*v. verumtamen*] *sicut damnosum est, male loqui ad plebem de Maioribus absentibus; ita* potest utile esse *loqui de malis* [*eorum*] *moribus ad illas ipsas personas, quae possunt iis remedium adferre.*

Undecima: laudare *doctrinam Positivam et Scholasticam; quia sicut* magis proprium *est Doctorum* Positivorum, *ut Sancti Hieronymi, S. Augustini et S. Gregorii etc. movere affectus ad amandum* in omnibus [*omnino*] *Deum Dominum nostrum, eique serviendum; ita est* magis proprium *Scholasticorum, ut S. Thomae, S. Bonaventurae et Magistri Sententiarum etc., res ad salutem aeternam necessarias definire* vel declarare *pro nostris temporibus, et ad ma-*

posteris, ad errores haeresum confutandos. Siquidem Doctores huiusmodi, ut sunt tempore posteriores, non solum Scripturae sacrae intelligentia praediti sunt, et veterum auctorum iuvantur scriptis, sed etiam cum influxu divini luminis, Conciliorum sanctionibus, decretis, et variis Ecclesiae sanctae constitutionibus, ad salutis nostrae subsidium feliciter utuntur.

Duodecima, culpabilis est ac vitanda hominum, qui adhuc in terra vivunt (quantumvis laudabilium), comparatio cum Sanctis et Beatis, dicendo: iste est doctior S. Augustino, ille est alter S. Franciscus, aequalis est Paulo sanctitate, aut aliqua virtute, non est inferior, etc.

Decima tertia, denique ut ipsi Ecclesiae Catholicae omnino unanimes, conformesque simus, si quid, quod oculis nostris apparet album, nigrum illa esse definierit, debemus itidem, quod nigrum sit pronuntiare. Indubitate namque credendum est, eumdem esse Domini nostri Iesu Christi et Ecclesiae orthodoxae, Sponsae eius, spiritum, per quem gubernamur ac dirigimur ad salutem; neque alium esse Deum, qui olim tradidit Decalogi praecepta, et qui nunc temporis Ecclesiam Hierarchicam instruit atque regit.

Decima quarta, advertendum quoque est, quamquam verissimum sit, nemini contingere salutem, nisi praedesti-

gis impugnandum et declarandum *omnes errores et omnes* fallacias; *quia Doctores Scholastici, cum sint recentiores, non solum proficiunt* [*fructuose utuntur*] *vera intelligentia sacrae Scripturae, et Positivorum ac sanctorum Doctorum* [*scripsit*], *sed etiam ipsi illuminati cum sint, et illustrati virtute divina, iuvantur* [*auxilium sumunt*] *a Conciliis, canonibus et constitutionibus sanctae nostrae Matris Ecclesiae.*

Duodecima: debemus cavere a faciendis comparationibus inter nos qui adhuc vivimus et Beatos vita functos, quandoquidem non parum in hoc erratur, *v. g. cum dicitur: iste plus scit quam S. Augustinus; est alter vel maior quam S. Franciscus; est alter S. Paulus virtute, sanctitate, etc.*

Decima tertia: ut in omnibus veritatem assequamur [*ne in ulla re erremus*], *debemus* semper [*fixum*] *tenere, ut album* quod ego video, credam *esse nigrum, si Ecclesiae Hierarchica ita illud* [*esse*] *definiat, credendo inter Christum Dominum nostrum, Sponsum, et Ecclesiam eius Sponsam, eumdem esse spiritum, qui nos gubernat et regit ad salutem animarum nostrarum; quia per eumdem spiritum et Dominum nostrum, qui dedit decem mandata, regitur et gubernatur* sancta nostra Mater *Ecclesia.*

Decima quarta: licet verissimum sit, neminem posse salvari, quin *sit praedestinatus* et quin habeat fidem et

nato; circumspecte tamen super hoc loquendum esse, ne forte gratiam seu praedestinationem Dei nimis extendentes, liberi arbitrii vires, et operum bonorum merita excludere velle videamur; vel e converso, ne plus aequo hisce tribuentes, illis interim derogemus.

gratiam; [*tamen*] *valde attendendum est in modo loquendi et disserendi de his omnibus* (2).

Decima quinta, similem ob causam frequens de praedestinatione sermo habendus non est; sique incidat nonnumquam, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occasio erroris, ac dicendi: si de salute mea, vel damnatione iam definitum est, sive male, sive bene agam, aliter evenire non potest; unde solent multi opera bona negligere et alia subsidia salutis.

Decima quinta: non debemus loqui multum de praedestinatione per modum consuetudinis (3); *sed si* aliquo modo *et* interdum *sermo de illa habebitur, ita habeatur, ut plebs non veniat in errorem aliquem, ut quandoque solet, dicendo: si debeo salvari vel damnari, iam determinatum est, et propter mea bona vel mala opera iam non potest aliud evenire; et inde torpescentes negligunt opera, quae conducunt ad salutem,* et profectum spiritualem animarum suarum.

Decima sexta, accidit etiam non raro, ut ex immodica fidei praedicatione aut explicatione nulla, ansam arripiat populus terpescendi circa bona quaelibet opera, quae fidem praeeunt aut sequuntur charitatis nexu efformatam.

Decima sexta: eadem ratione advertendum est, ne multum loquendo de fide et cum multa intensione, *sine ulla distinctione et declaratione,* occasio detur *plebi torpescendi et* pigritandi *in operando, sive ante fidem charitate formatam, sive post.*

Decima septima, neque itidem praedicandae gratiae Dei usque adeo insistentum fuerit,

Decima septima: item non debemus loqui tam copiose insistendo tantopere gratiae,

(2) *De his omnibus.* - Nil aliud habetur in autographo hispanico. In antiqua tamen versione *ms.* leguntur addita verba, quae sequuntur: *ne dum plurimum praedestinationi et gratiae tribuamus, vires et conatus liberi arbitrii infringamus; vel dum nimium extollimus liberi arbitrii vires, gratiae Jesu Christi derogemus.*

(3) *Per modum consuetudinis.* - Posset fortasse verti: *ordinarie.* Ceterum antiqua versio *ms.* ita habet: *ex usu et consuetudine.*

ut serpere inde possit auditorum animis lethalis error, negata liberi arbitrii nostri facultate. De gratia ergo ipsa diffuse quidem loqui fas est, Deo aspirante, sed quatenus in gloriam eius uberiorem redundat, idque iuxta modum convenientem, nostris praesertim temporibus, tam periculosis; ne et liberi arbitrii usus, et operum bonorum efficacia tollatur.

Decima octava, quamvis summe laudabile sit atque utile, ex dilectione pura inservire Deo, nihilominus tamen valde commendandus est Maiestatis divinae timor. Neque porro is timor solum, quem filialem appellamus, qui pius est ac sanctus maxime; verum etiam alter, servilis dictus. Quippe qui homini utilis est admodum, et saepenumero necessarius, ut a mortali peccato, quando incidere contingit, resurgere prompte studeamus; a quo dum erimus immunes atque alieni, facilius patebit ascensus ad timorem illum filialem Deo penitus acceptum, qui nobis cum ipso Deo unionem amoris praestat et conservat.

ut generetur venenum [*falsum dictamen*] quo tollatur libertas. *Itaque* de fide et *gratiae potest sermo haberi* quantum fieri potest, *cum auxilio divino, ad maiorem laudem* divinae suae Maiestatis, *sed non ita,* neque iis modis, *maxime in nostris temporibus tam periculosis, ut opera et liberum arbitrium* capiant detrimentum aliquod vel pro nihilo habeantur.

Decima octava: licet super omnia aestimandum *sit servire* multum *Deo Domino nostro ex puro amore,* [*tamen*] *debemus multum laudare timorem suae divinae Maiestatis; quia non solum timor filialis est res pia et* sanctissima, *sed etiam timor servilis, ubi* [*si*] quid aliud melius et utilius homo non assequatur, *iuvat multum ad* emergendum *e peccato mortali; et postquam ex hoc emersit* [*quis*], *facile pervenit ad timorem filialem, qui totus* [*s. omnino*] *acceptus et gratus est Deo Domino nostro, quia est* simul [*inseparabiliter coniunctus*] cum amore Divino.

FINIS

NOTA

In antiqua versione *ms.* sic legitur hoc loco: *Laus Deo. Scripta fuerunt ista Exercitia Anno Domini* 1541. *Die nono Iulii, Romae.* Ex quo patet, cum versio ista *ms.* hispanico autographo, quale nunc habemus, omnino respondeat, iam illo anno, probabiliter vero etiam multo ante, Exercitia Sancti Patris eadem omnino fuisse, eademque mansisse semper, nullo verbo addito, nullo mutato.

MYSTERIA VITAE D. N. IESU CHRISTI

Absoluta Exercitiorum Spiritualium conversione Servus Dei de commentandis Mysteriis Vitae Domini Nostri Iesu Christi cogitavit. Quem laborem incepit tantummodo, non autem perfecit. Pauca quae supersunt fragmenta a. 1891 Hagae Comitis typis Th. ten Hagen in lucem edita sunt.

Manuscriptum Romae in Archivo Postul. Gen. S. I. conservatur.

Mysteria Vitae Christi Domini Nostri, prout in libro Exercitiorum a S. Patre Nostro posita sunt, multi queruntur ieiuna nimis esse, quam ut sibi usui esse possint; cum tamen constet primis Societatis temporibus non alium fere fuisse plerisque nostris librum, ex quo meditationis quotidianae materiem sumerent; et quam fructuose id facerent, ex ipsorum vitis rebusque gestis patet. Gaspar quidem Barzaeus, magnus ille magni Xaverii discipulus et socius et aemulus, ex tanti Magistri praescripto in hisce Mysteriis eo ordine, quo in Libro S. P. habentur, quotidie meditandis ita versabatur ut, cum ea semel decurrisset, a capite ad calcem usque et usque eadem ex ordine repeteret, non modo sine satietate aut fastidio, sed novo semper gustu et fructu scilicet copiosissimo, ad animae suae et proximorum salutem ac perfectionem.

Equidem non dubito, quin Spiritus sancti unctio illos Patres nostros uberius docuerit de omnibus, quam ut ab unoquoque nostrum eadem luminis copia vel..... (1).

Annuntiatio.

1. Genus humanum sine redemptionis beneficio, vere *massa damnata!* Quales vero homines etiamnunc, illi qui redemptionis beneficium respuunt! Qualis ego essem sine hac tanta gratia!

1. *Angelus Gabriel.* Angelica natura quam perfecta, non ulli affectui inordinato ... non invidiae quod creaturae natura inferiori ... Nec ceteri Angeli aut depressam suam dignitatem existimant aut honorificentissimam legationem Gabrieli invident, quia omnes omnia in *DEO.* Fiat voluntas tua *sicut in caelo.* Quam aemulanda angelica rectitudo, simplicitas, oboedienta, amor voluntatis divinae!

2. *Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph* (mundo non cognito) *de domo David* (nobilitas

(1) Cetera desiderantur. Mens autem auctoris intellegitur ex iis, quae in Epistola *De studio et usu Exercitiorum Spiritualium* scripsit: « Sed si nobis *centesimum* ferre fructum, ut Patribus nostris, datum non est, num *trigesimo...* contentis esse nobis licet, cum fortasse *sexagesimum* ferre daretur, si conatum intenderemus? »

in paupertate) *et nomen Virginis Maria,* per quam salus mundi credentibus apparuit. Paupertas et humilitas, ... sed petenda non tam *virtus* paupertatis et humilitatis quam *effectus* paupertatis et *humiliationes.*

3. *Ingressus Angelus ad eam .....* Debebat Virgo SS. assuevisse visitationi Angelorum, quia non eius aspectus sed eius sermo terruit ac turbavit eam. *Ave* etc.

4. Quae *cum audisset, turbata est et cogitabat* tacens, prudentissime vel prae humilitate, quod laudari se audiret, vel virginitatis amore, cum audiret: *benedicta tu in mulieribus.*

5. *Ne timeas, Maria,* proprium boni Angeli; *invenisti enim gratiam apud DEUM.* Solida consolatio et securitas. Nobis vero: *nescit homo utrum amore an odio dignus sit.*

6. *Ecce,* miranda, imitanda, *concipies filium et vocabis nomen eius Iesum.* In hoc nomine et officio Salvatoris continetur quidquid hic filius, et in filio Mater, laborum, aerumnarum, dolorum, ignominiae, perpeti debebant, ut opus salutis humani generis compleretur. *Hic erit magnus* ... O magne DEI Fili, quid tibi debeo quod talis ac tantus cum sis, *Iesus* esse meus volueris, atque pro salute mea pati tanta, quanta utique a me non petis ut salvem ipse animam *meam.* Heu quanto minora sunt, quae a me postulas! — Et quis ego? quis tu, magne Fili Altissimi!

7. *Quomodo fiet istud ... ?* Non est sollicita de laboribus et aerumnis, sed solum quomodo id componi possit cum promissa DEO virginitate. En *sola* iusta causa sollicitudinis.

Non erit impossibile apud DEUM *omne verbum.*

Ecce ancilla Domini ... Ita in angustiis, in curis meis cogitandum. *Quomodo? apud* DEUM. Ergo, ecce servus Domini, *fiat!*

8. *Et Verbum caro factum est. Verbum — caro, DEUS — homo!* Summis ima, terrena caelestibus, humana divinis iunguntur! O Verbum incarnatum pro me! Ita incipit seriem illam humiliationum, aerumnarum etc. *In capite libri scriptum* ... DEUS *meus, volui.*

9. *Verbum caro factum.* Prima est *humilitatis* exercitatio, *primum* humani generis remedium. *Abscondit* thesauros sapientiae et scientiae, et potentiam etc. et ipsam assumit infirmitatem et infantiam et hanc solam *ostendet.* Ego contra, si quid boni, *ostendo,* quidquid est imperfectionis *celatum* cupio!

10. *Verbum caro factum est.* Quid Pater aeternus? Quomodo Filium respicit hominem factum? quomodo homines propter ipsum? *Protector noster aspice Deus et respice.*

11. *Verbum caro factum.* Quid Virgo SS? Humilitatis et resignationis affectus excipit gaudium inexplicabile, et

nova humilitatis exercitatio et desiderium videndi Eum quem amat amore *naturali* patris simul et matris, et *supernaturali* ut DEUM! Praesens humiliatio et consolatio se continuo excipiunt. Et hoc imitandum.

Humilia te in omnibus. In miseriis *humilia te* et consolabitur Deus et in consolatione *humilia te.*

Unde hoc mihi? Et ita semper perpetua vicissitudine *humilia te* in *omnibus.* B. V. humiliando se exsultat, et exsultabunda se humiliat.

12. *Verbum caro factum.* Quid nos? Admirari, adorare, amare, *imitari.*

Visitatio Elisabeth

1. *Exsurgens* etc. Quanta vis inspirationis divinae et B. V. oboedientia! Virgo solitudinis amans, remota a publico ... Omnis repugnantia mihi generose vincenda, ubi Deus loquitur. Inspiratio rara, vel non advertitur. Loquere, Domine! Quae autem dura videtur exigere, tamen ad *pacem* vocant et laetitiam, ut hic B. V. contigit.

2. *Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth* ... Miracula quanta! *Benedicta tu* ...

3. B. V. respondet tota in Deum rapta: *Magnificat, fecit mihi magna ... et misericordia eius a progenie. Magna* in Maria, nobis *misericordia ... recordatus misericordiae.* Per tot saecula videbatur veluti oblitus populi sui. *Usquequo Domine, obliivisceris inopiae nostrae?*

De Nativitate.

1. *Iter.* Maria et Ioseph in tantis itineris laboribus an conquesti sunt? an de illo Caesaris decreto murmurarunt? Non certe. Silentio et patientia et pacifica resignatione adorarunt divinam ordinationem. Et post 30 annos Scribae adhuc: *an licet tributum dare Caesari?* Sophistae.

2. *In Bethlehem. Non erat eis locus,* non propterea murmurarunt. Sed neque indicarunt grande mysterium quod in B. V. explebatur. *Humile silentium.* Ioseph, cui dictum fuerat ab angelo: *salvum faciet populum suum,* tacet, tacet. ...

3. *Et cum essent ibi, impleti sunt dies, ... et peperit ... et involvit ... et reclinavit in praesepio* ... Sensa personarum.

De Pastoribus.

1. Pastores *simplices, pauperes, laboriosi, vigilantes.*

2. Angelus: *natus est vobis Salvator qui est Christus Dominus. Dominus,* Christi nomen et dignitas, quem Pater

constituit heredem universorum per quem fecit et saecula. Quomodo nunc *puer?* Sed est post hunc ordinem rerum alter rerum ordo; ita consideranda omnia quae fiunt in hac vita et transeunt. *Universa vanitas omnis homo vivens.*

De Circumcisione.

De tribus Magis Regibus.

1. *Cum natus esset Iesus in Bethlehem ecce, magi ab Oriente.* Quam merito: *Ecce* Iesus infans in *Bethlehem* natus, in *Oriente* stella se manifestat. Vere *Dominus universorum* i. e. totius universi. Quam merito iubemur Christum Dominum habere rerum omnium loco.

2. *Magi ab Oriente.* Quam admirabilis gratiae vis et Magorum oboedientia. Visa stella *intelligere, velle, exsequi* tam ardua, periculosa, heroica fortitudine. *Tua, Domine, gratia semper et praeveniat et sequatur!*

3. Herodes, mala conscientia, falsitas, simulatio, caecitas, crudelitas.

4. Magi *gavisi gaudio magno valde,* effectus boni spiritus.

5. *Procidentes adoraverunt. Adoro te devote, latens Deitas, quae sub hisce pannis vere latitas, tibi se cor meum totum subiicit.* B. Virgo, *Beata quae credidisti. Benedicta tu...* Et illa repetiit sensa illa: *Magnificat.*

De fuga in Aegyptum.

Ioseph, non pater, sed putativus; itaque amor paternus non naturalis, sed totus supernaturalis. Eius oboedientia talis qualem nobis praescribunt regulae: *integra, prompta, alacris, sine excusatione, sine murmuratione.*

Providentia Dei suorum *recordatur. Quare oblitus es mei? Oblivisceris inopiae nostrae? Memor esto in beneplacito populi tui. Providentia,* ut *noxia* vere submoveat et vere *bona* concedat. Providentia *sublimis* erga S. Familiam, quam simul duriter *exercet* et *eripit* ad fines suos.

DE RATIONE MEDITANDI

Opusculum, cui titulus De Ratione Meditandi, a Servo Dei annis 1812-1816 *compositum est, cum Puszae magister et praefectus spiritus scholasticos iuniores instrueret. Quod constat, cum ex aliis documentis tum e testimonio P. Ivonis Czezowski S. I.* (1814-1889), *qui in manuscripto, quod Romae in Archivo Postulationis Generalis S. I. conservatur, adnotavit: « Haec Ratio meditandi scripta est manu propria A. R. P. N. Ioannis Roothaan, cum in Alba Rossia Rhetoricam doceret nostros, pro quibus eam concinnavit ». Erat autem P. Czezowski Polonus, socius provinciae Galiciae, quae Rossiacam continuabat et in qua pars longe maior discipulorum P. Roothaan numerabantur, professor philosophiae, theologiae, rhetoricae, praeclarus orator, vir magnae auctoritatis, cuius testimonio merito dixeris traditionem provinciae Albae Rossiae contineri. - Aliquot annis post* (1821-1823) *P. Roothaan Brigae in Helvetia eodem opusculo alumnos adiuvabat, quod dein alii aliis excerpendum vel etiam transcribendum dederunt. Exstat exemplar manuscriptum a. 1829 Staviaci in Domo Probationis S. I.*

Anno 1836 Romae primum typis mandatum est neque multo post, etiam atque etiam in lucem editum et in plurimas linguas conversum, longe lateque diffusum.

Quod attinet ad fontes, quibus Servus Dei usus est, primo utique loco ipsa instituendorum noviciorum ratio, quae in provincia Albae Rossiae tam scripto quam voce in usu erat, dicenda est. Quod cum per se pateat insuper demonstratur e brevi meditandi formula, quam frater Roothaan novicius a Magistro acceptam in diarium rettulit. Quam qui cum opusculo nostro comparaverit, videbit in ea totum libellum iam breviter fuisse adstrictum. En textus:

Meditatio complectitur tria:

1° Praeparationem, *quae est duplex,* 1. Remota, *puritas cordis et collectio animi, per mortificationem, modestiam, exercitium praesentiae Divinae.*

2. Proxima. *Determinando materiam, praevisis reflexionibus, conclusionibus, affectibus, propositis, praeludiis et colloquiis. - Revocatio materiae vesperi et mane et quies ante orationem.*

2° Meditationem, *quae ipsa complectitur tria:*

1. Ingressum. *Adoratio DEI praesentis, oratio praeparatoria, praeludia:* 1° *compositio loci,* 2° *petitio gratiae specialis, quibus tertium praeponitur, si est res gesta.*

2. Progressum, *qui complectitur puncta meditanda; in singulis punctis exercendae tres animae facultates.*

1° Memoria *per accuratam rei intelligentiam, expensis singulis vocibus si sit sententia; si res gesta, consideratis omnibus circumstantiis, adjuncto, si fieri potest, actu fidei.*

2° Intellectus *per reflexionem, applicationem rei ad se, et discursum seu conclusionem practicam.*

3° Voluntas *per affectus inde fluentes, et proposita convenientia. Ad hos meditandi actus sequitur in singulis punctis oratio. Petenda autem maxime ea, quae Auctore DEO proponuntur, velle ut oportet, et suo tempore perficere ad gloriam Illius, idque per merita Christi, B. V. Mariae et Sanctorum intercessionem, illos etiam compellando, ut orationem nostram adiuvent.*

3. Egressum, *qui fit colligendo et renovando pios affectus, proposita, postulando gratias, quibus maxime indigemus aut quas praecipue desideramus, per fervens colloquium, ex ipsa re meditata desumptum.*

3° Reflexionem, *quae continet etiam tria:*

1. Examen *praeparationis et meditationis. An rite servata sint omnia. Si bene successit, notando modum ut servetur, sin male, causam inquirendo ut vitetur.*

2. Considerationem *propositorum, petendo rursus eorum exsecutionem, determinando circumstantias loci et temporis, et Angelo Custodi ea commendando.*

3. Collectionem *aliorum fructuum, luminum, affectuum singularium a DEO immissorum, qui per diem regustandi sunt.*

Valde utiles sunt repetitiones Meditationum, ad res intime penetrandas et earum succum penitus exhauriendum. Est haec repetitio non ideo iterata meditatio eiusdem rei, sed reflexio supra Meditationes factas, earum lumina, sensus et affectus revocando, recolendo, regustando, unde in eis plura etiam colloquia.

Praeterea auctor novisse videtur librum Henrici Walter, qui inscribitur Exercitia Spiritualia ad usum clericorum saecularium accommodata, Vratislaviae 1798 s. Io. Frid. Kornii.

Sunt, neque ei pauci nostra praesertim aetate, qui existiment, P. Roothaan famoso opusculo suo artis meditandi avidis

viam angustiorem, aridiorem, a S. Ignatii mente alienam ostendere, in qua intellectus eo usque primas partes agat, ut oratio velut disputatio fiat. Cogitent qui ita sentiunt haec duo: primum, auctorem non provectiores sed iuniores religiosos, qui quotidie integram horam in oratione mentali consumant, adiuvare voluisse; dein tantum abesse ut adiumenta, quae suggerat, omnia in omni meditatione adhibenda esse doceat, ut diserte dicat, optimam esse meditationem, etiamsi qui meditetur nil aliud, tota meditationis hora, nisi pios et humiles affectus foveat.

PRAENOTANDA

Illud ante omnia statuendum, artem meditandi pertinere ad scientiam Sanctorum, eiusque esse partem haud exiguam, quae quidem scientia Sanctorum multo minus praeceptis ac doctrinis hominum constat, quam Spiritus Sancti unctione ac bonae voluntatis desiderio. Quare in primis istud hic monendum, ut quicumque vere cupit cum fructu meditari, gratiam hanc ipsam assidue petat: *Domine doce nos orare.... doce meditari. Spiritus Sancti unctio docet nos de omnibus. Ille postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Quod si *nemo potest dicere: Dominus IESUS, nisi in Spiritu Sancto,* quis horam totam meditationi rerum divinarum cum ardenti affectu impendere poterit, et cum fructu, nisi eodem Spiritu Sancto praeveniente et adiuvante? Haec ergo prima sit ad recte meditandum via, ut gratiam, scientiam meditandi, *ardenter* a Domino petamus. Ardenter, inquam, quia donum est valde pretiosum, nobis omnino necessarium; ut vere dici possit, scire meditari, ac meditari fructuose, tantum valere Iesuitae, quantum valet pretiosissimum donum Vocatio, et in vocatione Perseverantia. Quod si pauper magna alacritate illud opificium disceret, cuius exercitio haud dubie speraret se ditandum, quanto nos desiderio illud petere, quanto studio ad illud incumbere exercitium necesse est, quo paupertatem nostram et miserias, non corporis sed animae multo graviores, depellere debemus? Itaque cum oratione conatum serium ex nosta parte adhibeamus. Nec enim exspectandum ut Deus nobiscum faciat miracula, et donum nobis meditandi, nullis ex nostra parte adhibitis mediis, infundat. - His itaque praemissis, ac iam supponens verum proficiendi in virtute desiderium, sine quo utique incassum cadent omnia, breviter ea attingam, quae nos ex nostra parte adferre possumus, ut donum meditandi, divina adspirante gratia, consequamur.

In primis necessaria *Oratio*,

ex *ardenti desiderio* profecta,

cum *studio proprio* et *conatu* coniuncta.

Sunt alia ante meditationem servanda, alia in ipsa meditatione, alia post. Quae ante servanda sunt, sub praeparationis nomine continentur. De hac ergo primo agamus.

CAPUT PRIMUM.

DE SERVANDIS ANTE MEDITATIONEM.

Praeparatio duplex;

Praeparatio duplex statui solet, *remota* et *proxima*. De remota praeparatione iam aliqua diximus. Illud enim verum ac sincerum proficiendi desiderium, quod omnino illi necessarium esse innuimus, qui fructuose meditari cupiat, vel solum est optima ad meditationem praeparatio. Ut tamen clarius rem exponam, aliquid etiam magis in particulari de hac remota praeparatione dicendum.

remota, quae submovet *obstacula,* qualia sunt: *superbia, hypocrisis, quaevis peccata, dissipatio animi,* et adhibet *adiumenta* generalia, quae sunt: *virtutes contrariae.*

Remota igitur praeparatio ad meditandum, nihil est aliud, nisi animi talis comparatio, quae ad recte meditandum disponit, removendo scilicet *obstacula* et *adiumenta* adhibendo. *Obstacula* quae sint, novimus satis. Obstaculum meditandi est superbia et vana sui aestimatio: nam *cum simplicibus* et humilibus *sermocinatio Domini. Dominus humilia respicit, et alta a longe cognoscit.* Obstaculum est hypocrisis et cupiditas alium se simulandi, quam revera sit: *Spiritus enim disciplinae Sanctus effugiet fictum.* Obstacula sunt peccata omnia, in quibus haeret anima: *quoniam in malevolam animam non introibit sapientia* illa caelestis, *nec habitabit in corpore subdito peccatis;* (quo loco cum peculiariter corporis labes exprimatur, haud obscure innuitur, peccata ac defectus contra virtutem angelicam gravissimum ponere gratiis Spiritus Sancti impedimentum). Obstaculum item valde magnum est, animi per diem dissipatio et negligens custodia sensuum. Nec enim fieri potest, ut is bene, devote meditetur, cuius imaginatio plena est nugis; aut ut is mentem habeat in oratione collectam, qui alias non officii sui ratione probabili, sed ob curiositatem suam, immodestiam, ceteraque vitia, semper est dissipatus. Haec ergo ac similia obstacula meditari fructuose cupienti sunt serio removenda. Adhibenda vero *adiumenta,* non alia fere nisi exercitia earum virtutum, quae illis obstaculis sunt contrariae, humilitatis, simplicitatis in agendo, custodiae sensuum etc. Hae enim sunt, quae et animam reddunt

quietam, adeoque aptam ad meditandum, ac simul divinas attrahunt gratias. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* illi sunt, super quos Deus *vultum suum illuminare* in oratione solet. Nec omittenda hìc mortificatio, quae quasi pretium est, quo a Deo donum meditandi emimus. Ita enim fere contingere videmus, ut qui magis mortificationi studeant maiorem habeant in oratione gustum, et contra. Deus scilicet illud nobis libenter concedit, quod nos videt tanto studio desiderare, ut etiam pelle propria, et quibusvis factis sacrificiis, emere velle videamur. - Fateor equidem, hanc animi dispositionem, quam ut remotam praeparationem ad meditandum pono, ipsam iam esse talem, quae usum orationis et iam perceptum ex ea fructum videatur supponere. Sed habet tamen haec dispositio varios gradus. Initia certe horum omnium habere debet quilibet meditans. Desiderium quidem verum proficiendi omnibus utique, etiam primis tironibus, inesse debet: is enim et non alius esse debet finis, ob quem ad Societatem omnes venimus. *mortificatio.*

Iam vero quod attinet ad *praeparationem proximam,* haec ex S. P. N. Ignatii doctrina ista fere complectitur. et *proxima* ex Addit. S. P. N.

Ut pridie materia meditationis matutinae legatur vel audiatur attente, observando scilicet, qui fructus meditanti pro eius animae statu ex ista meditatione sit decerpendus. *pridie,*

Ut iam in lecto decumbens, ante somnum breviter eamdem materiam recolat. *ante somnum,*

Ut mane expergefactus primam cogitationem de futura meditatione suscipiat. *mane.*

Ut inter lavandum et induendum eadem cogitet, ac sensa futurae meditationi conformia foveat.

Ut demum ad ipsam meditationem quieto animo ac sedato accedat, et immediate antequam incipiat « per tantillum tempus, quo percurri oratio Dominica posset (verba sunt S. Patris) animo sursum elevato, consideret Dominum IESUM, ut praesentem et spectantem quidnam acturus sit ». Cogitet coram quo versetur, ad quem sit locuturus, ac proin, *priusquam in genua provolvatur,* Deum sibi viva fide praesentem proponat suaque omnia intime perspicientem. Dico, *priusquam in genua provolvatur;* nam haec viva praesentis Dei apprehensio non post orationem praeparatoriam, quasi praeludii loco, sed ante illam, quemadmodum ante omnem orationem, haberi debet. Quod ideo instantius hoc loco notavi, quod illud frequenter a multis non observari videtur, qui repente scilicet et quasi tumultuarie, non cogitantes quid sint acturi, in genua se se abiiciunt. N. B. *Add. tertia* primae *hebdomadae.*

Haec omnia et singula momenti sunt magni, ut adeo, qui omnia servet, multum; qui pauca, parum; qui nil horum adhibeat, nil se profecturum merito sibi persuadere possit.

Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Haec a S. P. N. Ignatio ante meditationem facienda praescribuntur, eaque etiam ipse, licet iam orandi habitu praeditus singulari ac sublimi dono contemplationis donatus, numquam tamen omisit. Multo itaque magis nos, qui parum sumus in hoc exercitio versati, et alioqui nimium quantum distrahi ac dissipari solemus, praeparationem huiusmodi omnesque eius partes adhibere studiose convenit. - Hinc vero apparet, ut etiam illud obiter moneam, cur tantopere nobis inculcari soleat, ut strictum silentium ac severam modestiam, vesperi praesertim ante somnum et mane ante meditationem, servemus: quia scilicet omnis in hoc genere defectus, istis temporibus commissus, magnum habet in meditationem influxum et impedire eam plurimum potest, tum ratione dissipationis, in quam se anima coniicit per huiusmodi imperfectiones, tum ratione subtractionis Divinae gratiae, in poenam talium infidelitatum.

In *visitatione SSmi.*

Posset etiam illud proximae praeparationis loco addi, ut mane in visitatione Sanctissimi ipsam meditationem, quam mox facturi sumus, praesenti Domino commendemus, ac Virginis Matris aliorumque Sanctorum Patronorum opem ac intercessionem ad illam horam imploremus.

CAPUT SECUNDUM.

DE SERVANDIS IN IPSA MEDITATIONE

Meditatio ipsa tres habet partes.

Habet meditatio ipsa tres partes, seu tria tempora, initium, medium et finem, seu *ingressum, progressum, egressum.* Aliquid dicendum de singulis.

§. 1.

De initio seu ingressu.

Ingressus fit:

Per initium seu ingressum intelligitur, quidquid in meditatione ipsam materiam meditandi seu puncta praecedit. Sunt autem sequentia.

1. *Adoratione,*

1. Adoratur Deus humillime, procidendo in genua, nisi aliqua corporis infirmitas impediat, in quo casu curandum, ut tanto maior sit interna reverentia. - Hic primus est actus

meditantis, qui ut fiat intimo cordis affectu, praecessisse debet illa, quam in praeparatione proxima dicebamus, consideratio, quidnam acturus sim et coram quo Domino sim constitutus. Viva ergo fide meditans, ac si apertum supra se videret caelum in eoque Deum in immensa Maiestate, innumeris SS. angelorum et hominum turmis circumdatum, qui cum universa Curia sua caelesti in ipsum oculos habeat defixos ut videat, quid sit facturus et quomodo oraturus; hac, inquam, viva fide in genua se abiiciat et quam possit maxima devotione consuetam *orationem praeparatoriam* recitet.

2. *Oratio praeparatoria* communis ante omnem meditationem. Continere illa solet, praeter *adorationis* actum, idest agnitionem Divinae Maiestatis suique nihili, etiam *dolorem* ac deprecationem *de peccatis,* merito omni semper orationi praemittendam; tum *oblationem* sui suarumque potentiarum ad meditandum ac *petitionem* Divini auxilii ad bene orandum. - Hos ergo actus, non magis ore quam corde, eliciamus curandum est. - At numquam haec oratio praetermittenda, etiamsi quis forte aliquo casu impeditus serius paulo ad meditationem veniat.

2. *Oratione praeparatoria*

3. Fiant ea, quae S. P. vocat *Praeludia.* Adhibenda saltem duo:

3. *Praeludiis.*

Praeludium primum: Aliud *in rebus sensibilibus*

Primum Praeludium fit ad imaginationem aliquantum iuvandam et ad amovendas facilius distractiones. Vocatur a S. P. compositio loci, ut scilicet meditans sibi rem ipsam, de qua meditaturus est, quasi ob oculos ponat; v. g. si de Christo crucifixo meditaturus est, cogitet, se esse in monte Calvariae ac videre ibi Christum IESUM in cruce suffixum, vulneribus obsitum, sanguine undique manantem, inter duos latrones medium; stante sub cruce B. V. Matre cum Ioanne, Magdalena, paucisque aliis piis mulieribus. Reliqua innumerabilis turba impiorum fere est, irridentium, blasphemantium etc. Si de Christi nativitate, rem ob oculos ponat, quemadmodum solet depingi; v. g. stabulum desertum ac ventis pervium, in aliquo angulo illius praesepe, in quo Divinus infans, involutus pannis, iacet ac vagit; adstant B. V. et S. Ioseph, et, si ita meditatio requirit, aliquot pastores etc.

Atque in his quidem ac similibus materiis compositio loci magni solet esse usus, si bene fiat, quia imaginationem certo alicui obiecto affigit, ne tam facile evagetur; quod si in decursu meditationis evagari eam contingat, recurrendum denuo ad formatam in praeludio repraesentationem, ut solent illi, qui rem aliquam inspicere accurate volunt, qui si quando oculos aliquo casu vel rumore avocati ad alia converterunt, mox, ubi se collegerint, ad rem, quam inspectandam sumpserant, se referunt.

Illud autem hìc attente observandum, in talibus materiis

non debere meditantem proponere sibi rem illam, ut depictam in tabula neque etiam ut a multis iam saeculis gestam, sed ita, ac si ipse rem coram se agi videret in praesenti, ac si adesset in Bethlehemitico stabulo, in monte Calvariae, omniaque oculis suis spectaret, auribus audiret, resque illae nunc actu fierent.

N. B.

Aliud *in materiis incorporeis*

Si vero res meditanda oculis proprie videri nequeat, v. g. peccatum, vel virtus, vel aliud quid non corporeum, non tanti solet esse adiumenti hoc praeludium, nisi quis vivam valde imaginationem habeat. Aliqua tamen compositio loci adhiberi poterit; et v. g. de peccato meditaturi poterimus, ut ait S. P. Ignatius, per imaginationem cernere animam nostram in corpore isto velut in carcere constrictam, hominem quoque ipsum inter bruta animalia exsulantem; vel v. g. peccatum nobis proponere sub figura alicuius teterrimi et horribilis monstri; vel eius effectus, ut inferni ignes peccatori paratos, hominem sub daemonis potestate, catenis constrictum, ac iamiam in illud tormentorum barathrum praecipitandum, etc. Ita aliae atque aliae possunt adhiberi imagines, pro ratione materiae. - Determinandae autem sunt huiusmodi imagines seu praeludia pridie in praeparatione meditationis, nec diversae simul imagines assumendae, nec multum in illis quaerendis seu excogitandis laborandum. Si nihil facile occurrat, praeludium hoc primum in sola recordatione materiae, de qua meditandum erit, consistat.

Aliud *in sententia meditanda.*

Denique si materia meditationis est aliqua sententia Christi Domini, praeludium primum erit, sistere se inter discipulos Christi aliosve auditores, et sententiam illam tamquam ex ore Divini Magistri excipere. Pariter, si alia aliqua verba Scripturae Sacrae meditanda fuerint, oportebit primo praeludio audire ea quasi ex ore illius sacri Scriptoris, cuius illa sunt, vel audire ea quasi caelitus ad meditantem delapsa et ad ipsum peculiari modo directa. Et sic de ceteris.

Praeludium secundum. Petitio gratiae particularis duplicis.

Secundum Praeludium nil aliud est, nisi postulatio gratiae, non iam generaliter ad bene faciendam meditationem (id enim in oratione praeparatoria petitur), sed in particuari ad obtinendum illum fructum, qui in illa meditatione propositus est. Petenda fere duo, *illustratio* intellectus et *motio* voluntatis, ut et cognoscamus et velimus; v. g. si de peccato meditatio est futura, petemus gratiam, qua et cognoscamus quantum malum sit peccatum et voluntate illud serio detestemur ac horreamus. Habetur passim aliqua formula petitionis ad tres Personas Divinas in hoc praeludio secundo adhibendae; addendum tantum in quavis meditatione id, quod illi meditationi singulariter convenit.

In *historiis* praeludia tria.

In meditando de aliqua historia praescribit S. P., ut ante duo praedicta praeludia primum breviter tota historiae me-

ditandae series in memoriam revocetur; tum fiat compositio loci ac tandem petitio gratiae. - Itaque erunt tunc praeludia tria.

Ceterum totus hic ingressus meditationis, nempe: adoratio, oratio praeparatoria, praeludia, regulariter non plus temporis occupare debent quam minuta 4 aut 5 ad summum

§. 2.

De medio seu progressu.

Progressus fit applicatione trium potentiarum.

Medium seu progressus complectitur ipsum veluti corpus meditationis, nempe ipsa puncta, quorum communiter bina vel terna aut etiam plura parata habere oportet. In his itaque punctis perpendendis, ruminandis et in quaerendo in illis fructu spirituali, proprie ipsa consistit meditatio. De divisione punctorum nihil hìc dico, cum aliunde proponantur semper puncta, vel ex libro aut scripto determinata habeantur. Sed qua ratione materia meditationis sit dilatanda, quomodo animus circa veritatem, in punctis meditationis propositam, occupari ac in illa detineri debeat, quomodo quaerendus sit ac decerpendus ex quolibet puncto fructus, quomodo sit res applicanda ad praesentem animae statum, de his scilicet aliquid iam hoc loco dicendum.

Ergo ex mente ac doctrina S. P. N. Ignatii meditatio consistit in applicatione trium potentiarum, videlicet: *memoriae, intellectus* ac *voluntatis;* quae facultates animae si rite omnes applicentur, bona fiet meditatio. Applicandae autem sunt omnes tres in quovis puncto et unum etiam punctum potest esse materia sufficiens meditationis.

1. Quomodo *memoria* exercenda.

Memoria quomodo applicanda

Primo ergo memoria sibi denuo revocat rem meditationi propositam, ita fere, prout in praeludio primo fieri debuit, cum hoc tamen discrimine. 1. Quod non iam universa materia, ut in praeludio, sed illa solum pars, quae in puncto isto proponitur, est revocanda. 2. Quod fieri debet haec repraesentatio multo accuratius et fusius plerumque, quam in praeludio; v. g. si meditationi proposita est sententia, in praeludio proponebamus nobis solum, ac si hanc sententiam ex ore Domini vel caelitus nobis ipsis dici audiremus. - At vero hìc in meditatione ita applicanda erit memoria, ut et audiam illam sententiam mihi dici et attente mihi proponam, quisnam ille sit, qui hoc dicat? et quidnam dicat? attenta bene cuiuslibet vocis significatione. Ita demum haec prima

in *sententia,*

applicatio memoriae parabit viam reflexionibus, quas mox intellectus facere debebit. Item, si meditationis materia sit res gesta, non totam illam, ut in praeludio, sed partem eius unam in isto puncto tractandam, revocare in memoriam debeo, neque solum revocare, sed etiam circumstantias, quae illi parti insunt, attente considerare mihique proponere, quaestiones mihi faciendo: *quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?* etc. Hae enim quaestiones hoc loco potius agitandae, cum intellectus applicatio magis ratiocinari debeat ad practicum ex huiusmodi circumstantiis, prius bene observatis, fructum colligendum.

in re gesta.

Exempla:

Exemplum in utroque genere, in sententia scilicet et in re gesta, subiicio.

1. in Meditatione *sententiae.*

Sit meditationis materia illa sententia Domini IESU: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?*

Praeludium primum.

Praeludium primum. « Proponam mihi ob oculos Dominum meum, turba discipulorum circumdatum, ac statuam meipsum inter illos, ac si Dominum audirem dicentem etiam ad me: *quid prodest* etc.

Memoria Quis?

Memoria vero sic applicabitur. Dicit ergo Christus Iesus... « qui est aeterna sapientia et aeterna veritas... missus de « caelo Magister salutis... qui non vult me frustra terrere aut « angere sed salvare... Hic ergo Iesus dicit: *quid prodest,*

Quid dicit?

« idest nihil prodest... homini cuicumque... *si mundum* « *universum lucretur*... etiamsi solus totum mundum, et omnes eius divitias... honores... voluptates... etiamsi haec « omnia solus obtineat... *si animae suae*... immortalis et « aeternae... *detrimentum patiatur*... si animam suam perdat per peccatum in damnationem aeternam. Ita est... ita

Credis hoc?

« dicit IESUS Christus; credo, quia est ille aeterna, infallibilis « veritas... Nihil prosunt... nihil proderunt homini omnia « mundi bona... omnis eius gloria... omnes eius deliciae... « nihil homini proderunt, si animam perdat... Ita dicit IESUS « Christus. Et certe! Nam totus mundus transit... sed anima

Cur etiam ita est?

« non transit... anima aeternum manet, ut sit felix vel infelix... in aeternum... Transit mundus... et omnis eius « gloria... et omnes eius iucunditates... et omnes eius divitiae... transeunt ista omnia... veniet aliquando horum « omnium finis: et certe tunc nihil proderit his aliquando « fuisse fruitum... cum iam ultra non durabunt... Quod si « quis fortuna in mundo gaudeat prosperrima... per annos « 10.. 30.. 40.! Rara haec felicitas... paucissimis contingit!.. « Et tamen etiamsi alicui ita contingat... quid prodest si animam perdat?.. Transibunt isti anni omnes... veniet finis... « Sed anima erit semper... vel salus ei obtinget... vel damnatio... Sed huic felicitati vel infelicitati animae... num-

« quam ... numquam veniet finis ... Ergo ... vere ... quid « prodest homini, si mundum universum lucretur, animae ve« ro suae detrimentum patiatur? »

Fateor equidem, quae ultimo loco posita sunt (in inquirenda aliqua ratione dicti) posse videri potius pertinere ad exercitium intellectus. - Sed parum refert. - Hìc ita positum est, ut intellectui remaneat sola applicatio veritatis generalis ad se suumque statum. - Certe applicationem memoriae cum applicatione intellectus quodammodo commisceri, nihil vetat. - Quin etiam ipsa voluntas se se hìc exercere in affectus aliquos potest.

2. Exemplum in meditatione *rei gestae*

Exemplum applicandae memoriae in re gesta sit sequens. Apponam etiam hìc primum Praeludium, ut utriusque discrimen appareat.

Sit meditandus Christus crucifixus. P. 1. Quid patiatur Dominus in corpore. P. 2. Quid patiatur in honore. P. 3. Quid patiatur in anima. - Hìc patet, praeludium fore, quod totam rem breviter complectatur, contra vero memoriae applicationem esse restringendam ad illud punctum quod meditandum veniet. Itaque.

Praeludium primum.

Praeludium primum. « Sistam me praesentem in monte « Calvariae et ponam mihi ob oculos Christum Dominum, « pendentem in cruce, viventem adhuc, inter duos latrones « medium, defluente copioso sanguine. Videbo etiam innu« merabilis populi multitudinem, qui fere omnes Dominum « derident ac blasphemant, quorum furibundos vultus aspi« ciam ac murmura et clamores audiam. Inter haec agoni« zans IESUS clamat: Deus meus, Deus meus, ut quid de« reliquisti me? » Hoc praeludium, ut patet, omnia tria puncta compendio complectitur.

Memoria.

Iam vero in applicatione memoriae unum solum sumetur, omissis iis, quae ad illud punctum non pertinent: v. g.

Quid?

P. 1. *Quid patiatur Dominus in corpore* « Pendet Dominus « in cruce. O quantos patitur dolores ... quam atrocia tor« menta!.. Totum corpus vulneribus et sanguine est obsi« tum ... Vere *non est ei species, neque decor ... a planta « pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* ... « omnia membra, heu! quam acerbe cruciantur! Caput spi« nis perforatum ... aculei frontem penetrarunt ... totumque « caput cinxerunt ... oculi suffusi sanguine ... tota facies « contusa ac livida ... os cruciatum felle ... pectus, dorsum, « latera, brachia, crura, flagris horrendum in modum dila« cerata ... pluribus in locis, avulsa carne, nuda ossa con« spiciuntur ... manus ac pedes clavis tremendo cruciatu « confixi ... et ex istis horrendis vulneribus ... ex laesis ac « pertusis nervis, pendet iam una, altera, tertia hora, vivus!.. « Quam immania tormenta!.. Haec talia ac tanta patitur

Quis?

« IESUS Christus... innocens, sanctus, impollutus, bonus...
« quinimmo innocentia, sanctitas, bonitas ipsa... Deus et
« homo... Salvator generis humani... infinito amore di-
« gnus!.. Ille, qui gaudium est Angelorum et in quem cae-
« lestes illi spiritus desiderant prospicere... hic ita tractatur
« ab hominibus... sic permittente ac disponente aeterno
« Patre!... Cur autem ista? Non utique pro suis peccatis...

Quibus? Cur?

« quia nulla habet, qui numquam peccavit, sed neque pec-
« care potuit..; sed pro peccatis totius generis humani...
« pro meis... pro meis (etiam istis et istis) peccatis... hic
« tanta Iesus patitur!.. Patitur autem tanta, licet et innocens

Quomodo?

« ipse... tamen in silentio, sine querela, et non solum sine
« odio in eos, qui tantorum cruciatuum ipsi sunt causa et
« auctores, sed cum summo eorum amore... Haec omnia
« ita revera se habent, ita docet Fides divina; ita ego credo,
« credo indubitanter; quia sic docet fides, innixa revelationi
« ac verbo Dei, infallibilis et aeternae veritatis ».

Applicatio ista memoriae *accurate* facienda

Hoc fere modo applicabitur memoria. In qua quidem re applicanda diutius immorari non est necesse, cum fere quidquid ad memoriam pertinet in libris meditationum proponi soleat, licet a meditante extendendum semper et accurate recolendum, non obiter; nam haec memoriae applicatio est quasi fundamentum, in quo reflexiones et affectus reliquae meditationis fundantur, vel quasi semen et radix, unde reflexiones et affectus oriantur necesse est. Nisi vero haec applicatio memoriae attente fiat, multae etiam reflexiones salutares interibunt. - Illud etiam merito hìc observandum, quod passim commentari solet, ut scilicet, ubi fieri potest, in hac memoriae applicatione exerceatur actus fidei circa veritatem vel historiam propositam. Sic enim reflexiones deinceps fient solidiores maioremque vim habebunt ad voluntatis motionem. Itaque in utroque exemplo, quod modo adferebam, actum fidei subiunxi vel interposui.

Adiect o plerumque *actu fidei*

2. Quomodo applicandus *intellectus*.

Quomodo applicandus *intellectus.*

Postquam res meditanda, per *memoriam*, eo fere modo quo diximus, menti proposita fuerit, sequentur actus *intellectus*, cuius partes nimirum sunt: varias facere reflexiones super iis veritatibus, quas memoria proposuit; applicare illas ad se suamque necessitatem; conclusiones practicas inde deducere; earum motiva ponderare et considerare quomodo secundum istas veritates aut hactenus se gesserit aut gerere in posterum debeat. Haec omnia praestabit intellectus, neque magna ad haec doctrina opus est: quilibet, etiam simplex

et indoctus, nullo negotio de his omnibus ratiocinari secum ipse poterit, Divina gratia adspirante. Non enim requiruntur hìc extraordinarii conceptus, doctae animadversiones, sed practicae applicationes ac simplices discursus. Commodissimum est, quod passim suadetur, et omnium etiam simplicissimorum captui accommodatum, percurrere scilicet sibique ipsi proponere simplices quasdam quaestiones, ad quas respondere facile quivis poterit, modo mentem applicare serio voluerit. Hae quaestiones proponi fere solent sequentes: *Quid de hoc* (quod meditandum proponitur, vel quod memoria pertractavi) *est considerandum? Quae conclusio practica inde deducenda? Quaenam motiva ad hanc servandam inducunt? Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi? Quid mihi in posterum faciendum? Quale impedimentum removendum? Quale medium eligendum?* - De singulis harum quaestionum seu reflexionum aliquid dicamus.

Quae sibi *quaestiones* a quoque proponendae.

1. *Quid de hoc est considerandum?*

Ad hanc quaestionem insistendum est uni alicui veritati, quae in puncto illo continetur. Non unam, sed plures veritates offert non raro unum idemque punctum. Harum itaque veritatum primo unam, dein alteram, et si quae plures insunt, quasque singillatim meditans sumet discutiendas sibique applicabit. Sic v. g. in sententia, quam supra posuimus: *Quid prodest homini* etc., saltem duo consideranda se offerunt: nempe 1. universum mundum lucrari, vanum esse ac nullum solidum bonum, 2. animae detrimentum vel lucrum esse momenti vere summi, in quo sita omnis hominis felicitas vel infelicitas. - Pariter in puncto illo de Christi crucifixi doloribus plura occurrunt ponderanda et applicanda, tot certe, quot fuere quaestiones in memoriae applicatione tractatae: v. g. *Quid? Quis? Quare? Quomodo?* etc. Singulae enim singulas continent reflexiones, quas meditans salutariter facere sibique applicare potest. Itaque primam ex illis reflexionibus assumens, faciet super illa sibi ipsi quaestiones reliquas: *Quae conclusio practica hinc deducenda?* etc.... Idem postea faciet in secunda reflexione, idem in tertia et sic deinceps.

Quid de hoc est considerandum.

2. *Quae doctrina practica inde concludenda?*

Hìc inspicit meditans, quid ergo sibi faciendum sit, cum res, quam considerat, ita se habeat? Quomodo ergo mores iuxta hanc veritatem instituere debeat? v. g. ex sententia illa: *Quid prodest homini,* prima reflexio erat: *universum*

Quae conclusio practica inde deducenda?

mundum lucrari, vanum est ac nullum solidum bonum. Si iam quaero: *Quae conclusio practica hinc deducenda?* Unusquisque certe facile responsum inveniet, nempe « Ergo universus mundus contemnendus est cum omnibus suis divitiis, « et honoribus, et deliciis; siquidem universum mundum cum « omnibus his lucratum esse quemquam, nihil proderit! Ergo « nec pro universo mundo obtinendo, nec pro omnibus eius « divitiis, honoribus, deliciis, quidquam detrimenti in anima « suscipere debeo. Multo vero minus pro parvo aliquo bono « temporali, pro vana aliqua gloriola aut humanae laudis « appetentia, pro aliqua sensuum voluptate Deum offendere « et animam periculo exponere debeo ».

Duo observanda:

Hoc vero loco illud summi momenti observandum documentum est, ut quisque meditans singillatim hoc loco illam deducat conclusionem, quae ipsius statui sit accommodata.

1. Conclusio ne sit *generalis, sed particularis.*

Primum enim, generalis conclusio communiter manet absque effectu. Ut si quis in exemplo proposito hanc solum deducat conclusionem: ergo totus mundus contemnendus est, et ad particularia non descendat. Huiusmodi conclusiones non immerito comparantur explosionibus tormentorum, in nullum certum scopum directis, quae hostem non laedunt, muros non subruunt. Sic etiam generales conclusiones, sine applicatione ad particularia, hostes animae non infringunt, passiones in ordinem non redigunt, difficultatum muros non applanant, sed vere, ut ita dicam, aerem verberant.

2. Sit meditantis *statui accomodata.*

Deinde non sufficit etiam ad particularia descendere, sed quisque ei particulari conclusioni insistere debet, quae sibi conveniat, et applicare veritatem practicam ad rem illam, quae sibi vel peccatorum ac defectuum causa, vel impedimentum in servitio divino sit; v. g. in exemplo, quod tractamus, conclusionem generalem: *Ergo universus mundus contemnendus est; Ergo nec pro universo mundo quidquam faciendum quod animae noceat; Ergo potius totius mundi facienda est iactura, quam anima periculo exponenda;* hanc inquam, conclusionem generalem, alii aliter statui suo suaeque necessitati applicare debent.

Exempla:

Unum exemplum.

Qui vanae gloriae cupiditate laborat, ita debet concludere: « Si universus mundus contemnendus est, quanto « magis ego vanam illam gloriolam, quae mea bona opera « corrumpit et gravissimum mihi damnum in anima affert, « contemnere debeo. Si haberem omnem totius mundi glo- « riam, si laudarer ac summe praedicarer ab omnibus homi- « nibus, nil mihi prodesset; quanto minus proderit, si unus « aut alter, si pauci illi, quibuscum vivo, me laudent, magni « faciant, etc. » et descendendum hìc etiam ad illas actiones, quas vana gloria ipsi saepius inficit, ad illa peccata ac defectus, quae ex vanae gloriae cupiditate committit, ut: si propter eam aliquando simulat, si defectus suos tegit, excu-

sat, praetextis etiam mendaciolis elevat, etc. Hisce particularibus rebus applicare debet illud: *quid prodest?* - Qui vero sensualitate laborat, gulositate, commodorum quaesitione saepius labitur, ita secum ratiocinetur: « Si nec universus mun- « dus tantum valet, ut quis pro illo detrimentum suscipiat « in anima, et si nec pro toto mundo cum omnibus suis vo- « luptatibus peccandum est, multo certe minus pro uno alte- « rove commodo, pro bolo aliquo, qui momento guttur per- « transit, violandae sunt regulae ac damnum in anima su- « scipiendum; et si nil mihi prodesset, etsi omnibus fruerer « mundi deliciis, quanto minus proderit in tantula voluptate « sibi indulgere; et si totus contemnendus est mundus et « omnes eius deliciae, quanto magis illa miserabilis satisfactio « gulae ac sensualitatis, etc. » descendendo hìc etiam ad eas res in particulari, in quibus per sensualitatem, gulam, etc. peccata ac defectus committere frequentius accidit. Qui aliquam invenit in vita religiosa difficultatem, cui aliqua res nimis videtur gravis, nimis repugnans, nimis molesta, ita ut fors etiam vita Religiosa propter illam videatur insipida etc., eamdem veritatem ita sibi applicare debebit. « Universi etiam « mundi iactura potius facienda est, ex sententia IESU Chri- « sti, quam anima periculo exponenda; quanto magis haec « et illa difficultas potius subeunda mihi alacriter est, quam « ut pretiosissimum donum vocationis meae et assecuratio- « nem meae beatitudinis perdam? Quid enim mihi proderit, « hanc et illam molestiam fugisse, hanc et illam crucem evi- « tasse, hanc et illam rem, quae meae naturae displicet, eva- « sisse, si in anima mea detrimentum capiam, si vocationem, « si salutem perdam, ac postea per totam aeternitatem ferre « cogar acerbissima etc.? » descendendo pariter ad eas in particulari difficultates, quae saepius occurrunt, saepius ipsum turbant ac displicentiam movent. - Sic itaque unam eamdemque veritatem, alii aliter sibi pro sua necessitate applicare debent, et ex una eademque generali conclusione conclusiones particulares suo statui accommodatas deducere. - Porro, hoc monitum tanti est momenti, ut asseveranter dici possit, ab huius observatione vel neglectu maxime omnium fructum meditationis pendere.

Alterum exemplum.

Tertium exemplum.

3. *Quaenam motiva ad conclusionem servandam inducunt?*

Motiva varia.

Motiva seu incitamenta ad faciendum id, quod in meditatione cognoscimus esse faciendum, hìc consideranda sunt ac ruminanda, ut solida fiant melioris vitae proposita. Voluntas nostra sequitur intellectum. Si intellectus motiva rei non capit, voluntas parum ad illam afficitur.

Iam vero motiva seu incitamenta ad fugiendum vitium, ad sectandam virtutem, ad difficultates ac molestias generose superandas, sunt *decens, utile, iucundum, facile, necessarium,* et si qua sunt alia, quae ad aliquid movere atque incitare animum possunt. Haec motiva, vel omnia vel certe eorum aliqua ad materiam, quam meditamur, ad conclusionem practicam, quam deduximus, sunt applicanda.

Decens.

Decens significat rem esse honestam et convenientem. Cogitet hìc meditans, quid *hominem* ratione praeditum, quid *Christianum,* quid *Religiosum,* quid *Socium IESU* facere deceat? amplissima hìc et fortissima inveniet motiva. Nostris volvendus quotidie, immo assidue, esset titulus *Socii IESU,* qui solus titulus gravissimum habet ad movendum pondus. Nam quod vitium, quem defectum etiam levem, non decet fugere eum, qui *Socius IESU* velit dici et esse? Quam virtutem, immo vero quam perfectionem ac sanctitatem non decet sectari eum, qui *Socius IESU* esse velit, IESU, inquam, exemplaris omnis virtutis et sanctitatis? Quam item difficultatem, quam molestiam, immo vero quam afflictionem, etiam gravissimam, quae tormenta, quos contemptus, non decet generose superare ac tolerare eum, qui *Socius* sit *IESU* eiusque *Crucifixi?* Vere hic titulus *Socii IESU,* vel solus rite ponderatus, sufficere potest ad animam convincendam ac vehementissime, Dei adspirante gratia, impellendam. Praebebit semper hic titulus uberrimum fontem piarum cogitationum et affectuum humilitatis ac desiderii ad meliora adspirandi.

Utile.

N. B.

Utile complectitur commoda spiritualia, quae observatio doctrinae illius practicae mihi afferet. Spiritualia, inquam, commoda, quae animae bonum spectant et aeternitatem; nam alia non sunt supernaturalia, adeoque vana motiva. Itaque non ista hìc perpendenda sunt commoda, v. g. poenitentias evitabo, superioribus satisfaciam, fratribus placebo, et alia similia; nam talia motiva, et per se vitiosa sunt, et ad vitia aeque ac ad virtutes inducere possunt; hypocritas certe efformabunt potius, quam verae virtutis studiosos. Posset fors aliquando aliquid horum adiungi ad alia motiva supernaturalia, sed semper valde hoc parce, ne tam levibus fundamentis nostra virtus innitatur. Commoda ergo supernaturalia ponderanda sunt, v. g.: si hanc doctrinam observavero, vitabo multa peccata ac defectus, cavebo multos morsus conscientiae ac perturbationes, et poenas tam multas in purgatorio olim luendas non contraham; habebo pacem conscientiae, multos actus virtutis faciam, pro quorum singulis gratiam mihi apud Deum augebo et merita pro futura vita, ita ut dives fiam coram Domino; attraham benedictionem Divinam etiam super munera mea; fiam aptum gloriae Divinae instrumentum, etc. Innumera possunt hìc cogitari commoda, vera, solida, super-

naturalia, quae in omni practica conclusione inesse solent, et ex quibus quisque iis potest magis insistere, quibus se sentit magis moveri. Duo illa generalia teneantur semper: quae mala spiritualia evitabo? quae bona consequar mihi et aliis? - Nam, ut dicit Scriptura: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Timentis* vero *Dominum beata est anima eius... et omnia, quaecumque faciet, prosperabuntur.*

Iucundum.

Iucundum illud est: Quantum gaudebo, si hanc doctrinam observabo? Neque enim tristis est vita, ad normam Divinae voluntatis exacta; immo, si est in hac lacrimarum valle aliqua veri gaudii pars, est certe in anima, quae Deo studiose famulatur. *Israel, si attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et iucunditas tua sicut gurgites maris.* De impiis vero: *contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt.* Haec et similia, quae omnium etiam Sanctorum experientia comprobantur, tamquam solida motiva ad virtutem ac perfectionem sectandam, animae suae proponere quisque poterit.

Facile.

Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde. En conditiones!

Facile. Cum Dominus IESUS iugum suum suave esse et onus suum leve dicat, et universaliter promittat requiem animae illis, qui iugum suum tollant super se, est hoc certe verum et verum esse etiam ego sentiam, si tollam iugum Domini super me, totam videlicet eius legem Evangelicam conando observare quam exactissime; nam hoc est *tollere iugum illud* super se et veluti humeris suis imponere. Qui vero aliqua tantum servare et non omnia intendit, hic iugum Domini una veluti manu volens portare gravabitur, et non erit illi onus leve. Si quis itaque onus hoc Domini grave sentit, non aliunde hoc est, nisi quia totum illud super se non tollit et quia non est mitis et humilis corde; nam haec duo requirit Dominus. *Mandata eius gravia non sunt.* - *Ambulavimus vias difficiles,* aiunt impii, *lassati sumus in via iniquitatis.* Quae etiam cum proportione verissima sunt in Religiosis, qui non habent spiritum vocationis suae, spiritum humilitatis, oboedientiae, etc. Gravius multo est, superbiam in corde fovere, propriam voluntatem mordicus tenere, etc., quam haec ipsa vitia abnegare; quae dum abnegamus, debilitamus et occidimus illos serpentes, qui in nobis vivunt et omnium tristitiarum, et poenarum interiorum causae sunt, dum ad primam occasionem adversitatis alicuius mordent et cruciant. - Quid vero, si consideretur gloria caelestis? quam facilia debent nobis videri omnia, quae mercedem aeternum duraturam obtinebunt. *Leve est mihi omne onus, quod fero, propter magnum illud bonum, quod spero,* aiebat S. Franciscus seraphicus. - Haec ergo et similia nobis proponamus, si terreri nos difficultatibus contingat. Quamquam generosis animis potius ipsa difficultas motivum est, ad libenter rem aliquam ag-

Et invenietis requiem animabus vestris; iugum enim meum suave est, et onus meum leve. En promissa!

grediendam, gaudentibus si quid difficilioris operae facere aut gravioris molestiae ferre possint pro Eo, qui tanta pro ipsis fecit et passus est, quique infinito amore dignus est; pro quo si millies mortem acerbissimam subeant, parum se facturos merito existimarent.

Necessarium. *Necessarium* complectitur graves illas causas, ob quas debeo omnino practicam illam doctrinam observare, etiamsi nec utilis alias nec iucunda esset, etiamsi vel difficillima mihi videretur. Scilicet, si non observem hanc doctrinam, infelix ero, vel saltem gravissimis me periculis exponam. Neque enim est res indifferens, facere vel non facere ea, quae facienda cognovi, sed est omnino necesse facere. S. Paulo necesse erat, esse zelosum Apostolum, ut ipse dicit: *necessitas enim mihi incumbit; vae enim mihi est, si non evangelizavero.* Pari modo ego mihi dicere debeo: *Vae mihi,* si non fiam humilis; *vae mihi,* si non fiam perfecte oboediens; *vae mihi,* si non contemnam res huius mundi; *vae mihi,* si non fiam mortificatus; *vae mihi,* si non serio tendam ad perfectionem, etc.; quia hae sunt obligationes status et vocationis meae, quas si non coner explere, non salvabor vel certe gravissimo periculo me exponam. Non relinquitur mihi ad libitum, si vivere volo Iesuita, esse bonum religiosum, vel non; ut bene quidem faciam, si servem Regulas et vocationem meam expleam, nihil autem mali sit, si non servem et non expleam; sed omnino *necessitas mihi incumbit,* servare et implere; alioqui non possum esse securus et *vae mihi!* Non faciam gratiam Deo, si ipsi religiose ac fideliter serviam; adhuc etiam tum servus inutilis ero et quod debeo facere faciam; sed iniuriam ipsi facio, si non religiose, si non fideliter ipsi serviam. — Hoc necessitatis motivum verissimam habet rationem etiam in iis, quae tantum videntur esse maioris perfectionis, si illa cognosco et Deus me ad illa impellit; nam etiam in his infidelitas et inoboedientia erga Deum vocantem potest mihi gravissima attrahere mala; praesertim illud maximum, ut me Deus, tamquam infidelem et inoboedientem, deserat et abiiciat.

Hoc porro motivum cum semper vim habeat magnam ad determinandam voluntatem nostram, tum praesertim adhibendum est in rebus, quae nobis difficiliores videntur et quando animus prae ignavia ac difficultatum horrore torpet. Tunc vel maxime his veluti calcaribus pungendus ac stimulandus est, propositis poenis Divinis, poenis purgatorii, inferni, propositis minis Dei contra tepidos, quos ex ore suo evomere minitatur, mortis item ac iudicii horrore etc.

Sic ergo tractatur illa quaestio: *quae motiva ad doctrinam illam practicam servandam inducunt?* Accurate autem haec quaestio agitanda, ut virtus nostra non sit quasi for-

tuita et casualis, dependens a circumstantiis variis, sed solida, in solidis motivis supernaturalibus ab intellectu bene ponderatis fundata. — Exemplis porro hic subiungendis supersedeo. Satis enim fuse explicata videntur, quae huc pertinebunt, ut facile possint ad varias materias applicari. — Sequitur itaque discutienda quaestio.

4. *Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi?*

Hoc loco instituitur veluti examen et requirimus a conscientia nostra, quomodo nos circa illam veritatem, quam meditamur, hactenus gesserimus; ut si secundum illam hactenus egimus Deo gratias agamus, sin autem, confundamur intime et erubescamus ac prospiciamus nobis in futurum. Nequaquam vero facile credendum, si videamur nobis illam doctrinam bene observasse; nam in hoc nos amor proprius et exigua nostri cognitio decipere aliquando solent, ut videamur nobis iam aliquam virtutem consecuti; placet enim valde talis cogitatio. Accidit hoc praesertim incipientibus, qui dum aliquod sibi lumen circa aliquam doctrinam practicam habere videntur et rationes ac motiva perspexerunt, dum occasio exercendae illius virtutis nulla occurrit, credunt se illam iam assecutos, cum longissime absint; id quod ipsi saepe postmodum magno suo damno experientia discunt. Tendendum ergo semper hic ad nostram humiliationem et confusionem, condemnando nos ipsos, quod illam doctrinam non observaverimus; vel si aliquando observavimus, quod valde imperfecte neque ita, ut a nobis gratiae Divinae exigebant. — Descendendum etiam hic ad casus et occasiones particulares, ex quibus maxime virtutis nostrae vel vitiorum habitus cognoscitur. Si quis enim ita generaliter ex se quaerat: *an ego contempsi mundum? vel saltem nunc illum contemno?* Forsan de praesenti facile sibi respondere posse videbitur: *contemno.* Sed squaerat in particulari: « Quomodo « sit affectus, si rideatur, si humilietur, si contemnatur, si « minus affabiliter ab aliquo tractetur, si de defectibus de« feratur vel reprehendatur? » fors aliter longe iudicabit de se, ac vere vanum se adhuc et mundanum, adeoque non esse mundi contemptorem fateri debebit. Idemque fors censebit, ubi ex se quaesierit contrarium, v. g. « quomodo se « gerat in bonis successibus; quid sentiat, cum laudatur, « cum aestimationis signa sibi exhibentur? » etc., in quibus occasionibus si adhuc gaudet sibique placet, certe mundum nondum contemnit. — Eodem plane modo circa sensualita-

Examen status sui.

N. B.

Tendere ad suam confusionem.

Descendendo ad particularia.

tem et carnis commoda; eodem circa divitias vel bona temporalia ratiocinandum; eodem denique circa omnes virtutes et vitia. De quibus si nos tantum generaliter et quasi speculative examinemus, videmur nobis facile vitia superasse, vel virtutes consecuti; at vero ad particularia descendentes, longe nos ab utroque illo bono abesse deprehendimus. — Fructus ergo in hac quaestione ille potissimum quaerendus, ut ex vera nostri ipsorum cognitione sincere coram Deo nos, et quam profundissime, humiliemus, reprehendentes et condemnantes nosmetipsos.

5. *Quid mihi in posterum faciendum?*

Quid in posterum faciendum?

Hic futuris prospicitur et bona proposita, a voluntate dein amplectenda, intellectus inquirit. Descendendum pariter hic ad particulares casus, praesertim eos, qui maiorem difficultatem facere videntur quique saepius occurrunt, et ante omnia, qui hoc ipso die occurrent vel certe occurrere possunt; ut nimirum dispiciamus nobiscum, quomodo nos in illis gerere debeamus, ut iuxta veritatem cognitam agamus. Neque erit abs re, motiva prius considerata denuo sibi proponere, ut facilius sese voluntas ad generosam victoriam offerat. Non est, quod hic exemplum ponam, cum ex superius dictis satis ista clara esse debeant.

6. *Quale impedimentum removendum? Quale medium eligendum?*

Impedimenta et *media.*

Scilicet, quid me hactenus impedivit, quominus hanc doctrinam observarem? Quid me iuvare poterit ad eamdem abhinc melius servandam? Difficile est, hic aliquid generaliter praecipere, cum haec impedimenta et media varia esse possint pro varietate materiae, de qua aliquis meditatur, et magis etiam pro varia constitutione personae meditantis. Uniuscuiusque igitur erit, inspectis occasionibus, in quibus solet defectus aut peccata, de quibus meditatur, committere, tum secum diligenter inquirere: Unde tandem hoc proveniat? Quid ipsum ad ea committenda impellat? — Caveat porro, ne totum occasionibus adscribat. In subreptitiis quidem ac indeliberatis peccatis potissimum observandae sunt occasiones eaeque vitandae, ac propterea monemur, ut proposita nostra de vitandis peccatis indeliberatis et iis quae ex subreptione committi solent, versentur praesertim circa vitandas occasiones. Sed in aliis peccatis, quae ex passionibus nostris oriuntur (exceptis peccatis carnis, quae fuga sunt vitanda), non tam fuga occasionum, quam vigilantia super se et ge-

nerosa sui victoria opus est; v. g. iracundus non debet existimare, impedimentum sibi ad mansuetudinem servandam esse hunc vel illum, qui sibi molestus sit, vel hunc et illum casum; nequaquam enim sic est, sed ipse sibi est causa. In se, in animo suo passionem portat; hanc mortificare debet non occasiones fugere.

Impedimenta et media generalia.

Ceterum impedimenta generalia sunt ista tria praesertim: superbia, sensualitas, dissipatio animi. — His contraria sunt tria media generalia: humilitas, victoria sui seu mortificatio, recollectio animi; quibus, appendicis loco, addi possunt, memoria Dei praesentis, actuum iaculatoriorum usus, frequens item recordatio motivorum, quae in meditatione perspeximus, item communire animum singulari cura ante occasiones, in quibus novimus nos saepe solere labi, etc.; quae omnia tamen ad unum ex illis tribus generalibus mediis referri possunt.

Haec in genere dicta de impedimentis ac mediis sufficiant. Uniuscuiusque meditantis erit, se ipsum attente considerare et, invocato lumine caelesti, videre quid sibi in particulari sit impedimento, quid remedii adhibere possit. Cognoscet haec, si verum proficiendi desiderium habuerit; illustrabit illum Dei gratia, consilium dabunt superiores et confessarii, ipsa etiam sana ratio, fide illustrata, docebit.

Per has igitur quaestiones, quas exposuimus, intellectus exercendus est, qui si ad istas serio applicabitur, materia solida vix poterit deesse. - Postquam vero de una aliqua veritate, ex materia meditationis deducta, sic ratiocinatus fuerit, transibit ad alteram; hac similiter absoluta ad tertiam et sic deinceps, ubique hasce quaestiones, vel omnes vel certe aliquas, agitando. - Iam de voluntatis exercitio.

3. Quomodo *voluntas* applicanda?

Voluntatis officium duplex, Affectus et Proposita.

Voluntatis officium in meditatione duplex distingui potest; nempe *affectus* pios excitare et resolutiones bonas seu *proposita* formare voluntas debet. Atque haec duo sunt ita essentialia meditationi, ut sine his meditatio non sit futura oratio mentalis, quemadmodum esse debet, sed mera speculatio vel studium.

1. *Affectus.*

Affectus excitandi. Quando? per totam meditationem.

Primum itaque, quod agere voluntas debet, est excitare *affectus* pios seu quosdam internos motus, internos actus variarum virtutum exercere. Hi affectus debent esse per totam meditationem sparsi, certe debent esse quam frequentissimi;

nam hi potissimum faciunt, ut meditatio vera oratio fiat. Ignis enim gratiae et amoris Divini, qui ardere in cordibus nostris, vel certe adesse necessario semper debet, in meditatione, per varias considerationes variam veluti materiam nacta, in flammas prorumpere pro ratione oblatae materiae debet: *In meditatione mea exardescet ignis.* - Occurrit in rei meditandae consideratione mirabile aliquod, qualia vere sunt omnia opera Divina, prorumpat voluntas in *admirationis* affectum; occurrit beneficium divinum, affectus erit *laudis, gratiarum actionis, amoris;* occurrit effectus irae divinae vel eiusdem minae, affectus erumpet *timoris,* et sic alii atque alii pro ratione materiae. Versabit meditans sua peccata, suas miserias, non potest non oriri affectus *humiliationis, confusionis sui, doloris, deprecationis etc.*

Quomodo? non tam ore quam corde.

Si vero modus quaeratur excitandi huiusmodi affectus, illud ante omnia sibi quisque persuadeat, non esse hìc opus verbis pulchre compositis. Affectus non a lingua sunt, sed a corde; neque est nobis necesse agere cum Deo, sicut cum hominibus, qui sensa cordis nostri non intelligunt nisi verbis ea exponamus. *Orantes,* dicit Dominus IESUS, *nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Videtur hoc monitum Domini IESU vel maxime orationi mentali convenire. Sunt enim, qui putent, non esse posse affectus bonos, nisi pulchre et eloquenter compositis verbis efferantur; quasi vero Deum, ita ut homines, verborum pondere in suam partem pertrahere necesse esset. Qui certe gravissimus est error. *Hoc negotium,* inquit S. Augustinus, *plus gemitibus quam sermonibus peragitur.* Et, si frequenter in Psalmis ac reliqua Scriptura mentio fit de *clamore* ad Deum, non oris plerumque sed cordis clamor per affectus ardentiores intelligitur. Sed hac de re multa praeclare, more suo, P. Rodericius P. 1. T. 5. C. 12. - Illud sufficiat hìc monuisse, non esse cur solliciti simus, quibus verbis affectus nostros exprimamus, cum etiam solo corde, nullis adhibitis verbis, optime exprimi possint. - Fateor equidem affectum cordis iuvari multum solere, si aliqua adhibeantur verba, in quibus ille affectus exprimatur. Sed non est necesse, ut ista verba sint aut exquisita aut multa; praestat immo, ut mihi quidem videtur, ut verba illa sint simplicia et brevia, at frequentius repetantur, volvantur mente diutius. - Si qua occurrunt verba, ad exprimendum affectum, desumpta vel ex Scriptura sacra vel ex orationibus, quibus uti solet Ecclesia vel quibus Sanctum aliquem usum fuisse novimus, illa certe essent optima; cum peculiarem habeant unctionem et gratiora Deo esse necesse sit. - Fors aliquod exemplum adduxisse non erit abs re. Itaque:

Iuvant aliquae voces.

Exemplum.

Ad considerationem Divinorum beneficiorum excitandus affectus *gratitudinis.* Quid simplicius, quam ut dicas cum

Psalmista: *O! Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi!* Iam si inter haec animo volvas, qui tu sis et quis Deus qui tibi benefacit, *Quid..* (ego) *retribuam Domino . .* (tanto) *. . pro omnibus, quae retribuit mihi....* et ipsius etiam beneficii vel beneficiorum Eius revolvas magnitudinem, facile erit, diutius etiam eumdem affectum fovere, repetendo identidem eadem verba attente ac sedate: *Quid retribuam* (ego) *Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?*

Eidem affectui *gratitudinis* possunt etiam optime inservire illa verba patriarchae Iacob, quae pulcherrimam continent gratiarum actionem: *Minor ego sum,* Domine, *cunctis miserationibus tuis.* Continent enim intimam agnitionem propriae vilitatis, ob quam homo indignus est quem Deus tantus vel respiciat, et agnitionem impotentiae, in qua sumus, vel pro minima Dei miseratione debitas agendi gratias. *Minor sum cunctis miserationibus tuis.*

Sic alia atque alia possunt adhiberi verba. Et si nullum aliud occurrat, dic: *O Deus meus, ago tibi gratias.* Sed dic ex corde et bonus hic erit affectus gratitudinis. Non verba Deus respicit sed cor. - Similiter, ad considerationem propriae vilitatis excitandus affectus *humilitatis;* quid simplicius, quam ut dicas: *O vere ego undecumque Divino conspectu tuo, Domine, indignisismus;* quid facilius, quam haec verba volvendo: *ego . . . undecumque . . . Divino tuo conspectu . . .* recogitare causas, ob quas talis cum sis, vere Divinis oculis sis *indignissimus,* et humilitatis affectum hac ratione etiam diutius fovere?

Alterum exemplum.

Eidem affectui *humilitatis* servire possunt illa etiam ad mentem S. P. N. Ignatii: *Quid sum nisi saccus stercorum et esca vermium,* quoad corpus; quoad animam vero, *foedissimum ulcus et apostema, unde tanta sanies peccatorum profluxit* et adhuc profluere non cessat, quas sordes Divini oculi semper intueri coguntur?

Vel ex Apocalypsi: *O vere ego miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus.* - Vel etiam si dicas nil aliud nisi: *O quam vilis sum et abominabilis!* habes affectum humilitatis. De verbis noli esse sollicitus, corde tantum istum sensum volve.

Praxis quaedam utilis in hanc rem.

Possent nullo negotio plurimae breves sententiae vel ex Scripturis, vel ex precibus in Ecclesia usitatis, vel ex Sanctorum dictis colligi pro variis affectibus. Posset immo unusquisque sibi tales sententias affectuosas colligere sibique familiares reddere, volvendo eas frequenter in oratione, dum affectus aliquis, qui per talem sententiam exprimitur, excitandus est. Et profecto melius quisque sibi talia colligeret, quam ab aliis collecta acciperet; quia non omnia omnes aeque movent et alii in aliis sententiis maiorem inveniunt affectum

et gustum. Qui preces vocales attente dicunt et attente legunt spiritualia, iis facillimum erit, sententias tales pro affectibus variis colligere, quas in meditatione suis locis volvant. - Sed sint sententiae breves, vis earum bene ponderetur, ac familiares reddantur. - Multorum Sanctorum exemplis haec praxis confirmatur.

Affectus fovendus.

Illa observatio hoc loco non est omittenda, quae omnino est ad mentem S. P. N., ut si affectum aliquem in nobis excitatum sentimus, eumdem diutius foveamus, sine anxietate pergendi ad alia, quae in eadem meditatione adhuc tractanda sunt, sed in eodem pergamus affectu, donec nobis satisfaciamus. Sic v. g. in affectu *humilitatis* et agnitionis tuae vilitatis, tamdiu illud: *ego vere undecumque Divino conspectu indignissimus,* aut aliam in hanc rem sententiam tamdiu volve animo, quamdiu cum intimo sensu aut gustu aliquo spirituali tua ista vilitas tibi ante oculos manet et affectus ille ardet; etiamsi nil aliud tota meditationis hora faceres, optima esset meditatio. - Ubi senseris refrigescere affectum tuum, transibis ad ulteriorem considerationem materiae meditandae. - In affectibus tamen iis, qui non adeo humilitatem spectant ac sui depressionem, v. g. in affectibus *gaudii, fiduciae,* etc., quamvis sancti possint esse, quia tamen magis sunt illusioni obnoxii, si in illis diutius haerere aut etiam totam meditationis horam impendere contingeret, idque saepius, res esset pro maiori securitate cum Patre spirituali communicanda.

Etiam in applicatione memoriae locus est affectibus.

Affectus ergo, ut diximus, per totam meditationem sparsi esse debent. Idque intelligendum tam de memoriae quam de intellectus applicatione; ubique enim convenire posse, immo naturaliter quasi oriri debere aliquos affectus, quisque facile sentiet, si attente consideret ea, quae de utriusque potentiae applicatione supra ordine dicta sunt. Ab ipso statim initio saltem affectus fidei elici potest et vero etiam deberet, ut suo loco notavimus; v. g. dicendo intimo sensu: *Credo, quia docet fides;* - vel: *Credo, quia tu, o aeterna veritas, dixisti;* - vel: *Credo, quia tu dixisti, Domine, qui non es quasi homo, ut mentiaris. Caelum et terra transibunt, verba autem tua non transibunt.* Ultimus modus, ut patet, serviet maxime, si meditanda sunt verba Domini IESU aut alia Dei dicta ex Scripturis deprompta.

2. *Proposita.*

Proposita formanda

Alterum, quod voluntas praestare debet in meditatione, est *proposita* bona formare in futurum. Id quod adeo essentiale est meditationi, praesertim in Societate nostra, cuius vita est activa, ut sine formatione bonorum propositorum meditatio non sit satisfactura fini suo. Nam finis eius, prae-

sertim in Societate, est non tantum unam horam impendere Deo per orationem, sed meditando animum purgare a vitiis, exornare virtutibus, vitam omnem emendare ac perficere, confirmare se in Divino famulatu, munire se contra difficultates ac tentationes, actiones suas rite disponere ad eas perfecte obeundas etc., quae omnia non aliter fiunt in meditatione, nisi per *proposita* rite facta. Quia vero haec res, ut vel ex iis, quae modo diximus, patet, momenti est summi, necesse est aliqua hac super re accurate, quantum Divina Bonitas dederit, notare documenta.

1. Ubinam in meditatione proposita facienda sint, satis patet; nempe sub finem considerationis cuiusque doctrinae practicae ex meditationis materia deductae, prout supra de applicatione intellectus dictum est. Inter quaestiones enim, quas meditans sibi facere debet, habetur etiam illa: *Quid mihi in posterum faciendum?* Responsum ad hanc quaestionem continebit facienda proposita. Et eodem pertinet etiam quaestio sequens: *Quale impedimentum removendum? Quale medium eligendum?* - Ubi se voluntas resolvit ad ea facienda, quae intellectus ad istas quaestiones facienda esse cognovit, haec ipsa resolutio est *propositum*. Ceterum hoc non impedit, quominus etiam in decursu meditationis, ubicumque se aliquid vel faciendum vel vitandum offerat, obiter etiam de hoc propositum concipi possit. Sed proprius locus propositorum, quae tamquam solidus fructus meditationis quaeruntur, est certe uti diximus sub finem quaestionum, quas sibi meditans in applicatione intellectus facere debet. - Fiunt autem istae quaestiones, ut suo loco dictum est, in quolibet puncto; et si in primo puncto plures considerationes practicae continentur, fiunt quaestiones ac proin etiam proposita circa quamlibet talem considerationem practicam. - Res in exemplis ibidem positis unicuique facile patebit. praesertim post quamvis considerationem practicam,

2. Proposita vero sint *practica*, scilicet talia, quae vere ad vitae emendationem et ad perfectionem efficacia sint. Intelligi hoc loco illud maxime velim, ne proposita sint de aliqua tantum devotiuncula exercenda, ut, si ex meditatione de morte non aliud propositum conciperes, nisi v. g.: *dicam quotidie pro agonizantibus unum Pater et Ave, et pro obtinenda mihi fecili morte, quotidie talem vel talem orationem faciam ad B. V.* Bona quidem sunt et ista proposita, at sola non sufficiunt; sed ut proposita vere ac solide sint practica, statue, quid tibi maxime vitandum sit, quod peccatum, qui defectus emendandi; et pariter, quae virtus maxime comparanda, ut ad felicem mortem te disponas; quae item passio mortificanda et quomodo. - Talia proposita voco *practica*. Sint autem *practica*,

3. Non sint proposita *universalia* sed *particularia*. Videri possunt, quae supra dicta sunt ad quaestionem secundam: *particularia*

Quae doctrina practica inde concludenda? et ad quartam: *Quomodo hanc doctrinam ego hactenus observavi?* Quae enim ibi sunt posita, huc vel maxime conveniunt. - Illud hìc addendum circa proposita, scilicet proposita duplici fere modo fieri particularia. 1. Si versentur circa particulares casus. 2. Si aliquid particulare statuatur faciendum in casibus universalibus. - Exemplo rem breviter declaro. - Facis propositum: *patiens ero in omnibus adversis.* Hoc propositum est universale, adeoque nil valet, nisi forte pro hominibus valde spiritualibus et perfectis. Fac ergo ex universali proposito particulare: id quod duplici modo fieri potest. 1. Si dicas: *patiens ero in his et in illis occasionibus,* exprimendo eas occasiones, in quibus saepius te commoveri ad impatientiam nosti. 2. Si dicas ita: *Si quid mihi adversi occurrerit, cogitabo: hoc parum est ad infernum, quem merui;* vel: *hoc libenter feram pro amore IESU crucifixi.* - Utrovis modo propositum erit particulare, adeoque bonum; optimum vero erit, si unum idemque propositum utroque modo reddas particulare, v. g.: *Patiens ero in his vel illis circumstantiis, cogitando: hoc parum est ad infernum, quem merui, etc.* - Sic enim in ipso proposito habebis medium illud observandi.

duplici modo,

4. Sint proposita *praesenti statui accommodata.* Vide, quae dicta sunt ad quaestionem 5: *Quid mihi in posterum faciendum?* Quibus addendum hoc loco illud est, ne scilicet proposita nostra se extendant ad tempus adhuc longe remotum; ut si Novitius vel Scholasticus iuvenis faceret propositum: *Quando sacerdos ero, faciam hoc vel illud.* Talia enim proposita communiter sunt inutilia, quin etiam illusioni haud parum obnoxia. Spectent ergo proposita praesentem aut saltem proxime instantem necessitatem.

pro *praesenti statu,*

5. Immo, quotidie *aliquid* statuatur *eo ipso die exsequendum* circa vitae emendationem aut maiorem perfectionem. Facile hoc fieri potest ab iis, qui bene excutiunt conscientiam suam in examinibus et defectus suos, quos vel ipsi observarunt vel de quibus eos superior admonuit, serio cupiunt emendare. - Quae quis vere cordi habet, ea ipsi occurrunt per se et ad eorum emendationem serviet ipsi omnis meditatio, qualiscumque fuerit meditationis materia. Sive enim de amore Dei, seu de minis eius in peccatores, seu de passione Christi, seu de mysteriis eius gloriosis meditetur, seu de peccatis suis, seu de Sanctorum virtutibus, semper illum conclusio practica deducet ad suum vitium debellandum. - Id vero vel maxime faciendum, si aliquo vitio vehementius urgemur vel aliqua difficultate magis retardamur in famulatu Divino; tunc enim omnes quasi machinae, ut ita dicam, omnia tormenta bellica eo, tamquam ad scopum, erunt dirigenda, ut victores evadamus. - Hinc satis etiam illud patet, meditationem frequenter

etiam pro *praesenti die.*

debere coincidere cum materia examinis particularis, ipsumque examen particulare plurimum debere iuvari meditatione.

6. Sint proposita bene *fundata,* firmata motivis solidis. Erunt certe talia, si accurate tractetur illa quaestio tertia: *Quaenam motiva ad hanc conclusionem practicam servandam inducunt?* Vide, quae ad hanc quaestionem supra dicta sunt. - Erratur saepe in hoc, quod ubi primum videmus quid nobis faciendum sit, statim illud facere statuamus. Laudabilis quidem haec est voluntatis promptitudo, sed sunt saepe talia proposita, veluti domus sine fundamento super arenam positae, quae quovis vento tentationis aut difficultatis ingruentis convelluntur. Itaque, ut proposita sint solida, necesse est firma quaedam eorum fundamenta ponere in veritatibus aeternis sita, intellectum scilicet quam plenissime convincere de *necessitate, utilitate, aequitate etc.* faciendae vel vitandae rei, de qua agitur. Nec semel tantum aut raro talia motiva considerare oportet, quasi persuadendo sibi quod iam satis sciat motiva, cur ita facere necesse sit, sed saepe hoc idem in meditatione revolvere, praesertim circa illam rem in qua maxime laboramus, ut in superbia nostra expugnanda, aut humilitate assequenda, aut alio quocumque vitio, quo magis premimur, aut virtute, qua magis indigemus. Frequenti eorumdem motivorum meditatione descendunt illa profunde in cor et, si ad haec dein accedunt frequentes actus, habitus virtutis acquiritur.

Fundata in solidis motivis,

7. Sint proposita *humillima,* plena diffidentia de se ipso. Defectus humilitatis in propositis primaria causa est, cur non serventur, praesertim in illis qui serio proposita faciunt et veram habent voluntatem Deo serviendi. In meditatione firmiter statuunt, se ita et ita acturos, in his et illis occasionibus, ac dum ita statuunt, perspectis praesertim motivis ita agendi, occulta quadam praesumptione putant certo se iam ita facturos; quin adeo impossibile ipsis videtur, aliter agere. At tamen ubi se primum occasio offert, plerumque deficiunt. Causa huius rei est, non quod proposita non fuerint sincera, sed quod non humilia, quod sine diffidentia de se ipso suisque viribus, Deo scilicet et iuste et misericorditer superbiam nostram humiliante. Oportet itaque, ut proposita facientes simul timeamus nostram propriam inconstantiam et infirmitatem, totamque fiduciam ponamus in gratia et auxilio Divino, quod humillime in propositis implorandum est, adhibita etiam et invocata intercessione B. V. Matris, Sanctorum Patronorum, S. Angeli Custodis etc. dicendo v. g.: « Ita nunc « quidem statuo, o mi Deus! . . . ita volo facere . . . sed tamen « nil horum faciam, Domine, nisi tu adiuveris . . . Novi iam « satis, iam nimis saepe expertus sum meam propriam per- « versitatem et inconstantiam, quam ut propositis meis fidere

humilia,

cum supplici *petitione auxilii.*

« possim. - In te, Domine, speravi, non confundar in aeter-
« num. - Adiuva me gratia tua, ubi se huius propositi exse-
« quendi occasio obtulerit; tunc mihi, Domine, revoca in
« mentem veritatem, quam nunc per gratiam tuam perspexi;
« confirma tunc voluntatem meam - Quid iuvaret, Domine,
« quod me hac tua luce illustraveris, ut cognoscam quid mihi
« faciendum sit, si illam secutus non fuero! - O ergo adiuva
« me, Domine, propter nomen sanctum tuum; per merita
« IESU Christi - per sanguinem eius - per eius sacratissimum
« Cor supplico - Adeste mihi o sancti mei Patroni, - tu praeser-
« tim o Virgo SS. Mater Dei, et mea etiam Mater, quae me
« iam tantis misericordiis tuis praevenisti . . . Adesto mihi -
« impetra mihi . . . sancte mi Angele Custos, loquere mihi ad
« cor, cum illa se occasio obtulerit, et adiuva me . . . etc. » - Porro hoc summi momenti monitum tanto accuratius discamus servare, quanto frequentius nostram infirmitatem et in bonis propositis inconstantiam experti sumus.

Ceterum si voluntas ad bona proposita torpet, cogenda est, pugnando, vim inferendo, insistendo motivis, praesertim *necessitatis,* ut dictum est supra ad quaestionem 3.: *Quaenam motiva etc.,* et ferventius orandus Deus, ut animum humi iacentem erigat.

§. 3.

De fine sive egressu.

Egressus fit

Finiri solet meditatio, dicendo semel *Pater* et *Ave.* Verum non de isto egressu hìc solum agimus. Ante hoc extremum debet aliquid praecedere, quod meditationem concludat.

recapitulatione aliqua,

I. Esset valde consultum, ut si plura, ut communiter fit, proposita in decursu meditationis concepta essent, ea simul omnia sub finem colligerentur et confirmarentur. Quamquam enim hoc postea etiam in reflexione faciendum est, iuvaret tamen multum hoc loco, ante ipsum meditationis finem in oratione illud facere. - Fructus inde, praeter alios, hic existeret, ut ultima minuta meditationis essent ardentiora, cum contra frequenter accidat, ut finis ille, ubi maxime fervere deberemus, misere frigeat. Tunc igitur certe, cum nos materia sub finem meditationis destituit, tunc, inquam, saltem hac quasi recapitulatione totius meditationis omniumque propositorum utamur.

et *colloquio.*

II. Saltem debet ante *Pater* et *Ave* praecedere oratio, qualem S. P. N. vocare solet *Colloquium* directum ad Deum, vel ad IESUM Christum, vel ad B. V. aut alium Sanctum, prout fert meditationis materia. - In hoc colloquio:

1. Observa, quod supra dictum est de affectibus, non agi scilicet de verbis, sed de sensu cordis. Noli sollicitus esse,

quibus modis aut quibus vocibus tuum hoc colloquium instituas. Loquatur cor, affectus.

2. Petenda in hoc colloquio gratia, ad proposita facta exsequenda suo tempore. (Exemplar habes *notato 7. ad proposita, ut sint humilia*). Complectetur autem omnia proposita, per decursum orationis facta, etiamsi singula non enumeres.

III. Loco consueti *Pater* et *Ave* potest etiam alia quaevis oratio vocalis dici pro conclusione meditationis, quod videtur omnino ad mentem S. P. N. Ignatii. Et interponi quidem inter *Pater* et *Ave* saepe solet *Anima Christi*, quod certe faciendum, ubi de mysteriis Domini IESU fuerit meditatio. - Si de Spiritu Sancto fuisset meditatio, conveniret concludere per *Veni Creator* vel *Veni Sancte Spiritus.* - Si de beneficiis Divinis, per *Te Deum laudamus.* - Si de aliquo Sancto per orationem de Sancto illo vel ad Sanctum illum, si est aliqua ad manum. - Tamen *Pater* et *Ave* communiter de more subiungendum.

IV. Potest ultima illa oratio vocalis, si multiplex est, apte distribui intermixtis colloquiis. Modum non semel dat S. P. N. in *Pater, Anima Christi, Ave.* - 1. Petitur a B. V. MARIA ut gratiam, quam optamus, petat nobis a Filio suo Iesu Christo et subiungitur *Ave Maria.* 2. Rogatur D. N. Iesu Christi clementia, ut tamquam summus Mediator noster eamdem gratiam nobis petat a Patre suo donetque eam Ipse, siquidem *Ei data est omnis potestas in caelo et in terra,* et subiungitur *Anima Christi.* 3. Supplicatur Patri Aeterno, per IESUM Christum et propter illum, ut illam gratiam concedat, et dicitur *Pater noster;* et sic meditatio concluditur.

Denique surgitur reverenter a consortio Domini, in eiusdem conspectu manendo. Cavenda vel maxime omnis dissipatio immediate post meditationem finitam. Si exeundum statim, summa habenda est cura modestiae, ni fructum tota hora collectum momento velimus perdere. - Transeundum mox ad reflexionem, de qua pauca supersunt dicenda.

CAPUT TERTIUM

DE SERVANDIS POST MEDITATIONEM

Post meditationem sequitur de more ex praescripto S. P. N. Ignatii examen seu, ut dicere solemus, *Reflexio.* De qua praenotandum illud est, esse eam non modo utilissimam sed omnino necessariam, tum ad artem meditandi addiscendam tum ad fructum e meditatione facta colligendum. Vivitur

Reflexio

Necessaria,

quandoque diu in Religione, fit quotidie meditatio, et tamen adhuc ignoratur ars meditandi, quia aut omnino non fit reflexio, aut male fit. Fit etiam quotidie meditatio, considerantur veritates aeternae, et ad illarum lumen concipiuntur proposita vitae melioris, et tamen vivunt semper in animo eaedem passiones, haeretur in iisdem vitiis ac defectibus; id quod saepe originem habet magna ex parte in neglectu reflexionis. - Quaecumque S. P. N. ad fructuose meditandum praescripsit, horum sciamus nihil esse superfluum; omnia ita secum invicem cohaerent, ut annuli unius catenae, quorum si vel unus eximatur aut rumpatur, catena vel omnino inepta fit ad usus suos vel certe minus apta. - Nos vero, quibus, utpote filiis Societatis, praecepta S. Patris non modo instructionis, sed etiam obligationis maioris vim habent, multo minus possumus sperare Divinae gratiae in hac Sanctorum arte auxilium, si hac in parte officio nostro desimus, officio inquam, quod nobis et S. P. N. auctoritas, et instituti ratio, et consuetudo religiosa, verbo oboedientia ipsa imponit. - Principium itaque nostrum sit, alte ab ipsis religiosae vitae exordiis animo impressum, reflexionem post meditationem non esse omittendam, sed etiamsi fors immediate post meditationem impediti fuerimus, serius licet, illam tamen omnino faciendam semper, omissis potius aliis precibus ac devotionibus, quas fors pro suo lubitu quis adsciverit, laudabiles quidem, sed minus necessarias quam *Reflexionem*.

numquam omittenda.

Reflexio haec, licet a S. P. nostro ad solum examen de peracta meditatione videatur determinari, vix tamen ipsum hoc examen fieri posse videtur sine aliqua recapitulatione; quare statui solent duae veluti partes reflexionis, nempe *examen* proprie dictum et repetitio seu *recapitulatio* meditationis.

Partes habet duas.

1. *Examen.*

1°. *Examen*

Igitur absoluta meditatione examinetur, quonam modo illa successerit. - Huc pertinebit inquirere, quomodo se gesserit tam circa *praeparationem* quam circa *meditationem* ipsam.

de *praeparatione*,

Circa *praeparationem*, v. g.: An attente lecta vel audita puncta vespere? An dein servata animi collectio? An materia meditationis revocata in memoriam post cubitum, ante somnum? An mane eadem materia primum revocata, exclusis aliis cogitationibus? An affectus materiae huic conformis excitatus, tum sub tempus lotionis faciei ac manuum tum sub transitum v. g. ad Sacellum, vel alio? An quies animi

habita, praesertim immediate ante meditationem? An puncta si minus relecta, saltem revocata in mentem? An stando paulisper ante ipsum meditationis ingressum cogitaverit, quid esset facturus, cum memoria praesentiae Divinae? - Haec fere circa praeparationem.

Circa *meditationem* ipsam, examinandus *ingressus, progressus, egressus.*

1. *Ingressus:* v. g. qua reverentia, attentione, devotione facta oratio praeparatoria? An praeludia observata, praesertim secundum, petendo lumen et gratiam peculiarem pro materia meditationis? *de meditatione* ipsa eiusque *ingressu,*

2. *Progressus:* v. g. an bene applicatae animi facultates? *Memoria,* materiam attente ponderando? *Intellectus,* ratiocinando per quaestiones: *Quid de hoc est considerandum?... Quae doctrina practica? etc.* An motiva, *necessarium, utile, decens etc.* bene perpensa? - *Voluntas,* an affectibus excitandis per meditationis decursum? An propositis vitae melioris ac perfectionis serio exercitata? An propositis adiuncta humilis petitio auxilii? etc. *progressu,*

In his omnibus, an distractiones invadentes superatae vel certe non admissae? An taedium, quod fors insurgebat, devictum vel saltem contemptum? nec propterea cessatum ab applicando animo, ut melius poterat? An recursum ad praeludium primum, si illud tale fuit, ut imaginationem vagam figere ac firmare in proposita materia potuisset? An ita applicatus animus, serio, in omnibus ac singulis punctis? etc.

3. *Egressus:* v. g. an colloquium factum ardenter, cum petitione gratiae? An torpor, quandoque in fine maxime invadens, excussus? An reverenter finis meditationi impositus? *egressu.*

Denique, an ab initio ad finem usque pro viribus curaverit, ut responderet gratiae Divinae? animus serio applicatus? corporis servatus debitus situs? reverentia interna et externa? non interrupta aut abrupta meditatio sine necessitate? aut si fuit talis necessitas, an servata saltem mentis quies et animi collectio? etc.

Neque est, quod quisquam terreatur hac tanta quaestionum pro examine multitudine, quae etiam augeri adhuc multum possent. Modo sciat, quomodo sit meditandum, facile mox videbit in quo defecerit, propria conscientia indicante et accusante. Percurrendo meditationem per partes, ut diximus, *praeparationem, ingressum, progressum, egressum,* vix poterit ipsum quidquam latere defectuum, quos commiserit.

Si *male successerit* meditatio, ait S. P. N., inquiram *causas* cum poenitudine *et emendationis* proposito. Causae facile deprehendentur ex illis quae modo diximus. Si tamen in his non inveniretur causa ulla mali successus, cogitetur de praeparatione remota, de animi collectione per diem, de obser- Si *male successerit* meditatio, quid?

vatione regularum, de cordis munditie, de mortificationis studio, etc. Nam certum est, Deum saepe defectus nostros extra orationem commissos in oratione punire; ut contra, fervorem in aliis rebus ad suum famulatum pertinentibus, in oratione saepe largissime remuneratur. - Si nullam causam invenit mali successus, humiliet se tamen, putet esse causam occultam; sed ita tamen se humiliet, ut non sit propterea nimis anxius, resignata voluntate sua in Divinam. Ceterum observanda bene verba Sancti Patris: *inquiram causas cum poenitudine et emendationis proposito.* Hic scilicet primarius finis reflexionis, ut discamus meditari et assuescamus bene meditari. Si hoc ergo faceremus quotidie, quod Sanctus Pater noster hìc praescribit, facile artem illam, Divina opitulante gratia, acquireremus. - *Si bene successerit* meditatio, ait porro S. P., *gratias Deo agam, eumdem modum postea observaturus,* ut scilicet semper, ordine eodem, eadem mentis applicatione meditationem peragam.

Quid, si bene?

2. *Recapitulatio.*

Recapitulatio.

Haec *Recapitulatio* est alterum, quod in reflexione faciendum est praeter examen meditationis, seu potius cum et in examine.

Repetitur scilicet animo tota meditationis peractae series; quid 1. quid 2. quid 3. puncto fuerit propositum. Et dum hoc ordine defectus commissi inquiruntur, immo per se in memoriam recurrunt, revocatur simul: quae in singulis punctis conclusiones practicae deductae sint, quibus motivis confirmatae, quibus affectibus in animum receptae, quae proposita concepta sint. - Sicubi peculiarem illustrationem habuit, si veritatem aliquam solito clarius perspexit, si qua veritas, aut dictum, aut motivum aliquod magis animum perculit, haec recolat, regustet, ruminet, ac saepe deinceps recolenda, regustanda, ruminanda proponat; proposita per decursum meditationis facta confirmet, et exsecutionem pro tempore statuat, praevisis iterum, si fieri potest, occasionibus. Denique invocatur breviter auxilium Divinum pro fideli propositorum exsecutione.

Debitum reflexioni *tempus* tribuendum.

Haec porro omnia, licet toto quadrante communiter non indigeant (nam et S. Pater dicit: *per quartam circiter horae partem),* tamen aliquod temporis spatium dari sibi postulant, ut bene fiant, saltem medium quadrantem vel minuta 10. Bina vel terna minuta certe non sufficiunt. - Qui vero profectus spiritualis ac perfectionis vere studiosi sunt, eos utilitas summa talis *Reflexionis,* propria experientia comprobata, ad

illam accurate faciendam excitabit. Erit ipsis *Reflexio* quasi messis fructuum, quos meditatio produxit et qui sine reflexione frustra interiissent. Quin adeo non raro accidet, ut gustum devotionis, quem frustra in ipsa meditatione quaesierint, reperiant in reflexione; et si in meditatione aridi ac sine bonis desideriis ac propositis, seu culpa propria seu sine culpa, permanserint, reflexio omnia Deo dante suppleat; et ibi bona proposita forment, non minus efficacia quam si in ipsa meditatione fecissent. Verum in hac tota re plus datur experiri, quam dicere aut scribere. Incredibilis est et omnem captum superat Divina Bonitas, quae aliquam serio adhibentibus curam adest gratiis suis, ut ad maiorem in dies curam adhibendam animum sumant et maioribus a Domino gratiis vicissim liberalius cumulentur.

Industria supererogatoria.

Addi potest ad reflexionem *Industria*, qua multi magno cum fructu utuntur ad propositorum exsecutionem; scilicet eligunt conformem materiae meditationis suisque propositis, orationem aliquam iaculatoriam, quam saepius per diem repetendo et meditationem in memoriam revocant et factorum propositorum convenienter reminiscuntur. Et si, ut suo loco dictum est, meditationis fructus ad examinis particularis materiam deductus fuit, patet facile, quantum hinc lucri spiritualis sit proventurum. Proposita nostra saepe violamus, quia veritates, ad quarum lumen ea conceperamus, in mente nostra obscurantur vel evanescunt. Hoc ergo medium aliquod erit, ad conservandum hoc lumen in anima. Neque vero aliunde Sancti erant sancti, nisi quod lumina veritatum aeternarum semper habentes sibi in mente praesentia, efficaciter his, Divina opitulante gratia, excitarentur semper ad vitam iuxta illas veritates in omnibus rebus instituendam.

Notanda scripto non solum proposita, sed et lumina.

Denique negligendum non est illud monitum, quod passim dari solet et perfectionis studiosis est familiare, ut nimirum notentur scripto aliqua e meditationibus, deinceps identidem relegenda. - Notanda porro et *lumina* et *proposita*. Si sola notantur proposita, non addito aliquo ex motivis ob quae concepta sint, communiter omni vi carebunt ad sui observationem urgendam. Notentur itaque in primis lumina, idest, illae veritates bene perspectae, illae illustrationes, illae bonae cogitationes, illa motiva, quae animum impulerunt ad talia formanda proposita. Haec enim ubi dein simul cum propositis, suis temporibus quisque perleget, efficacius ad fidelem eorum observationem excitabitur. Communiter tamen haec omnia non multis verbis sed breviter et clare notanda sunt. Neque omnia proposita sunt notanda, sed notabiliora aut ea quorum se occasio non adeo quotidie offert. Quae enim quotidianas actiones vel quotidianos defectus respiciunt, multo melius prompta statim exsecutione et quotidiana praxi

retinenda sunt, quam annotatione in scriptis. - Ceterum annotatio luminum et propositorum maxime omnium facienda Exercitiorum spiritualium tempore; siquidem in illis non unius dumtaxat alteriusve diei actiones disponendae sunt, sed tota vitae ratio in totum annum, et in quibusdam rebus in totam vitam est componenda. Sed hoc veluti per transennam attigisse sufficiat.

Nil iam superest, nisi ut illud repetam unde incepi, artem meditandi esse scientiam Sanctorum, ac multo minus praeceptis hominum constare, quam Spiritus Sancti unctione ac piae voluntatis desiderio. - Omnia hic tradita documenta etiamsi optime quis noverit, nil utique iuvabit, nisi cum vero desiderio proficiendi adhibeantur, ut per se patet. Sed neque hoc ipsum proficiendi desiderium omniumque documentorum observatio proderit, nisi Spiritus Sancti accedat gratia.

Non enim est opus humanum sed divinum. Nihil tamen dubitandum, quin misericors et infinite bonus Deus volentibus sit adfuturus; nam et ipsa haec pia voluntas proficiendi

Conclusio.

in spiritu magnum est Dei donum. - Utamur itaque industriis, prout possumus, cum Divinae gratiae auxilio, et simul petamus frequenter a Domino: *Domine, doce me orare, doce meditari: da donum orationis. - Venient nobis omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius... Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.*

SYNOPSES CONTIONUM

Ex innumeris fere contionibus, quas in multis locis Albae Rossiae et Helvetiae habuit, P. Roothaan nonnullas, alias integras alias concisas, ut discipulis usui essent in codicem collegit, quem Synopses Contionum inscripsit. Qui liber, Hagae Comitis typis Th. C. B. ten Hagen a. 1884 in lucem editus, hoc volumine additis quattuor orationibus denuo profertur.

Supersunt sescentae aliae scedulae, in quibus Servus Dei contionum, meditationum, exhortationum ordinem et distributionem, latine ut solebat, notavit. Quae quidem laboris ingentis summaeque curae documenta sunt, sed adeo presse et ieiune scripta, ut typis mandare operae pretium non sit.

Manuscriptum, quod praeter titulum non est autographum, Romae in Archivo Postulationis Gen. S. I. conservatur.

IN FESTO SS. TRINITATIS

Euntes docete ... in nomine Patris ... MATTH. 28. 19.

Exordium. Ex verbis Christi proponatur istud mysterium fidei, et paucis explicetur. Tum dicat non esse de hoc mysterio indagandum: *Altiora te ne quaesieris sed quae praecepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Est ergo non inquirendum, sed honorandum mysterium. Quomodo honorandum?

Fide, Spe, Caritate. Fide, *credendo humiliter;* spe *invocando pie;* caritate, *sancte vivendo.*

Nunc versamur in tenebricoso carcere, in quo solum aliquis radius illuminat, quem radium si sequimur, perveniemus ad lumen ipsum: *Et in lumine Dei videbimus lumen. Deus lucem inhabitat inaccessibilem.*

I. *Humiliter credendo:* 1°. Hoc primum exercitium, quod a nobis exigit Deus. Maximum donum quod a Deo habemus est intellectus; hunc sibi vult per fidem offerri. *Sine fide impossibile est placere Deo; accedentem ad Deum oportet credere. Qui non credit, iam condemnatus est.*

2°. Si homini honesto fides habetur et gravis censetur iniuria, si quis ei aliquid de certa scientia a se compertum affirmanti non credat, quanto magis Deo fides est adhibenda?

3°. Nec propterea retrocedendum, quod res sint incomprehensae nobis; multa enim sunt, quae non intelligimus eorum quae circa nos sunt et quae videmus: supra nos caelum, sol, stellae, infra nos, terra, herbae, minimi etiam et vilissimi vermes, intra nos anima, ipsi nobis sumus mysterium.

Si Deum possemus comprehendere, vel Deus non esset Deus, vel nos non essemus homines.

4°. Debet ergo esse fides *humilis,* cognoscendo, quid nos simus, scilicet homines, qui non nisi aliquem habemus radium lucis et particulam aliquam intellectus divini.

5°. Interim fides est valde rationabilis, nam fundata in doctrina Iesu Christi, confirmata eius vita et morte et resurrectione. Ab apostolis rudibus praedicata miraculis et san-

guine. Ab universo mundo recognita, conservata inter tot persecutiones. Adeo ut vera sit insipientia talibus argumentis non credere.

II. *Pie invocando.*

1°. Docet hoc Christus cum primum gressum ad salutem vult fieri per invocationem SS. Trinitatis: *Baptizantes in nomine ....*

2°. Ecclesia, a Christi divino Spiritu edocta, idem docet, cum et Baptismum et alia Sacramenta administrat sub hac invocatione. In confirmatione — in poenitentia — in Ordinum collatione — omnes preces ita incipit: *In nomine .... et* concludit per eamdem invocationem: *Qui vivis et regnas ...* et Psalmis omnibus *Gloria Patri ...* adiungit.

3°. In morte etiam: *Proficiscere anima Christiana ...*

4°. Post mortem pro defuncto orans.

Sic ergo docente Christo, duce Ecclesia, tota nostra vita debet esse assidua invocatio SS. Trinitatis. Sed notandum ut sit pia et affectuosa.

III. *Sancte vivendo.* 1°. Quid prodest fides christiana, si vitam ethnicorum vivimus? *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Hoc in veteri, quid ergo in novo testamento? Vivere sicut decet Sanctos.

2°. Alias fidem nostram sanctam inhonoramus.

3°. Habemus in nobis imaginem vivam SS. Trinitatis. Quantopere cavendum ne illam conspurcemus!

4°. Baptizati in hoc nomine, sed prius debuimus profiteri quod abrenuntiemus Satanam, mundum etc. *Recapitulatio.*

Conclusio. An hactenus ergo sic honoravimus SS. Trinitatem? 1°. Pauci qui non credunt, at vero hos ad Iudaeorum Synagogam remittamus. Qui tamen credunt, credant humiliter. 2°. Qui credunt, non omnes invocant, praesertim non pie. Plurimi vero qui et credunt et invocant, sed non honorant sancta vita. Et tamen hoc praesertim.....

Peroratio, id est *Exhortatio brevis.*

DE SPIRITU SANCTO.

Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret ... Ioan. 14, 26.

Exordium. De magnitudine huius beneficii gradatim. Magnum beneficium creatio; maius quod post peccatum non puniverit; maius quod Filium dederit ad salutem; nunc, cum post Filium tam male acceptum, etiam Spiritum S. miserit, sane maximum. Sicut nil iuvaret creatos esse, nisi essemus redempti, ita Redemptio ad graviorem serviisset damnationem, nisi Spiritus Sanctus etc.

Hoc beneficium hodie Ecclesia celebrat.

Divisio.

1°. *Effectus* Spiritus S. in Apostolis et in nobis, 2°. quomodo hoc donum *consequi* debeamus.

I. *In Apostolis:* ignaros docuit, timidos et debiles confirmavit, imperfectissimos reddidit perfectos et aptos ad maximum opus conversionis mundi.

1°. *Ignaros docuit.* Describitur primo ipsorum ignorantia, ex eorum natura, ingenio, educatione, conditione; doctrina valde sublimis, vix ipsis doctissimis ex aliqua parte cognita et opere numquam ostensa; per tres annos ipsi sub caelesti magistro nihil fere profecerant, sed Spiritus S. uno momento omnes tenebras depellit, ita ut et sublimissima mysteria intelligant et ea contra doctissimos inter homines sustinere possint. Item tam sublimes et tam sanctas doctrinas de moribus tradunt, ut ipsi etiam increduli concedere cogantur, eos esse doctores mundi.

2°. *Timidos et debiles confirmavit.* Videamus Apostolos ante... praedicant ante passionem Domini sed... Petrus quam... Nunc vero, accepto Spiritu S., nulla res terret, non preces, non minae, non tormenta... (*Apostrophe ad Petrum*) Quid tibi factum, Petre? (*Responsio Petri*) Etiamsi... paratus sum, nec hoc ex meis viribus, sed virtute huius Spiritus. Itaque facti vere invicti.

3°. *Imperfectissimos reddidit perfectos.* Imperfectio Apostolorum... praesertim in materia vanitatis... Postea honoris sibi ducebant opprobria pati, *gaudentes a conspectu concilii, quia digni habiti sunt* etc...

4° *Aptos reddidit ad opus maximum conversionis mundi.* Qualis mundus convertendus: immersus vitiis, elatus superbia et stulta opinione sapientiae.... Apostoli tales, pauperes... contempti... sine splendore... sine acceptione apud homines... fecerunt tamen... Hoc miraculum Spiritus S.! Etsi nullum aliud haberet miraculum Religio sancta, hoc solum sufficeret.

In nobis: non omnibus datur Spiritus S. ad salutem aliorum, sed ad propriam salutem omnibus fidelibus.

1°. *Intellectum* illustrat. (Aliquid de effectu Baptismi, quo fit ut pueri facillime veritates aeternas intelligant, quas summi philosophi sine gratia Spiritus S. nequaquam intelligebant: *erunt omnes docibiles Dei* (i. e. docti a Deo). Item revocat in memoriam obligationes nostras: *suggeret vobis omnia quaecumque mandavi vobis.*

2°. *Voluntatem ad bonum impellit. Spiritus S. habitat in vobis; operatur in nobis et velle et perficere.*

3°. *Solatur in afflictionibus.* Ideo a Christo vocatur Spiritus *paraclitus* i. e. consolator, et impellit ad orandum in

afflictione: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* i. e. impellit ad gemendum.

Undenam tot pauperes et miseros saepe hilares videmus et sua sorte contentos, divites contra multos, qui semper conqueruntur?

Denique generatim ad salutem consequendam nos iuvat et omnino necessarius est. Sine Illo nulla merita, nullum bonum opus supernaturale, nec minimum: *nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu S.* Sine Illo impossibile salvari: *qui non habet Spiritum eius* (Christi), *hic non est eius.* Si non est eius, cuius est ?

Applic. Horrenda sententia! quomodo ergo possunt homines tam parum curare ut Spiritum Sanctum habeant... O Deus!... *non potest mundus accipere Spiritum Sanctum,* ait Christus, *quia non videt eum.* Homines scil. mundani naturam habentes angelicam simul et animalem, terrae solum et corpori adhaerent; de anima, quam cum angelis habent communem, nihil curant, quia illam non vident... nil habent in se christianum... gratiores sunt voluntates,... sordes,.... peccata... quam gratia Spiritus Sancti... Dic nobis... quomodo fortunam possimus acquirere et augere... quomodo... quomodo... etc. libenter audiemus; quomodo Spiritum Sanctum debeamus accipere, quid nostra refert?.. quid est Spiritus Sanctus?... *non potest mundus accipere Spiritum Sanctum, quia non videt illum.*

Transitio. Sane, auditores non estis vos in numero talium, vos vultis accipere Spiritum S. Iam nostis etc. (*recapitulatio*).

II. *Quomodo hoc donum consequi debeamus.*

1°. *A peccato nos mundando, quia non habitabit in corpore subdito peccatis.* Et quomodo potest Spiritus S. intrare in cor peccato foedatum, *quae convenientia lucis ad tenebras?* Ergo ad sacramenta recurrendum, ibi enim Spiritus S. datur. Sed ut bene accedant... O qualis esset ignominia, qualis pernicies, si quis etiam in Sacramento, ubi non cum homine, sed cum Deo causam agit, ficte, non sincere procederet... *Spiritus S. disciplinae effugiet fictum.*

2°. *Orando.* Apostoli quamvis certi ex Christi Domini promissione tamen oratione se disposuerunt. *Pater de caelis dabit Spiritum bonum petentibus se; omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.* Infanti datur Spiritus S. sine eius oratione ad preces matris Ecclesiae..., quia ipse petere non potest, sed adultis non nisi petentibus, *petite et accipietis,* si non petitis non accipietis quidquam.

Postquam autem acceperimus, diligenter tam pretiosum donum conservandum... praecipue inspirationes eius au-

diendae... neque tantum illis qui Spiritum S. habent sed et aliis... licet enim in illis non habitet, pulsat tamen ad ostium cordis... Mi Deus, quot pulsus eius in tumultu nostro non audimus; quot, licet audiamus, non obsequimur? quot gratias continuo negligimus? etc... *Vocavi et renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.*

DE SS. EUCHARISTIA.

Exordium. 1. *Amor Iesu erga nos.* 2. *Ingratitudo hominum erga eum.*

Ingressus in 1. partem. — Quamvis in omnibus operibus Dei nostri emineat amor eius erga nos, in creatione, in redemptione, etc.... tamen dici potest nusquam magis hunc amorem apparere quam in SS. Sacramento, ut merito Concilium Trid. dicat, hic Christum omnes bonitatis suae thesauros effudisse, merito S. Bernardus hoc mysterium vocet *amorem amorum.*

Subdiv. 1° *Manet nobiscum,* 2° *manet ut sit cibus noster.*

1°. *Manet nobiscum,* ut hunc amorem ostendat. — Etsi Iesus hoc Sacramentum non instituisset, tamen tanta fecerat pro nobis, ut merito dicere potuisset: *quid ultra facere debui?* (dicatur breviter quae fecerit Dominus ut nos redimeret), quid ergo amplius restabat?

Poterat ipsi satis esse quod peccatorum remissionem obtinuisset, caelum aperuisset, gratias meritus esset; poterat iam nos nobis ipsis relinquere; eius doctrina et exempla poterant sufficere, sed non sufficiebant haec amori Iesu. Venit tempus ut e terra ad caelum rediret, sed gravius est eius amori nos relinquere; debet abire de mundo, sed vult etiam in mundo manere; optat redire ad Patrem, sed et manere apud Fratres; Angelos sua praesentia vult laetificare, sed et homines suo discessu contristari non vult.

Quid ergo facit? invenit modum quo et ad caelum redeat et in terra maneat... Caelum gaudet corpore eius glorificato... et terra etiam... Angeli et homines... *o admirabilis amoris inventum* exclamat S. Augustinus. Recedit a nobis et manet nobiscum; recedit visibiliter et manet. Ita Salvator facit quod dixerat: *non relinquam vos orphanos;* et iterum: *ecce ego vobiscum sum* etc. Habet thronum... in caelo, ubi apud Patrem noster mediator est, sed hic etiam vult habere thronum humilem ad quem ascendamus, *ut gratiam inveniamus in tempore opportuno.* Et cur tandem ita? Utique etiam e caelo poterat nostras preces audire, et si per excessum amoris volebat adhuc nostri curam gerere post perfectum opus redemptionis nostrae, etiam e caelo poterat nobis opem ferre.

Hoc certum est et difficile est aliam causam hic invenire, nisi quia *deliciae meae, esse cum filiis hominum* (hoc mirabitur per apostrophen ad Dominum). Si adhuc bene fuisset exceptus ab hominibus, minus fuisset mirum, sed *in propria venit et sui eum non receperunt, in mundum venit et mundus eum non cognovit.* Immo tam male eum excepit et tamen voluit manere! Neque hoc satis.....

2°. *Sed manere voluit ut esset cibus noster.* Hoc iam omnem cogitationem superat; amici ostendunt suum amorem si.. si.. si.. illud iam maximum si vitam... iuxta verba ipsius Christi: *maiorem charitatem nemo habet..* Sed Christus hoc non contentus: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus.* Cibus itaque noster est corpus et sanguis Christi... minima particula, minima gutta, posset sufficere illi ad ostendendum amorem, nobis ad perfectam felicitatem; sed non... totum se dat, et corpus et animam et divinitatem suam.

Deus ipse cibus noster est, nec quidquam hic est aliud quam Deus homo Christus, et nisi essent haec velamina quae sensibus agnoscimus, nisi haec albedo, haec forma, hic gustus, nil aliud videremus, tangeremus, gustaremus quam corpus et sanguinem Christi. O sacra hostia! O Iesu in hac hostia abscondite! Quis pastor, ait S. Chrysostomus, oves suas proprio cruore pascit? et quid dico pastor? multae matres liberos suos aliis tradunt alendos. Non ita Christus, corpore suo pascit nos, se ipsum dat nobis cibum, faciens nobis spem bonam, se multo magis toto se saturaturum nos in caelo. Hic enim finis huius sacramenti; aeternae vitae escam vocat S. Hilarius, ex doctrina ipsius Domini: *qui manducat meam carnem, habet vitam aeternam.* Hinc et Christiani Africae vocabant SS. Sacramentum *vitam,* ut testatur S. Augustinus. At si deberem hic omnes effectus huius divini cibi enumerare...

Sed numquid hic ergo amor est immensus? Si nobis Dominus optionem dedisset vel iussisset petere aliquod singulare amoris documentum, num quidquam simile in mentem venisset, aut si venisset num ausus fuisset quisquam petere? nonne videretur impossibile ut homo sumeret pro cibo Dominum suum? Vere *non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis!* Et ubinam poterat magis appropinquare nobis, in quo beneficio potuit se magis coniungere? Comparatio instituatur inter donum Incarnationis et Eucharistiae. Ibi assumpsit naturam omnibus communem, hic... Ibi dedit se et factus est noster sicut quivis homo nostri similis, hic... *qui manducat me in me manet et ego in illo, et ipse vivet propter me,* hoc est *per me.* O Domine Deus! si David creationis beneficium expendens exclamavit: *Quid est homo quia magnificas eum, posuisti*

eum super opera manuum tuarum, quid nos sentire par est cum hominem super ipsum *corpus tuum,* super *te ipsum* posuisti!

Pars II. *Hominum ingratitudo erga Dominum.* Ut charitas Iesu in hoc Sacramento est magna, ita ingratitudo. Etenim an qui non credunt? (per praeteritionem: infidelium incredulitas, haereticorum perfidia, blasphemiae, profanationes) ...At in his non mirum... sed catholici ipsi... et quidem contra illa duo, per quae maxime suum amorem Dominus Iesus ostendit.

1°. *Erga eius Praesentiam. Alii raro veniunt.* Iesus: *deliciae meae*... et homines... quasi maximum tormentum esset esse cum Iesu! Est hic ut nobis benefaciat, et nos... Domos divitum multi frequentant et hic... O ingratitudo, o iniuria regis, eius palatium paulum frequentari!

Alii veniunt, sed de quo cogitant? Flectunt, orant aliquid, sed saepe in illos quadrat: *populus hic labiis me honorat, cor vero...*

Quid quod *multi ne labiis honorant?* etenim num illi qui... qui... etc. (Irreverentiae). Quam gravis haec ingratitudo, quanta iniuria (inducatur per prosopopoeiam Christus loquens). *Si ego pater, ubi est honor meus, et si ego Dominus, ubi est timor meus?*

Conqueritur Jesus de haereticis: *loquor vobis et non creditis;* an minus dolebit quod *cum cognovissent eum, non sicut Deum glorificaverunt?* an ideo quia non videmus eum? Nonne potius haec eius exinanitio deberet nostrum amorem et venerationem augere (finiat per apostroph). « O Domine vere tu es Deus absconditus, sed ad maiorem tuam offensam!»...

2°. *Erga eum quatenus est cibus noster.*

Alii nolunt communicare, vix semel in anno... Non *possum venire*... et si haberent saltem vera impedimenta, quamquam deberent omnia cedere, sed mera negligentia et contemptus et nausea est huius divini cibi.

Communicant alii tepide. O Iesu, quis hoc intelligat quanta sustineas ab huiusmodi tepidis! Ostendit se aliquando (V. Marg. Alacoque), cum se fatigatum diceret, quod raptatus esset ad quamdam animam tepidam in communione.

Quid iam dicam de *communicantibus indignis?* Vix capere possumus illam Iudaeorum ingratitudinem, et tamen sacrilegus idem facit, ut inquit S. Paulus: *reus erit corporis et sanguinis Domini.* Et quomodo reus? Non per peccatum carnificum: hi ipsum ignorabant, nos non ignoramus; non per peccatum Pharisaeorum: hi de illo dubitabant, nos non dubitamus; non per peccatum daemonum: hi ulciscebantur, nos non... Quomodo ergo? Per peccatum ingratitudinis sicut Iudas, cognoscentes sicut Iudas. Prodit sacrilegus et signo

amoris abutitur; et Iudas tamen semel tantum, sacrilegus autem... Avertat Deus ut hoc ad aliquem nostrum pertineat, nam quid habent tales exspectandum? Si aeque ingrati ac Iudas, aeque proditores ut... simile iudicium et similis damnatio illos exspectat, ac Iudas subiit.

Qui manducat.... indigne, iudicium sibi etc.; semper cogitemus quantum dolere debeat Iesus, cum id, quod ille ad salutem... hoc Christiani per incomprehensibilem ingratitudinem... ad damnationem.

DE CULTU SS. CORDIS IESU

Unus militum lancea latus eius aperuit. Io. 19, 35.

(Exordium tale esse potest). Deus, licet immutabilis, propter hominum tamen mutabilitatem nova identidem suggerit exercitia sancta, quibus eos ad salutem perducat *(apud quem non est transmutatio neque vicissitudinis obumbratio).* Ex occasione enim iniquitatis hominum novas facit oriri occasiones sanctorum exercitiorum. Error Nestorii, qui dicebat B. V. Mariam non esse Matrem Dei, ad Beatae Virg. amorem et cultum magis promovendum... error Berengarii negantis praesentiam Christi in Eucharistia ad ferventem huius sacramenti cultum, et ad institutionem festi Corporis Christi; sic ob novas hominum ingratitudines, ob tepididatem eorum sanctis famulis suis his ultimis annis aperuit thesauros SS. Cordis sui et festum institui iussit.

Opposuere se multi, ducti scilicet magis *scientia quae inflat,* quam charitate, quae aedificat. Sed Ecclesia quid tenendum sit de hac devotione satis declaravit instituto festo, confirmatis sodalitatibus, concessis gratiis et indulgentiis.

Nemo vestrum de hoc dubitat: concursus etenim devotionem vestram probat. Illud unum curandum, ut in hac devotione maius capiamus incrementum, et illam ita usurpemus sicut intendit amantissimus Iesus. Utinam possem!.. conemur hoc perficere.

Propositio et Partitio. I. Quare colendum? II. Quomodo colendum?

Probatio I[ae] partis. Praemittat mirum profecto esse, quod potuerint inveniri Christiani Catholici, profitentes se Iesum Christum adorare, qui tamen in dubium auderent vocare, an Cor Iesu coli possit? (a minori ad maius). Vulnera manuum, pedum ac lateris, an haec dignora quam Cor, pars totius corporis nobilissima? Instrumenta Passionis Domini, Crux, Spinae, Lancea..... et Cor non erit colendum? Quid?

Quod etiam instrumenta, quibus Sancti cruciati sunt, vincula S. Petri, crates, in quibus assatus est S. Laurentius, multa alia huiusmodi honorabilia sunt omnibus saeculis... et Cor Salvatoris, Cor Dei, in cuius comparatione Sanctorum sanctitas et Martyrum constantia nihil est... Etiamsi illud SS. Cor separatum esset a Christo, si iam esset mortuum, veneratione omni dignum esset... Quid nunc cum non separatum, non mortuum (ut multorum crassus est error) sed vivum, sed cum Iesu Christo, cum Verbo aeterno, cum Divina persona unitum?... Sed omissis iis rationibus, quibus vos, ut dixi, non indigetis, veniamus ad ea, quae sunt propria ad devotionem nostram fovendam.

Innumera sunt motiva, sed his tantum contentus ero.

Subdiviso 1°. *Amor Cordis Iesu erga homines.* 2° *Ingratitudo hominum erga Iesum.* 3°. *Bona, quae per hunc cultum consequi possumus.*

1°. *Amor Cordis Iesu erga homines.* Cor Iesu, ex quo fuit formatum in utero Virginis, arsit semper et ardet amore; ut oculis videmus, auribus audimus, lingua loquimur, ita corde amamus. Quis vero huius Cordis amorem queat aestimare? Quid in tota vita Iesu nisi amor? Unde illa miracula? Unde verba illa suavissima consolationis? Unde lacrimae, etiam super ingratam Ierusalem? Unde tot labores?.. Unde tot aerumnae?... Nam quid ego Sanctissimam Passionem commemorem? Sed haec omnia semel fecisse non est satis, eadem renovat semper et facit assidue. *Ecce ego vobiscum sum*... (apostrophe ad Christum et prosopopoeia) ut vobis semper benefaciam.... Hic enim in SS. Sacramento quotidie de caelo descendit. Nascitur veluti in manibus Sacerdotis, paupertatem suam, humilitatem, mansuetudinem exercet. Facit miracula gratiae, caecis spiritu visum restituit, surdis auditum, aegris sanitatem, mortuis vitam, tristibus laetitiam.... Vos appello (apostrophe ad animas fideles et devotas) qui ab hoc Domino lumen in tenebris, consilium in dubiis etc. accipitis, qui experimini illud: *accedite ad eum et illuminamini. Rex qui sedet in solio iudicii dissipat omne malum intuitu suo,* ait Sapiens. Ista omnia facit Dominus Iesus in SS. Sacramento, quae olim in vita. Quin adeo neque tu, o mons calvariae ubi sacrificium infiniti amoris completum fuit, non es adeo nobis invidendus, cum in his altaribus idem peragatur quotidie! Quid? Quod his omnibus non contentus Dominus Iesus etiam se manducandum nobis praebet, ut iungatur nobis unione tanta, quanta esse potest maxima.

Concludat Cor Iesu, ubi tantus amor resideat, amore nostro et honore esse dignissimum.

2°. *Ingratitudo hominum erga Iesum.* Quantum debet augeri amor noster, si cogitamus haec praestare Iesum, licet

homines se praebeant ingratissimos (per praeteritionem de haereticis, de infidelibus, de catholicis fidelibus).

Praesentiam eius spernunt non veniendo, ... si veniunt non orando .... illudendo per irreverentias.

Cibum se praebet .... spernunt non examinando, ... tepide communicando, ... sed quid dico tepide, quot sunt qui sacrilege?

Quis est qui Iesum amat, et non moveatur verbis Iesu: (prosopopoeia Domini ad nos) ... comparatio cum iis, quae Dominus Iesus dicit Petro, cum Iudas appropinquaret: « *Simon dormis* ... Ecce inimici mei vigilant et tu dormis? » cum applicatione ad rem nostram.

3°. *Gratiae promissae.* Transitio fieri potest hoc fere modo: Ista certe quae dicta sunt de amore Iesu et ingratitudine hominum possunt sufficere. Devotio ad Sanctissimum Cor Iesu devotio est amantium, quibus profecto satis esse debent ista, et quod sciant Iesu hanc devotionem placere. Nescit ille quid sit amare Iesum et ei placere, qui his contentus non est. Sed Dominus Iesus tamen illis non contentus, cultoribus Cordis sui promittit maxima. S. Virgini Margaritae: « Ego vero promitto etc.... » quorum verborum pondus expendat. Rationes quasdam addat, cur Dominus ita fore liberalem se erga cultores Cordis sui promittat.

Concludat: tot itaque habemus ad colendum Cor Iesu motiva, quot sunt eius beneficia in nos, quot ingratitudines hominum in illum, quot gratiae cultoribus Cordis eius promissae.

Pars II. *Quomodo Cor Iesu colendum?*

Per praeteritionem *Quid non sit?* Non enumerabo hic varia pietatis officia, quibus Cor Iesu, quot annis, quot mensibus, quot hebdomadis, quotidie coli potest ... Sciunt illa sane et exercere solent personae ad Cor Iesu devotae. Habere effigiem SS. Cordis et coram illa certas preces statis temporibus persolvere; Cor Iesu mane et vespere salutare, quoties in Ecclesiam venimus illud honorare; festum illius celebrare, et ad amoris Sacramentum in huius SS. Cordis honorem accedere; de his omnibus non dicam. Non quod non sint ista optima et sanctissima exercitia, non quod aut negligenda sint, aut reprehendenda, nam quomodo possit illud reprehendi, quod caelites Deo summe placere affirmarunt? quod Christus ipse largis benedictionibus se remuneraturum promisit? quod ipsa Ecclesia et laudat et aperto indulgentiarum thesauro, tam luculenter comprobavit? Sed illud hic attendendum, non in his exercitiis fundari cultum SS. Cordis. Quaerendum illud est, quod vel solum veram constituat devotionem, cuius non nisi media vel effectus sunt omnia illa exercitia pietatis.

Quomodo ergo colendum SS. Cor Iesu?

Quis melius nos docere potest quomodo colendum sit Cor Iesu, quam illa ipsa Sapientia aeterna, quae hominem assumens, Cor suum colendum proponit?

Praebe, fili mi, cor tuum mihi. Ecce quomodo colendum: Cor corde. Amor amore. Cor dandum est Cordi Iesu, et quidquid sine corde dederis, Cordi Iesu non placebit.

Quia si cor das, das omnia; si alia das sine corde, das nihil. (Amplificetur enumeratione et conversione).

Preces aliquas dicis; das os, labia, verba, sed si cor in his et cum his non das, nihil das. *Praebe, fili mi etc.*

Ingrederis ecclesiam, temporis ibi aliquid devotioni impendis, genuflexus Cor Iesu adoras; das tempus, das corporis, pedum, genuum obsequium, sed si cor non das, nihil das. *Praebe fili mi etc.*

Facis aliquod bonum opus, aliquem laborem offers in honorem Cordis Iesu; das manuum obsequium, das applicationem mentis, sed si cor non das... *Praebe, fili mi etc.*

Quin adeo, si omnia tua bona pauperibus in honorem Cordis Iesu eroges, si omnes vitae labores illi offeras, si omnes dies coram Cordis Iesu imagine, vel coram venerabili Sacramento orando transigas, si cor non das, nihil das... quia non illa vult, sed cor: *Praebe fili etc.* Si alia das, multo plura tibi servas, sed si cor das, das omnia, das omnia. Si cor vere offers, offers omnia: et bona et voluptates et honores, et corpus cum omnibus suis membris, et oculos et aures et linguam et manus et pedes, denique te totum cum omnibus tuis; nam si vel unum tibi reservas, non das cor tuum, quia cor etiam voluntatem tuam completitur, et voluntas totum te omnesque res tuas regit: *Praebe, fili mi etc.*

Explicet quid sit: COR PRAEBERE. Iam vero quis non intelligat quid sit: praebere cor? Praebere cor est beneplacitum Cordis Iesu unice quaerere, illi se conformare, nil admittere quod illi displicere possit; praebere cor Cordi Iesu est esse unius cordis cum Iesu; sicut de amicis intime se amantibus dicitur, quod sint unius cordis, unius mentis. Verbo: cor praebere, est ita accipere Cor Iesu pro obiecto cultus nostri, ut etiam sit obiectum nostrae imitationis.

Confirmatur. S. Augustinus dicit de cultu martyrum, quod martyres vere coluntur ab iis, qui martyrum facta imitantur.

Quanto magis hoc verum in cultu Cordis Iesu, qui ab omnibus debet imitatione exprimi; si quidem Ille solus est *via, veritas et vita.* Si omnes *quos praescrivit* (Pater) *hos praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui,* quanto hoc magis ad illos pertinet, qui huius Sanctissimi Cordis cultum profitentur?

O exundantem sanctorum propositorum fontem, sed simul o nimiam nostrae confusionis materiam! Nam quid non sanctitatis invenimus in Corde Iesu nobis ad imitationem? Et quantum nos ab illo recedimus! Cor Iesu omnium virtutum sedes: quomodo illud colere possumus sine virtute? Cor Iesu humillimum: quomodo cultor Cordis Iesu superbus? Cor Iesu mite et mansuetum... Cor Iesu patientissimum... Cor Iesu purissimum... Cor Iesu Dei amantissimum... Cor Iesu hominibus summe beneficum... Hoccine ergo colere Cor Iesu, hoccine illius levare tristitiam, et reparare offensas, si ipsi aggredimur... Non ita, non ita! cultus Cordis Iesu est cultus amoris.

Iam vero *qui servat mandata mea ille est qui diligit me. Qui non diligit me mandata mea non servat.* Cultus Cordis Iesu ante omnia requirit oblationem cordis.

Praebe, fili mi etc. Quomodo vero cor praebet cuius adeo perversa voluntas, ut aliquod bonum temporale, aliquam delectationem, aliquam sui satisfactionem, voluntati Cordis Iesu praeponat? *Praebe etc.*

Hoc ergo nobis omnes imprimanus, ita nos veros Cordis Iesu cultores... Si ad hoc igitur incumbamus, ut... si quod desideremus.... si quid patiamur.... si quae difficultas in Dei servitio... O nos felices!...

DE INDIGNA COMMUNIONE.

Qui manducat indigne reus erit corporis et sanguinis Domini... iudicium sibi manducat et bibit... I Cor. 11, 27, 29.

Exordium. Quibus verbis et culpae gravitas et poenae severitas continentur.

I. *Culpae gravitas.* Reus erit corporis et sanguinis Domini; sicut v. g. reus homicidii, reus laesae maiestatis, sic etiam...

1°. Haec culpa in se considerata (ex definitione) consistit in hoc quod in peccato communicat..... Ostendendum quam abominabile sit Deo peccatum. Odio est Deo impius et impietas eius.... Oculi Domini ad impietatem respicere non poterunt.... Peccatum vocatur in sacra Scriptura *lutum, sordes, abominatio, putredo.* Anima peccatrix et diabolus monstra sunt sibi simillima... Ergo gravissima iniuria... (antitheses).

2°. Ex comparatione *a*) Cum peccatis contra praecepta Dei... Alia peccata sunt contra praecepta Dei, hoc contra eius personam.... *Similiter* regis edicta violare minus est quam ipsam eius personam. *b*) Cum iniuriis et profanatio-

nibus haereticorum... Horrori est legere, quantas iniurias SS°. Sacramento impii irrogarint.... Describantur istae iniuriae cum affectu horroris... Dein dicatur graviorem esse iniuriam, quam sacrilege communicantes inferunt... Quis... quid... S. Bernardus ait: non minor est indignitas quam in luto calcare; immo non ita est abominabilis notabilis quaedam immundities vel peccare, quam anima peccato foedata... *c*) Cum peccato Iudaeorum... et maxime Iudae proditoris.... S.S. Patres comparant sacrilegum cum Iudaeis et maxime cum Iuda cuius iniuria gravissima fuit Christo. Christus Dominus non tam conquerebatur de carnificibus, non de ethnicis... non de populo... non de pharisaeis sed de Iuda amare conqueritur.... Unus ex vobis tradet me..... (fiat comparatio catholici sacrilegi cum Iuda) Nonne sicut Iudas?.... Nonne sicut Iudas? (et conversio).

3°. Ex adiunctis... Quis? quid? ubi? cur? quomodo? Haec in hypothesi sacrilege communicantis. Aspicite, quale alterius Iudae facinus! Ecce... (affectus cum recapitulatione et transitione..).

II. *Poenae severitas. Iudicium sibi manducat.* 1°. Paraphrasis horum verborum.... *Non dicit* reus fit iudicii.... dignus poena, non est exspectandum usque post mortem, sed: *iudicium... manducat...*

2°. Quodnam iudicium? *a*) Poenae temporales per (praeteritionem)... Haec gratia et misericordia... *b*) Derelictus a Deo.... exemplum Iudae: *quod facis, fac citius,* dixit Dominus Iudae... Ita etiam ad sacrilegum... Explicetur et ostendatur gravitas mali e consequentibus... *c*) Obcaecatio... Iudas... fiat applicatio... Desperatio de Iuda... notum est... idem dic de sacrilegis... Quare? quae ipsis spes? ad quem confugient?

Numquid ego sum Domine?.. Probet sepsum homo.

DE PRAEPARATIONE MORTIS.

Domine filia mea modo defuncta est. Matth. 9.

Exordium. Mors nemini parcit Puella... iuvenis... nobilis... dives... Sed haec quidem revocata ad vitam a Domino... Nobis moriendum semel... O quanti ergo momenti bene mori... O quanta homini erit illo momento sollicitudo!... quanta afflictio!... Prudentiae erit has afflictiones praevenire...

Quomodo ad mortem nos praeparare debemus? Consistit: 1°. *In cavendis peccatis...* 2°. *In avellendo animo a bo*

nis huis vitae... 3°. *In frequentandis pietatis exercitiis.* Haec tria sint contra tria quae nos affligunt in morte, nempe *peccata praeterita, praesens bonorum amissio, iudicii et aeternitatis timor.*

1°. *Cavere peccata.* Peccata maxime cruciant in morte, ergo illa cavere optima est ad mortem praeparatio. In hac vita quidem passim libere peccatur, nec multum sentitur istud malum in anima. *Peccavi et quid mihi accidit triste?* Sed morte appropinquante aliter iudicatur. Tunc sentitur pondus immane. *Exemplum Antiochi.* Neque id solum impoenitentes, sed etiam post poenitentiam actam. Etiam de propitiato peccato noli esse sine metu... quin etiam levia peccata in illa hora angunt, et quae nulla esse videbantur bene valenti, moribundo videntur forsitan valde ponderosa. Sicut navis, etiam magna et onerosa, dum est in aqua facile movetur, at in terram educta, etiam parva cimba vacua, gravis est, ita... In morte sentitur maxime veritas illius: *beatus qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum non stetit. — Beatus qui inventus est sine macula, quia stabilita sunt bona illius in Domino*..., Quanta felicitas tunc conscientiam habere bonam!... Caveamus ergo libere vivere... veniet tempus cum... *Ne adiicias peccatum super peccatum... ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miseribitur... Subito enim veniet ira illius*... ne etiam fidamus confessionibus si vitam emendare non curamus...

2°. *Avellere animum a bonis vitae*... Qui bonis vitae adhaerescunt, multum in morte cruciantur, ergo oportet ante mortem animum avellere... (Probetur ant.). O mors *quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* (Eccli. 41.)... (Enumeratio partium)... Si ipsa memoria, quantum ergo res ipsa! Rex ille Agag: *Siccine separas, amara mors... Non deseritur sine dolore quod retinetur cum amore.* S. Greg. — *Ergo erravimus... quid contulit nobis?*... Quid... quid... O mors bonum est iudicium tuum. Non ergo res considerare debemus quales nunc videntur, sed quales in morte videbuntur. Ipsae erunt tales quales nunc sunt; sed ad lumen cerei mortalis recedunt umbra et tenebrae, cadit fucus, apparent res quales sunt.. tunc.. hoc.. tunc.. illud. Per prosopopoeiam boni christiani libenter falsa bona dimittentis, quippe qui pridem sciret illa non donata sed commodata, nec propter illa Deum offenderet, meliora scilicet bona sperans... *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus... Uti saeculo tamquam non utentes... Praeterit enim figura huius mundi... Nihil in hunc mundum intulimus, haud dubium quod nec auferre quid possumus*...

3°. *Frequentare pietatis exercitia*... Hora illa terribilis valde, ergo... Aeternitas etiam nos terrore complebit... quia fit transitus inter spem et metum. Stetit Angelus *et iuravit in Viventem per saecula saeculorum quia tempus non erit amplius*. Describatur quam terribile sit exire et nescire quo... Ad haec tentationes, descendet Satanas ad iram magnam sciens quia modicum tempus habet... Denique victoria tentationum et mors beata est donum Dei, quod non possumus mereri, ut docet fides, sed humiliter petere necesse est, ergo... Ostendat angustias ac dolorem eorum, qui morti proximi, videntes vanitatem studiorum ac laborum suorum, sero et frustra dolent quod tam parum tribuerint pietatis exercitiis, quibus illud a quo dependet aeternitas potuissent demereri... Contra, quanto solatio futura sit illa hora, vere pietatem coluisse, sacramenta frequentasse etc. (enumerare). Adduci possunt exempla Sanctorum, sed per inductionem... (S. Hilarionis, Ioannis de Deo, Philippi Nerii, S. Didaci, S. Ioannis a Cruce, Hyacinthi, Polycarpi, Nicolai...) *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.*

Desiderium talis mortis. *Moriatur anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum similia.*

Ardens adhortatio ad praeparationem, ita instituenda, ut dictum est, at non omissa recapitulatione.

DE BAPTISMO.

Exordium... I. *Summum Dei beneficium.* II. *Nostra obligatio in Baptismo contracta.*

I. *Summum beneficium* 1°. Parabola. Puerulus, cuius pater aliquando in summa gratia apud regem... crimen laesae maiestatis committens, iusta Regis ira ad summam miseriam devenit. In hoc statu ille infans a miseris parentibus exponitur. Transit illac rex, audit vagitum infantis, iubet illum quaeri, ad se adduci... secum accipit. Parvulus ille tum nescivit quid secum ageretur, sed postea... (applicatio brevis).

2°. Ut tanti beneficii magnitudinem intelligamus, oportet attentius illud et per partes enucleate perpendere: 1°. Liberati sumus a malis, quae peccatum secum trahit. *Filii irae* ut ait Apostolus,... huius peccati effectus, culpa et poena,... Ab hac liberamur gratia Baptismi... (Refutatio circa poenas temporales, miserias vitae). 2°. Quanta bona acquisivimus...

Abluta sorde, vestimur veste innocentiae, et ut in Baptismo Christi caelum aperitur, descendit Spiritus S. et Pater dicit: *hic est filius meus dilectus.* (Potest fieri apostrophe ad baptizatum infantem). Filius Dei Patris, frater Filii, habitatio Spiritus S., totius SS. Trinitatis deliciae, heres caeli... cives et domestici Dei, ut ait Apostolus: *de tenebris in admirabile lumen suum* vocavit nos Deus.

Confirmatur. Haec dona sua confirmat Deus indelebili charactere, tamquam sigillo. Quia vero passiones relinquuntur ad victoriae lucrum, datur in Baptismo ius ad gratias actuales... Si perit, sua culpa et negligentia perit, neque ideo minus est beneficium, quod accepit... *Similia:* mendico dantur bona... naufrago navis firma... spoliato militi arma... doctus est miser opificium, instructus est instrumentis.

Conclusio cum affectu. Haec omnia bona accepimus.. quomodo aestimamus? S. Ludovicus, Rex Galliae, saepe dicebat se infinities maioris facere, quod esset christianus, quam quod rex esset; se ut stercora considerare coronam temporalis regni prae illa, ad quam ius acquisierat in baptismo. Agnosce ait S. Leo, o christiane, dignitatem tuam et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire! Quid fecimus cum donis in baptismo acceptis?.. ubi est vestis innocentiae? O quam foedata... quanta nostra debet esse confusio!

Transitio ad II.

II. *Nostra obligatio* contracta. Promissiones in baptismo fieri solitas S. Patres appellant vota omnium votorum sollemnissima. In illis continetur tota lex Dei et Evangelium... Exponantur breviter caeremoniae ante baptismum fieri solitae; *primo* infantem ferunt ad Ecclesiam, sed non intrant. Sacerdos sufflat in faciem catechumeni... ponit signum crucis in fronte et pectore... dat illi nomen Sancti etc.... monet servanda esse mandata... salem ponit in ore... inducit in Ecclesiam dicendo *Pater* et *Credo,* illinit aures et nares saliva...

Tum proponit varias quaestiones, ad quas baptizandus, vel eius loco patrini respondere debent: 1°. an abrenuntiet satanae? etc. 2°. an credat? 3°. an velit baptizari? Post expressa reponsa dat sacerdos baptismum. — Imponit capiti vestem candidam, ungit eum, dat ardentem cereum in manu, ac demum inscribit eius nomen libro Ecclesiae, dum Deus interim inscribit libro vitae.

Inter omnes circumstantias, considerandae nobis maxime promissiones. Fit pactum inter Deum et hominem. Pactum hoc signatum sanguine Iesu Christi, compositum coram angelis, firmatum coram Ven. Sacramento ac universo caelo et terra. Teste, qui?... In hoc pacto Deus promittit... baptizatus tria: 1°. credere, 2°. abrenuntiare satanae et operibus et pom-

pis eius, 3°. vivere christiane. Haec sunt promissa et vota facta in baptismo... in re gravi... obligantia sub peccato gravi ac damnatione. Si nos non implemus, nec Deus sua implebit. Cum talia sint haec pacta, dubitandam non est, quin illi, qui non implent, fiant graviter rei coram Deo. Horrendae sunt expressiones S. Patrum... comparant Christianum infidelem *filio degeneri... periuro servo... falso amico... malo civi.*

Applicatio ad nos. O quam saepe illa promissa violavimus! Abrenuntiavimus satanae.... an explemus hoc? Quid de satana... quid de pompis... quid de operibus eius?... Ubi est vita sancta? quanta nostra confusio in die iudicii (Historia de illo apostata, cui patrinus in loco martyrii albam baptismi vestem obiecit... Quid nos, cum Iesus Christus similiter nobis obiiciet...) In prosopopoeia Christi Domini *recapitulatio.*

Peroratio. Praeveniamus tantum malum. Recuperare conemur innocentiam baptismalem. Renovemus promissa. (Haec ipsa fiant in oratione).

DE STATU PECCATORIS MISERRIMO.

Exordium. 1°. Damna *spiritualia* seu in vitam futuram 2°. Damna *temporalia* seu in vitam praesentem.

I. *Damna spiritualia* sive in vitam futuram.

Peccator miserrimus nihil habet boni, merita nulla. Primo explicetur pretium meriti... Omnia opera, etiam minima, esse posse meritoria... *Sive manducatis*... Iamvero in statu peccati merita nulla...

1°. *Merita ante collecta perdita sunt. Si averterit se iustus a iustitia sua et fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur amplius*... Comparatio: Sicut navis onerata mercibus... sicut horreum frumento plenum conflagrat... sicut urbs ab hoste direpta et vastata.

2°. *Nova merita colligi non possunt.*

a) Peccator *perdidit gratiam et amicitiam Dei*... est eius inimicus... ergo nihil ab illo recipit pro vita aeterna.

b) *Non est coniunctus cum Christo.* Palmes abscissus a vite... *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.*

c) *Est mortuus Deo.* Nam vita animae gratia est... Nihil itaque preces... nihil afflictiones... nihil labores... opera eorum opera inutilia. *Telas araneae texuerunt.* Viam facit, pergit... fatigatur... sed extra... Itaque non pervenit ad optatum terminum... O quam horrendus status peccati!

Omnia perdere, nec posse amplius lucrari!.. Quolibet momento, minima bona actione posset... nunc nihil... Non sentit nunc istud damnum; sed veniet hora mortis... optabit... sed nihil inveniet... *Dormierunt somnum suum viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis... Misit ea in sacculum pertusum...*

3°. *Manet aeterna damnatio.* Nam ut est obiectum odii divini salvari non potest; ergo infernus.

a) *Separari a Deo.* Ad quem evolare anima separata a corpore desiderat ardentissime... Tormentum omnibus aliis inferni tormentis gravius.

b) *In ignem aeternum.* Si in hac vita gravissimum supplicium est ignis; quid in altera? ubi aeternus et aeternum torquebit... Quis poterit habitare de vobis in igne devorante? quis habitabit de vobis in ardoribus sempiternis?.. Atque hic status manet peccatorem; est enim odio Deo... ambulat... laetatur... Et nescit coram se sibi paratum infernum... et si in illo statu moriatur, actum fore... *Dicis quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserablis.*

S. Thomas Aquinas dicebat, se non posse intelligere eum, qui sciat stipendium peccati esse infernum... mortem esse incertam..., posse manere dies... menses... annos.. Vere stupenda caecitas!.. Sed non recogitat futura...

II. *Damna temporalia,* sive in vitam praesentem.

1°. *Deus iratus.* Hoc praecipuum omnis miseriae... Gravitas huius irae... Quis? cui?

2°. *Hinc mala temporalia omnia.* Omnes miseriae sunt amari fructus peccati... tamquam grando in caput peccatoris decidunt... Adscribimus tempori... fortunae... improbitati aliorum... Viae tuae et cogitationes tuae fecerunt haec tibi. (Explicandum per enumerationem partium...) Viae tuae...

3°. *Oratio non exauditur.* Inter haec mala gemit, orat, sed Dominus non exaudit... Posuisti nubem tibi, ne transeat tua oratio... Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum... (Remedium, animam a peccato purgare).

4°. *Conscientia torquet.* Conscientia, perpetuus peccatoris accusator et testis et iudex et tortor gravissimus, quantum hoc tormentum sit ostendit ex effectibus in desperantibus... Certe non est peccatori pax... si dicit se quietum et contentum in statu peccati, mentitur: *Non est pax impiis.* Impius quasi mare fervens quod quiescere non potest,... *contritio et infelicitas in viis eorum.* Nulla bona temporalia possunt satis solari. David in solio regni: *peccatum meum contra me est semper.*

Peroratio. Vere ergo... *qui diligit iniquitatem, odit animam suam...* Minor factus sum... Unde hoc? Peccatum.

Recapitulatio. Vide quia malum et amarum est... *Si in via Dei ambulasses, facta fuisset sicut flumen pax tua, et iucunditas tua sicut gurgites maris.* Benedictio Dei... Nunc autem... et in hac vita... et in altera vita... Visne tantum malum exspectare? Ah ne tardes converti ad Dominum Deum tuum... Estne igitur inter vos aliquis adeo infelix...?

DE NEGOTIO SALUTIS.

Propositio sine partitione: hoc negotium esse maxime, immo unice necessarium.

Prob. 1°. Christus Deus hoc negotium esse maximum ostendit et factis et dictis. *Factis.* Ideo descendit de caelo et homo factus est. Dum orat, ieiunat, miracula facit..... quid aliud spectat, nisi hoc? Mater duodennem quaerit.... *Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Daemon illum tentat ut e lapide panes faciat... *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Discipuli fatigatum hortantur, ut manducet.... *Ego alium cibum habeo, quem vos nescitis, cibus meus est facere voluntatem Patris mei...* scil. curare salutem hominum, ut nemo pereat, sed ut habeant vitam aeternam. Denique ideo passus est...

Dictis. Ipse de salute loquitur ut de re summa. *Quid prodest homini etc.... Vobis dico, amicis meis, timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam, ita dico vobis hunc timete.* Obsecrat, obtestatur suos, ut contendant intrare per angustam portam; ut violenti rapiant regnum caelorum; ut omnia pro hoc bono contemnant, opes, honores, delicias, propinquos, amicos, ipsam sanitatem et vitam. Quid aliud eius parabolae, de thesauro abscondito in agro, de margarita etc. Item, Apostolis gaudentibus quod miracula facerent, dixit Dominus: *In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.*

Prob. 2°. Non aliter senserunt aut fecerunt Sancti. Ut hoc sufficienter demonstrarem, deberem vobis depingere Sanctorum certamina, poenitentiam, abnegationem divitiarum, honorum, deliciarum, sui ipsorum... Hi facti sunt solitarii... alii divitias, coronas, sceptra deserentes, incluserunt se monasteriis... alii corpora tradiderunt ad tormenta... Martyres pro qua re?.. (enumera aliquos Martyres in particulari) omnia pro salute. Sciebant enim cum S. Paulo *non esse condignas passiones huius temporis, ad...* sciebant dignam esse his omnibus proeliis vitam aeternam... Quam multi religiosi in summa asperitate, silentio, in nuda humo cubantes, assidue

ieiunantes etc... etiam his temporibus... et haec facientes non putabant se nimium facere, et morientes adhuc in timore erant; in sacco et cilicio, in pulvere et cinere spiritum Deo reddebant... O homines delicati! quis vobis sensus esse debet, qui tam parum facere aut pati non vultis et tamen salutem vobis promittitis?

Prob. 3°. Sed et ratio et experientia idem facile nobis ostendunt, etiamsi quis non habet fidem, multo autem magis, si fidei lumen accedat.

1°. *Ratio et experientia.* Nonne scimus omnia nihil esse? Sit aliquis in summo felicitatis gradu constitutus, habeat dignitates altissimas, sit honoratus, sanus, quis finis erit? Mors, sepulcrum; caput, quod gerebat coronam, manus, quae sceptrum tenebant... corpus, quod delicate nutriebatur... Quam multi fuerunt divites et potentes... Ubi sunt?... Quam multi in deliciis vivebant... multi ex auditoribus meis habuerunt interdum dies iucundos... Quid ex illis remansit? quid remanebit in die mortis?... Vere *vanitas vanitatum et omnia vanitas,* vel ipsa ratio docet.

2°. *Fides.* Aeternitas interminabilis. Quid salus? quid damnatio?... et haec duo aeterna... et ex his duobus alterutrum infallibiliter obveniet... O vere ergo, *quid prodest homini, si... si...* Quid proderit per annos 10, 20, 30, immovero 100 aut 1000 frui omnibus voluptatibus, si aeternitas dolorum succedet? quid proderit diviti... si aeternitas... quid profuit tot millionibus reproborum, quid voluptuosis... Ah, parum refert quomodo hunc transitum, hanc peregrinationem peragamus,... sitne aliquis dives an pauper, etc.... debebit mutare conditionem. Vivat felicissime ad decrepitam senectutem,... quomodo considerabit haec omnia constitutus in morte? Iterum ergo *vanitas vanitatum,* et... et addamus: *Time Deum, et mandata eius observa, hoc enim omnis homo.* Hinc accedat ad ostendendam et deplorandam socordiam et insipientiam plerorumque nostrorum.

Utique scimus haec omnia et credimus, sed an ita nos gerimus? an salus aeterna est apud nos in salvo?... Cogitemus, quid pro caelo faciamus, et comparemus, quid pro mundo...

In rebus temporalibus, ubi agitur res magna, de hac semper cogitatur, exquiritur consilium aliorum, dies et noctes vivitur in inquietudine, media securissima eliguntur, nec quiescitur, donec negotium finiatur. An ita in rebus salutis agimus?... Quid non facit opifex pro mercede?.. miles pro stipendio et gradu?... mercator pro lucro?... ambitiosus pro honore?.. Quid dico, quid non faciunt homines ut passionibus suis obsequantur, vel potius, ut infernum mereantur? Vindictae cupidus... ebriosus... voluptuosus... et ubi,

quod optabat, consecutus est quale tormentum sibi ipsi..! Miser peccator, vere potes dicere: *Ambulamus vias difficiles, fatigamur in semitis iniquitatis.* Vere haec considerantes possumus affirmare plerosque homines non modo non tantum pro caelo agere, quantum pro mundo; immo vero ne centesimam quidem partem, sed plurimos etiam *tantum* laborare et pati pro inferno, *quantum* nec maximi Sancti pro caelo fecerunt. Ecquanam ergo potest esse maior insania?... Scriptura S. etiam singularem insipientiam notat hominum, qui salutem negligentes temporalibus inhiant. *Fecerunt,* dicit, *telas aranearum;* comparat illos parvulis.. *Quamdiu pueriIitatem diligetis* et vere... SS. Patres dicunt homines quasi iocari sibi de salute, et ludum sibi facere et ludentes illam perdere. Quid? Annon est iocari de tanta mercede, parvi eam facere.... immo nihili..., nec velle pro ea quidquam facere aut pati, cum pro rebus vanis omnia faciant? Nonne est iocari de salute, illam exponere et quasi vendere pro... O quam saepe nos ipsi ita salutem vendimus! Daemon veluti contractum inibat nobiscum... Ille ponebat... nos salutem. Quam pauci fors, qui numquam ita luserunt! O maledictus lusus, quo semper *perditur!* O emptio et venditio detestanda, qua nihil obtinetur nisi aeterna tormenta. Exemplum Henrici VIII, Regis Angliae vel Elisabethae.

Peroratio. Ah, caveamus nobis, et si adhuc lusimus, nunc saltem vidimus (recapitulatio trium illorum), vidimus... Ergo illud nobis negotium securum reddamus. Sed quodnam medium? Magni illud facere... Ah, ergo ... incipiamus ab hoc die... Si hoc negotium lucramur... Si perdimus... Estne in vobis quisquam, qui vellet locum sibi in caelo paratum perdere... et in inferno? Non est hic medium, vel... vel... Id nobis quotidie inculcemus.... et ita....

DE INFERNO.

Exordium. Tunc dicet rex his qui a sinistris erunt: Discedite a me. Matth. 25. Tale est decretum Iudicis... Enarret breviter historiam iudicii, nempe congregationem omnium hominum, separationem bonorum et malorum. Decretum pro iustis, tum pro his qui a sinistris erunt. Horrenda sententia... sed digna, quam accuratius perpendamus, ut ad salutarem timorem nos excitemus.

I. *Quantum malum sit damnatio.* II. *Cui hoc malum sit timendum.*

I. *Subdivisio* ex sententia Iudicis. *Discedite a me ... in ignem aeternum ...* Iudex in sententia pronuntianda loquitur certe, clare et sine exaggeratione.

1°. *Poena damni... Discedite a me...* A quo? a parenti...? (Comparatio a separatione ab hominibus caris vel necessariis, ut si Dominus, Princeps, Pater ... diceret: *discede a me*). 2°. Exemplum Absalonis ... 3°. Comparatio ad animas purgatorii ... 4°. Anteoccupatio, quasi animae damnatae non ita desiderarent Deum, intelligerent ... (Text. SS. Patrum). Transitio ad 2: *sed parum haec intelligimus, itaque.*

2°. *Poena sensus.*

3°. *Utraque aeterna.*

Affectus. Quis poterit habitare de vobis cum ardoribus sempiternis?

Transitio: immo *quis habitabit ...*

II. Tantum malum est damnatio, ut si ex omnibus hominibus nonnisi unus esset damnandus, merito omnes timere deberent ... Nunc autem dicitur: *Multi sunt vocati, pauci vero electi* et alii textus. Non tamen timent homines: *Pater iuste, mundus te non cognovit.*

1°. Timendum impiis, peccatoribus in peccato durantibus.

2°. Timendum iis, qui aliquando peccarunt.

3°. Timendum etiam iustis, etiam Sanctis: omnibus ergo timendum.

Peroratio. *Quis non timebit te, o Rex gentium? ...*

DE DAMNATIONE.

Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Matth. 10.

Exordium.

P. I. Miseria damnationis.

1°. Poenae animae.

2°. Poenae corporis.

P. II. Omnibus timenda.

Pater iuste, mundus te non cognovit.

1°. Non timent impii ... stulte ...

2°. Non timent, qui se poenitentiam egisse putant ... imprudenter.

3°. Non timent, qui se virtute praeditos existimant ... Etiam hi imprudenter; nam Christus: *vobis dico, amicis meis, timete ...*

Peroratio: Quis non timebit te, o Rex gentium!

DE SCANDALO.

« *Vae mundo a scandalis... vae homini illi, per quem scandalum venit* ». Matthfl 18.

Exordium. Omne malum inter Christianos fere oritur e scandalo. Si non essent scandala, pueri educarentur in timore Dei et per gratiam sanctificantem, in Baptismo acceptam, per gratias actuales, per doctrinas, sacramenta etc. facile conservarentur. Quantum ergo malum scandalum. Tantum est, ut si eius malitia consideretur, nemo possit illud committere nisi Dei et hominum hostis.

Impugnat gravissime duplex praeceptum charitatis, Dei et proximi.

Facit 1°. *Iniuriam Deo,* Facit 2°. *iniuriam proximo.*

I. *Iniuriam atrocem facit Deo.* Quo aliquid pretiosius est alicui, eo maior iniuria infertur si illud laedatur vel corrumpatur. Atqui Deo animae sunt pretiosissimae; ergo.....

Prob. minor. Deo animae pretiosissimae sunt, in quas SS. Trinitas suam beneficentiam profudit: Pater *creatione* Filius *redemptione,* Spiritus S. *sanctificatione.* Sed haec omnia per scandalum evertuntur.

Tria illa singula exponuntur cum oppositione scandali.

Creatio. 1°. Homo est opus Dei omnium, solis exceptis angelis, nobilissimum. *Minuisti eum paulo ab angelis... gloria et honore... constituisti.* 2°. Imago Dei pulcherrima. *Faciamus hominem etc.* Moyses in historia creationis, idem aliquoties cum emphasi repetit: *fecit eos ad imaginem et similitudinem suam.... ad imaginem et similitudinem suam fecit eos.* 3°. Ad singularem gloriam suam: *in gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum.*

Opponat, quanta ergo iniuria fiat per scandalum, contrario ordine ascendendo. 1°. Finem gloriae Dei evertit, 2°. imaginem deturpat, 3°. opus nobilissimum destruit.

Amplificet applicatione historiae evangelicae. *Cuius haec imago et superscriptio? Caesaris. Ergo, quae sunt Caesaris, Caesari.* Quod si contra facis, iniuriam Deo facis, contra beneficium Creationis. Sed multo gravior iniuria altera (Transitio).

Redemptio. Hoc maius beneficium, ideoque maior iniuria scandali. Verbo creavit, sed multo labore redemit. Descendit de caelo, fecit ista et ista, passus ista et ista. *Sic dilexit etc. Redempti non corrumptibilibus auro et argento, sed pretiosissimo sanguine filii Dei.* Opponat scandalum.

Amplificet. Iesus venit ut vitam haberent, scandalizans... Iesus venit ut destrueret opera diaboli, scandalizans... Iesus venit ut princeps mundi eiiceretur foras, scandalizans...

Nos dolemus, si nostrae impensae in vanum eant, Iesus... (Indignatio in ingratum, qui non in se solum, sed et in aliis infructuosum vult esse Iesus sanguinem).

Sanctificatio. 1°. *Regeneravit in spem vivam,* 2°. Fecit sponsam suam, ornavit veste innocentiae, et gratiis multis. *Spiritu S. in quo signati estis.* 3°. Habitaculum suum fecit. *Facti estis templum Spiritus S.* Opponat scandali effectus.

Spiritum S. nolite contristare... S. Paulus monet, at ipsi in se... quid, non tantum in se, sed et in aliis...? *Ut faceret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum*... scandalizans....

Conclusio. Ne cogitemus parvam esse iniuriam Dei... Nos putamus, nobis iniuriam fieri, si quis nostra consilia evertit... An Deus...? (cum recapitulatione) *Noli destruere opus Dei.* Transitio ad partem II.

II. *Iniuriam atrocem proximo.* Prob. *Privat eum bonis, affert mala.* 1°. Spoliat animam omnibus, quae eam charam Deo reddebant: veste innocentiae, gratiis, meritis, quorum singula, sint minimi etiam gradus, quam pretiosa!... Caelum ipsum eripit... Amplificet comparatione aliorum bonorum fortunae, famae, vitae.

Verumtamen animae illius serva... Transitio.

2°. Affert mala... et quidem nil minus, quam aeternam damnationem.....

Quanta haec crudelitas! quam dignum factum illo, qui *homicida est ab initio.* Sed quantam talis iniuria meretur poenam, quam spem salutis habere potest? Certe, sicut animum salvasse vel e purgatorio eripuisse, salutare est, ita contra vel unam destruxisse... Illa vindictam clamabit... et Deus ipse: *sanguinem eius de manu tua requiram.*

Anteoccupatio. Nos tanti criminis non sumus rei.

Variis modus committitur 1°. De Industria. Hoc vere diabolicum. His: quid dat vobis tantum zelum pro diabolo...? quod viri apostolici pro salvandis animis... non mirum... sed diabolus, quid pro vobis fecit, quid promittit...? 2°. Non tam directe, sed tamen vere. Sicut qui non intendens quidem occidere omnino, sed tamen illud, ex quo provideri potest... mala exempla... neglectus admonitionis... et haec quam frequentia! *Quid sunt, quid illis*... etc.

Peroratio, recapitulatio... Ne scandalum accipiamus. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*

DE PECCATO MORTALI.

Exordium. I. Quid *sit* peccatum. II. *Effectus* peccati.

I. *Quid sit peccatum.* Ponatur definitio peccati et inde deducatur:

1°. *Est offensa Dei.* Probatur: offendimus aliquem, cum ei damus causam irae, damus autem causam irae, cum negligimus, quod ille iure a nobis requirit, vel facimus id, quod scimus esse contra voluntatem eius. Sic filius patri, servus domino dat causam irae, quando... et novit bene quivis filius, quid..., quivis servus, quid... En igitur Deus Pater noster... Deus Dominus noster... *Ipse fecit nos et non ipsi nos... Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te?* (Moyses) Si ergo Deus est Pater et Dominus, et si pater et dominus merito irascitur servo, filio inoboedienti, quanto magis Deus offenditur?... *Si ego Dominus, ubi timor meus? et si ego Pater, ubi est honor meus?*

2°. *Est contemptus Dei.* Ipse Dominus ita conqueritur de peccatoribus: *filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me... Deliquerunt mihi et spreverunt me...* et passim ita in S. Scriptura dicitur, nec de valde impiis solum, sed etiam de Davide, viro alias sancto: *non recedet gladius de domo tua eo, quod despexeris me.*

Et vere quis non videat in peccato contemptum Dei includi, et contemptum atrocissimum? Peccator enim:

a) Scit de voluntate et de mandato Dei; concurrit ex una parte aestimatio Dei et ex altera propria cupiditas. Si maioris faceret Deum, quam istam cupiditatem, hanc omitteret, nunc vero cum in hoc certamine suam cupiditatem sequatur, maioris facit hanc quam Deum et vere illum spernit. *Exemplum Adami et Evae.* Spernit autem Deum, spernit simul omnia Dei attributa, et promissa et minas, et caelum et infernum.

b) Quod vero facit hunc contemptum atrocissimum, est, quod committatur iniuria Domino praesenti et intuenti. Quod servus in absentia domini non oboediat, non est tam mirum; sed quod in conspectu domini... Talem ergo contemptum quem vix ullus servus domino suo exhibere audeat, exhibet peccator Domino... Scit peccator Deum hoc prohibuisse, scit Deum odisse et intueri; tamen facit, quod vult; et si non verbis, at factis ita dicit: (*Prosopopoeia peccantis*) Scio quidem... scio... scio... Deo hoc displicere... sed hoc mihi placet... *Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea et dixisti: Non serviam.*

(Exclamatio et in exclamatione transitio).

c) *Ingratitudo intolerabilis* (per apostrophen ad peccantem). Etenim peccator, quis tibi dat, quod... Considera te a capite... totus es donum Dei... quot habes capillos in capite... tot eius curae de te; quot momenta vitae tuae... quoties spiritum hauris... toties Dei... Immo, hoc ipso momento, quo peccas... (Posset afferri exemplum Iosephi Patriarchae, cui impossibile videbatur dominum suum Putipharem offendere... et homo Deum offendere non horret)...

d) Breviter et hoc insuper *pro qua re?*... Si propter vitam conservandam... sed ad inanem voluptatem... pro mero nihilo...

Recapitulatio, et concludat esse ergo vere malum in se tantum, ut omnem nostram ideam superet, unde nec pro uno peccato satisfieri ab ulla creatura possit, neque ab omnibus etiam possibilibus. Ideo Christus pro peccatis mori debuit.

II. *Effectus peccati.*

Cum peccator adeo offendat Deum, non mirum, si Deus eum odio habet.

Miserias et poenas huius vitae per praeteritionem enumeret; dicat, se hoc praetermittere, non quod non sint magnae miseriae ac tristes effectus peccati, sed tamen quia nihil sunt comparatione damnorum, quae peccatum animae infert. — Itaque sola damna spiritualia.

1°. *Privatur anima vita sua,* non illa quidem, quae est immortalis, sed gratia Dei, quae eius vita vera est, sine qua ei melius esset, numquam exstitisse. Ostendat pretium gratiae. Per hanc anima est Deo grata, est sponsa Christi, tabernaculum Spiritus S. O si sciremus, quantus sit thesaurus gratia Dei, quid non faceremus ad illam servandam? Quod si eam perdere contingeret, quam doleremus, quam curaremus recuperare... Quid non fecerunt Sancti pro gratia Dei conservanda!... Hoc tantum bonum perditur per peccatum.

2°. *Privatur pulchritudine sua.* Pulchritudo animae summa. *Paulo minus ab Angelis*... Imaginem habet pulcherrimam SS. Trinitatis. Tam pulchra est, ut Christus pro illa vitam et sanguinem dederit, nec putaverit se magno nimis pretio eam redimere. Per peccatum omnis pulchritudo perditur. Fit tam foeda, ut parum a diabolo differat, quia ipsa quodammodo fit diabolus, dicente Domino, non solum *peccantes esse ex parte diaboli, sed etiam peccatum esse diabolum.*

3°. *Privatur iure ad regnum caelorum et omnibus meritis.* Anima in gratia Dei est heres caeli; nomen eius scriptum est in libro vitae; paratur locus in caelo et gradus gloriae pro ratione bonorum operum; nullum etiam minimum opus manet sine *mercede*... *haustus aquae*... *omnes capilli* iustorum *numerati sunt*... id est, minima etiam bona opera, iuxta

interpretes. Ergo quot per annos multos... Sed quid? Unum heu peccatum mortale sufficit ad haec omnia perdenda... (resumat superius dicta). Sicuti *cum convertitur peccator, omnium iniquitatum eius non recordabitur amplius Deus, ita cum iustus etc....*

4°. *Remanet ergo peccatori pars... infernus.* Audite et tremite. Deus est infinite bonus, iustus, misericors. Is tamen Deus... pro uno peccato... animam... damnat ad infernum... Tremenda vox Infernus! (Quid sit infernus describat breviter).

Quam terribile igitur malum etiam unum peccatum mortale...! In qualem abyssum malorum deturbat!

Recapitulatio utriusque partis. Peroratio. Ad eos, qui in peccato iacent... *Noli dicere: peccavi et quid accidit mihi triste...* Ad iustos, peccatum ut unice timeant, unice horreant; nil recusent facere, nil recusent pati, ut hoc malum evitent. Ad omnes: *iniquitatem odio habui et abominatus sum.*

Oratio ad Dominum Iesum.

DE OTIOSITATE.

Quid hic statis tota die otiosi? ite et vos in vineam meam. Matth. 20, 6-7.

Exordium. Ita dominus vel herus Evangelii in hac parabola et arguit et ad laborem vocat. *Quid hic statis otiosi?* (Exprobratio). *Ite in vineam meam.* Haec Salvator in parabola, sed ad quem haec verba diriguntur? Ad me auditores et ad vos, ad omnes nos pertinent. Ut in Adamo peccavimus omnes, ita omnibus imposita poena: *In sudore vultus tui comedes panem tuum.* Iuvenes, adulti, pauperes, divites, omnes, ut ad mortem, sic ad laborem sunt condemnati. Sudare, angustiari, laborare sive manibus sive capite, sive externis laboribus, sive internis curis, laborare necesse est unicuique, alias nec dignus pane, quem manducet. *In sudore vultus etc. Si quis non vult operari non manducet,* ait Apostolus. An agnoscimus hanc obligationem? Nescio. Sed hoc scio, otiositatem non solere haberi pro magno malo in mundo et propter hoc ipsum valde commune esse hoc vitium. Itaque non aliam quaero materiam dicendi nisi hanc ipsam de otiositate, ut vobis ostendam otiositatem vere magnum esse malum; vere magnum malum, sive *in se* consideretur, sive *in suis effectibus.* Audite, quaeso, diligenter omnes, nam fors vix invenietur inter nos, ad quem haec doctrina non pertineat.

Quid autem est *otiari?* Estne solum nihil agere, nulla omnino re occupari? Ita quidem putant aliqui, sed gravis est error. Existimant eum solum otiari, qui, compositis in sinum manibus, nulla omnino re distineatur, nihil agat, nihil faciat. Sed non ita. Otiari est etiam *male* facere, quod facis, vel *aliud* facere quam facere debes; facere id, quod nec facienti, nec aliis prodest, nec ad finem, ad quem nos Deus in mundo constituit, inservit. « Magna pars vitae, dicebat quidam Philosophus loquens de magno numero otiosorum, effluit nobis nihil agentibus, maior male agentibus, tota aliud agentibus ». Ita ille Ethnicus; et quod dicebat verum est, et magis verum quam ipse putabat.

Applicatio ad varios casus....

Non magni quidem hoc malum aestimatur inter nos... sed aliter iudicare iubet Deus... et hoc est quod vobis persuadere volo.

I. Itaque dico otiositatem *magnum esse malum* consideratum *in se.* Magnum malum, nam certe peccatum est, maius minus, sed certe peccatum est otiositas et *trahit post se poenam.*

1°. Si hominem otiositate tempus conterentem interrogamus: Quid fecisti per tam longum tempus? per tot horas quid fecisti? responsum eius est: *Nihil feci,* et putat hanc rem esse plane innocentem, itaque nec erubescit sed audacter et sine pudore repetit: *Nihil, nihil feci.* Nihil fecisti? Ergo sat multum mali fecisti, dicit Chrysostomus. Quid est inquit, si haberes servum, qui nihil faceret, nullum obsequium praestaret: non putares eum dignum poena? Certe quidem et quare? inquit S. Doctor. Utique nil mali facit, conservos et domesticos non afficit iniuria, domum non evertit, domesticam supellectilem non corrumpit, nullum facit malum, sedet aut iacet quiete, nil facit... Atqui ob id ipsum puniam illum, quia nihil facit!... An ille propterea servus est ut nihil faciat? Et quare ergo, inquit S. Chrysostomus quare tu, qui servus Dei es et esse debes, te putas innocentem coram Deo, cum nihl facias?

Nihil feci... An ad hoc tibi Deus dedit vitam, ut nihil faceres? an ad hoc tempus pretiosum tibi concedit cuius quodvis momentum infinitum habet pretium, nempe pretium beatae aeternitatis?....

Nihil feci. Ergo perdidisti tempus et cum tempore omnia bona, quae bono usu temporis consequi poteras. Ergo frustra accepisti hoc pretiosum talentum a Deo et nescis, ob hoc solum servum pigrum damnari?

Nihil feci. Ergo etiam nil apud Deum meritus es; ergo per hoc tempus frustra fuisti in hoc mundo, frustra vixisti; cum manducas, cum bibis, cum necessaria relaxatione uteris

aut quiete, Deo omnia offerre potes, meritum pro his omnibus habere apud Deum; sed cum nihil facis, cum otiaris, offerre hoc Deo non potes, meritum non habes ullum, et quid dico meritum nullum?....

2°. *Amen dico vobis,* inquit Christus Iesus, etiam *pro uno verbo otioso rationem reddent homines in die iudicii,* hoc est poenam ferent. Pro uno verbo otioso, quamvis non malum, sed vanum tantum; pro verbo, quod nec dicenti nec audientibus prodest nec ad utilitatem est prolatum. Si unum verbum otiosum, quod non plus temporis quam unum momentum absumit, tam severe iudicabitur, sicut dubitare non possumus, nam hoc affirmat ille Deus, qui nos iudicaturus est, quid ergo otiosae cogitationes et otiosa opera et totae horae otiositate consumptae? Aut putamus haec esse innocentia coram Deo, et longa otiosa colloquia impune nobis abitura? Nequaquam... sat magnum malum est nihil facere boni, et ut certe peccatum est otiositas, ita certe post se trahit poenam.

Non possumus quidem decreta iustitiae divinae inspicere, ergo nescimus qua poena Dominus meram otiositatem sit vindicaturus; sed etiamsi Dominus ita misericorditer puniturus esset, ut tot solum horas pateremur in purgatorio, quot otiosas consumpserimus in mundo, o mi Deus, quam severa haec iam esset poenitentia! Et tamen fors multo longiorem exspectare oportet! Severior est haec sanctissima iustitia quam nos comprehendere possumus... Poena, quam Deus constituit, diutius solet durare quam peccatum... pro eo tempore, in quo non est factum satis voluntati Divinae fors multo longius erit poenitendum. Pro diebus, quibus Israëlitae visitantes terram promissam non satisfecerant consiliis divinis, imponit eis poenam ut quadraginta annos errarent in deserto. *Per 40 annos,* verba sunt divini decreti, *eritis errantes in hoc deserto iuxta dies 40, quibus considerastis terram..., annus pro die computabitur.* Quid, si etiam nos audiemus tale decretum ob otiositatem, tot horas, et hac in unum collectas, tot dies consumpsistis frustra, nunc poenam sustineatis et patiamini totidem annos in flammis purgatorii.

II. Haec autem dico etc., considerans solum otiositatem in se, qua parte potest esse minus noxia. Quod si consideremus qualis sit *in eius effectibus,* longe *gravius* apparebit *malum* et longe *duriorem* post se trahet *poenam,* ita ut non solum purgatorium, sed etiam infernus ob otiositatem timendus sit.

Considerantes Theologi decretum Dei, per quod hominem lapsum damnavit ad laborem, hanc iustam faciunt reflexionem: istum laborem non solum esse poenam peccati, non solum poenitentiam, a iustitia divina homini impositam, sed etiam esse remedium ab eius benefica Providentia prae-

scriptum, quo praeservetur a novis peccatis, adeo ut, qui hoc remedium negligat, fieri non possit, ut diu in virtute possit consistere. Quo fit, ut is qui non laboret, brevi hac otiositate in alia gravia crimina prolabatur, qui est effectus maxime horribilis, per quem otiositas revera primus esse solet gradus ad infernum.

Etiamsi Spiritus S. hoc non diceret, ipsa infelix experientia nimium quantum confirmaret hanc veritatem, otiositatem solere esse scholam in qua homines omnia et pessima discant crimina; in otiositate maxime diabolum malas cogitationes cordi ingerere; in otiositate prava desideria accendi, in otiositate excogitari modos, quibus satisfiat malis passionibus, in otiositate saepissime perveniri ad committenda maxime abominanda.

Omnia haec complectitur illud infallibile verbum Spiritus S.: *Multam malitiam docuit otiositas.* Docuit otiositas crimina, quae quis sine otiositate nec novisset umquam.

Revera, inquit S. Augustinus, exponens haec verba Ecclesiastici, percurrite mente horrenda exempla, quae Scriptura S. nobis proponit, et ad oculum videbitis quam verum sit hoc oraculum. Ubinam Israëlitae post tot miracula coram conspecta, post toties repetitam protestationem fidelitatis erga Deum verum, ubi didicerunt idololatriam? Quid eos ad hoc crimen perduxit? Quis crederet, nisi S. Paulus expresse affirmaret hoc detestabile scelus fuisse effectum otiositatis: *Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere.* A lusu ad petulantiam, a petulantia eo pervenerunt, ut cum vitulum ex auro fudissent, hoc idolum ut Deum adorarent. Interrogate Prophetam, quomodo Sodoma facta fuerit tam perita criminum ad illud usque tempus ignotorum et inauditorum, et discite otiositatem fuisse initium iniquitatis illius abominabilis urbis. Quid Davidem, virum secundum cor Dei, Prophetam adeo sanctum, regem, de quo ipse Dominus gloriabatur eum facere omnem voluntatem suam, quid eum fecit adulterum et homicidam? Otiositas. Cecidit in hoc duplex peccatum eo tempore, cum post quietam pomeridianam, cum surrexisset e lecto suo, nulla re occupatus per atrium sui palatii obambulabat. Ibi ei hostis tetendit insidias et ad tam foeda eum crimina perduxit. Quid Samsonem perdidit? Iterum otiositas. Ille heros populi Dei invictus quamdiu habebat quid ageret cum hostibus, turpiter a femina captus est, cum otiosam et effeminatam vitam agere coepisset. Et Salomon, dilectus Deo Salomon, non primis annis regni sui, quando circa aedificandum templum diligenter laborabat, non tum cecidit, sed cum finita fabrica et omni labore, in pace otiaretur, tum demum foeda passio illum obcaecavit. Ah fratres mei, ita concludit S. Augustinus, non habemus nos solidiorem

virtutem, quam illi magni viri, non sumus nec sanctiores quam David, nec sapientiores quam Salomon, nec fortiores quam Samson! ceciderunt in luxuriam, ceciderunt per otiositatem, quid nos timendum non habemus, si otiositatem non vitemus?

Ita S. Augustinus, et ego... ad haec antiqua exempla, quibus alia superaddere multa possem, etiam vestram propriam testor experientiam et conscientiam. Quaero ex vobis, auditores, ex vobis, chara iuventus nam vobis maxime vellem profunde hanc doctrinam imprimere, quaero ex vobis omnibus, quicumque tam infelices estis, ut innocentiam perdideritis, ut aliquando mortaliter peccaveritis, quandonam, quando in hanc horridam cecidistis miseriam? An tunc cum serio alicui labori eratis occupati? Non, dicam audacter et non errabo, non tunc, sed quando otiabamini. Revocate in memoriam cum horrore infelix illud momentum, quo primum peccastis, et certe vobis cor vestrum hoc, quod dico, testabitur. Immo quaero ulterius: si qui sint tam infelices, ut in habitu aliquo sint peccandi, quando vos soletis in vestrum peccatum prolabi? Quandonam, non obstantibus millenis protestationibus et promissis ad pedem confessarii et coram Christo Iesu in SS. Sacramento factis, quandonam, non obstantibus his omnibus, sinitis vos a diabolo et a passionibus vestris superari? An tunc quando laboratis serio? Dicam audacter et vestra conscientia vobis idem dicet: non tunc! Sed quando otiamini, quando mentem vestram nulla re bona occupantes per otiositatem daemoni accessum datis ad cor vestrum. Et hac occasione dicam etiam hoc, quod unanimiter docent theologi et Sancti, sicut ex otiositate talia peccata suum habeant initium, sic et capere incrementum. Quapropter si tales otiositatem non vitent, nunquam suum habitum vincent. Itaque omnem perdent spem salutis, peribunt, damnabuntur; nam in habitu peccandi manentibus salus speranda non est. Ecce horrendos effectus otiositatis, qui tandem in aeternam damnationem desinunt. Vos autem felices hic inter nos, qui habetis adhuc integram innocentiae vestem, cavete otiositatem, si illam vultis servare; estote cauti, cauti simus omnes.... Antiqua erat SS. Eremitarum sententia, qui licet sancti non fidebant sibi sed otiositatem semper timebant. Illorum erat sententia hominem laborantem ab uno diabolo infestari et communiter frustra, in otiosum innumerum exercitum daemonum impetum facere solere, eumque facile superare.

Peroratio. Horreamus ergo otiositatem, quum ut vidimus, magnum sit malum et in se consideratum et in suis effectibus. Nemo erit civis regni caelestis, inquit Augustinus, qui otiositatem amaverit. *Regnum caelorum vim patitur et* non desides, non otiosi, sed *violenti rapiunt illud.* Milites hic sumus

semper circumdati ab hostibus, qui nostram quaerunt perniciem; quomodo non peribimus si depositis armis pigritabimur? Operarii sumus vineae, quam Dominus nobis commisit. Vinea nostra anima nostra est, si autem laborare circa illam cessemus, quid aliud ibi crescet nisi spinae et tribuli peccatorum. Navigamus in procelloso mari huius mundi, si compositis manibus cimbae nostrae non attendimus, certe in scopulos impinget, peribit absque auxilio. Laboremus semper, semper aliqua re occupati curemus, monitum hoc est S. Hieronymi, ut sive Deus nos invisat, quemadmodum semper nos respicit, sive daemon in nos impetum faciat, qui semper circumit *quaerens quem devoret,* curemus, ut nos et Dominus et amator noster Deus, et hostis noster infestissimus diabolus semper inveniat occupatos. Quod si fit, daemon nos non vincet et Dominus non ut servos pigros puniet, sed amabit nos et eam dabit mercedem, quam pro fideli famulatu promisit. O amabilissime Iesu, tu ab infantia ad extremum usque halitum in cruce, in continuis fuisti laboribus pro nostra salute, Cor tuum sanctissimis affectibus erga Patrem, et in mundo vivens et nunc in SS. Sacramento, sese elevabat et elevat; dimitte nobis nostram multiplicem otiositatem, et da nobis amorem laboris, da salutariter semper mentem et cor occupare, ut tibi servientes tui esse mereamur in aeternum.

DE DEVOTIONE ERGA B. V. MARIAM.

Ecce ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum » Luc. 1.

Exordium. His verbis B. Virgo suum expressit consensum in magnum illud mysterium, ad quod Deus illius opera uti constituerat, et pro quo perficiendo Archangelum Gabrielem nuntium ad eam misit... Magnum sane mysterium! honorabilis legatio!... (exponat breviter Evangelium). Missus est *Quis?* Nobilis ex se, sed nobilior ratione eius a quo mittitur et causa in qua mittitur; *ad quem?... in quo negotio?...* Non cum iussu... non cum simplici nuntio... sed cum salutatione... Terretur Virgo humillima, sed illam assecurat angelus, et magnum illud negotium proponit. Dubia virginis solvit, et haec desideratissimo suo responso fit mater Dei: *et verbum caro factum est.* Haec est historia huius mysterii, quod attulit salutem mundo et Mariam ad sublimissimam dignitatem evexit... Gratulantes Mariae de hac dignitate, consideremus illam paulo attentius in honorem B. Virginis et ad nostram utilitatem.

Duo sunt genera hominum quae in iis, quae ad beatam

Virginem pertinent errant: alii non colunt, alii non recte count. Utrosque edocere potest ipsa haec dignitas Matris Dei.

Pars I. *Est colenda quia est Mater Dei.* Debemus illam colere veneratione post Deum maxima.

Ingressus. Maria est Mater Dei, sic credunt omnes fideles. Haeresiarcha quidam ante annos 1400 fere hanc veritatem ausus est impugnare, sed eum Ecclesia damnavit et errorem eius ad inferos deturbavit unde exiverat, confirmando Mariae hunc titulum in concilio Ephesino. Hoc est fundamentum huius cultus.

Subdivisio. 1°. B. V. Maria est omnibus creaturis excellentior. 2°. Habemus erga eam maximas obligationes, quia Mater Dei est. 3°. Est potentissima apud Deum. 4°. Est mater benignissima in nos (*haec duo ultima tantum innuenda erunt*).

Probatur 1ª Subd. pars. 1°. Per similitudinem. Mater monarchae, etiam si non habet peculiares dotes, iam colenda est a subditis quia mater...

2°. Maria electa in Matrem Dei singulares dotes accepit, Consuetudo Divinae providentiae, quae si aliquem eligit ad aliquod officium dat etiam etc.... Sic apostolos elegit.... intellectum illustravit, voluntatem confirmavit, donum linguarum, miraculorum... Hinc ex eius electione Ecclesia concludit Mariam accepisse singulares dotes... Si est Mater Dei, est immaculate concepta... *Nondum erant abyssi* (*abyssus peccati*) *et ego eram concepta,* et cur hoc convenerit... Si est Mater Dei, ergo fuit semper libera ad omni peccato actuali: Ita S. Aug. *ob dignitatem Matris Dei,* et applicat textum « *Tota pulchra es amica mea et macula non est in te* ». Si est Mater Dei, superat perfectione omnes Sanctos et omnium Sanctorum merita. *Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri... Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Immo etiam super omnes Angelos, *quanto excellentius nomen hereditavit.* Sic Ecclesia ob hoc fundamentum, quod Maria est Mater Dei, tribuit Ei laudes summas... Dominam Angelorum... Reginam caeli... et denique quo magis tantam dignitatem considerat, eo magis videt suam impotentiam ad laudandum, et exclamat cum S. Augustino: *Sancta et immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti...* quia es Mater Dei. Brevis repetitio et conclusio huius primae subdivisionis.

2ª. *Subd. pars:* Est Mater Dei, habemus erga eam maximas obligationes. Fuit quidem electa a Deo, ut esset mater filii eius, sed tamen non facta est mater sine suo consensu. Non debemus ita considerare dignitatem Matris Dei, ut non etiam ponderemus difficultates, quas haec dignitas secum afferebat.

Enumerentur breviter difficultates, quas haec dignitas connexas habebat... (educatio infantuli Virgini, quae virginitatem elegerat ut ab omnibus curis esset libera, ipsa nativitas, fuga in Aegyptum et mansio ibi per plures annos, afflictiones in vita Domini publica, martyrium in eius passione), ad quae omnia (sibi revelata) obtulit se Maria cum angelo dixit: *ecce ancilla Domini, fiat mihi etc.* Verba quae non tam acceptationem dignitatis videntur indicare quam resignationem in magnos labores. Hinc Ecclesia cum S. Augustino: *O Beata Maria, quis tibi digne valeat iura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu (in dignitatem Matris Dei, et in passionem Filii tui) mundo succurristi perdito!*

Sine hoc eius consensu non haberemus Iesum, non habuissemus illud corpus, pretium redemptionis nostrae, non fuisset effusus ille sanguis... adhuc essemus...

Et haec est causa cur SS. Patres Mariam, quatenus Mater est Dei, vocant genitricem salutis, cooperatricem ad opus redemptionis, redemptricem, mediatricem. Sicut Iesus Christus sic aliquo modo Maria. Hinc transitio facilis ad 3. et 4. subdivisionem.

Probatur 3. et 4. subd. Maria *est potentissima apud Deum* et erga nos *mater benignissima.*

a) Omnia potest mater Omnipotentis. *Si voluntatem timentium se facit Deus,* etc. quanto magis Matris? Fuit matri subditus in terris, etiam in gloria illam non contristabit.

b) Ut mater Dei coniunctissima cum Deo est certe misericordissima, in visceribus suis portavit ipsam Misericordiam; vidit quantum Filius amet peccatores. Omnes sumus filii doloris eius et quanto magis pro nobis passa est tanto magis nos amat, ut labores sui et Filii non pereant.

Hoc ergo velut fundamento innixa, Ecclesia inspirat nobis tantam fiduciam in Mariam, *quia est Mater Dei,* docens hunc eius titulum continuo repetere. Sive in salutatione angelica: *Sancta Maria Mater Dei...*, sive in litaniis, *Sancta Dei genitrix,* sive in antiphona, *Sub tuum praesidium...* semper hunc titulum commemorat, quasi vellet Mariae in memoriam revocare quod Sanctus aliquis dixit: non fuisset facta Mater Dei si non fuissent peccatores.

Conclusio 1^{ae} partis cum recapitulatione et transitione ad 2^{am} En igitur, Christiani, cur debeamus Mariae venerationem post Deum maximam. En in quo fundetur cultus, quem Mariae reddit Ecclesia et reddet semper, calumniantibus, frementibus nequidquam eius hostibus. Nec dubito quin omnes mei auditores Mariam colant, sed fortasse non omnes ita colunt, ut colere Matrem Dei oportet. Accedamus ergo ad 2. partem.

Pars II. *Maria colenda est praecipue bona vita.*

Sunt homines qui... leges divinas et ecclesiae violent et putent se esse *devotos Mariae.* Qui ita facit, 1°. non honorat Mariam, 2°. non conciliat sibi eius protectionem.

Praemittitur universim sanctitatem christianae religionis requirere ut semper ad vitae sanctitatem tendatur. Hinc qui non bene vivit nec honorat Mariam nec meretur etc.

Probatur 1°. *Non honorat Mariam.* a) Maria... Mater Dei est sanctissima... Itaque qui eam honorare eique placere velit, debet curare ut eius virtutes imitetur. (Potest illustrari similitudine aulicorum et famulorum, qui ut principem vel dominum honorent eiusque gratiam ineant, conantur esse vel videri iis similes). b) Ut mater Dei scit Filium suum venisse in mundum ut destrueretur regnum diaboli, et se ob hanc ipsam causam factam esse Matrem Dei: ergo ille eam non colit, qui peccatum in se fovet, regnum diaboli in se semper magis confirmat. c) Mater Iesu testis fuit quantum constiterit illi pro peccatis satisfacere; vidit et sub cruce passa est... ergo.

Probatur 2°. *Non conciliat eius protectionem.* a) Maria ... Mater Dei, potentissima sane est, sed tantum precibus suis *omnipotentia supplex,* non potest autem ea petere quae petere eam non decet (similitudo a matre monarchae). b) Ipsi Mariae iniuriam facit peccator, cum Filium eius denuo crucifigat et ostentui habeat... et talis, in tali voluntate manens ad Mariam accedere et ad eam orare auderet?.. c) Maria ut Mater Dei et cum Deo coniunctissima novit quis sit ordo divinae voluntatis circa salutem hominis. Deus constituit: *iniqui regnum Dei non possidebunt, neque luxuriosi, neque fures, neque avari, neque maledici, neque ebriosi; nolite errare, dicit Apostolus.* Et peccator in his...

Iesus Christus dicit: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* et peccator... Iesus: *Qui perseveraverit in bono usque ad finem suum salvus erit* et peccator putat sibi licere perseverare in malo...?

Obiectio. Maria est refugium peccatorum. Resp. 1°. Concedendo et augendo et exaggerando B. Virginis in peccatores misericordiam. 2°. Explicando de quibus peccatoribus hoc intelligatur, nempe de iis, qui de praeteritis dolentes, gementes etiam de praesentibus malis habitibus, resurgere cupiunt. Vide « Ave Regina caelorum » *succurre cadenti:* his Maria, est refugium his... his.

Ideo S. Bernardus cum dixisset « in periculis, in angustiis, Mariam cogita, Mariam invoca », statim subiungit, « et ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum ».

Confirmatur textu Ecclesiastici cap. 24 quem Ecclesia Mariae tribuit ». *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo* (maternitas Dei) *et dixit mihi, in Iacob inhabita et in Israel hereditare et in electis meis mitte radices* » (amplificatione explicetur et sistatur in isto *mitte radices:* in aliis scilicet devotio superficialis sine radice) « *et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata requievi et in Ierusalem potestas mea, et radicavi in populo honorificato et in plenitudine Sanctorum detentio mea* ».

Apostrophe ad habituatos peccatores et qui necdum desiderium sentiunt e peccatis emergendi. Quid ergo vos? Ergone cessandum vobis a vestris devotionibus? ah non! immo tanto magis vobis necesse est. Fors ob has vestras qualescumque devotiones adhuc divina misericordia intercessione Mariae pepercit; sed tamen... (doceat quid facere debeant; tum promittat fore et ipsos participes tantorum donorum, quae Maria suis clientibus impetrat « *qui me invenerit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino* »).

Peroratio 1°. Brevis recapitulatio; 2°. exhortatio; in fine oratiuncula.

DE FIDUCIA IN B. V. MARIA HABENDA.

Exordium. Pars. I. *Est mater misericordiae.* Pars II. *Quomodo eius misericordiam consequamur?*

a) *Est potentissima quia est Mater Dei.* Praemittatur generalis propositio: fiduciam fundari in amore vel bonitate et in potentia. Potens est Maria ratione suae *dignitatis* et ratione suorum *meritorum.*

Quod ad primum attinet, *dignitate* superat omnes sanctos et angelos: angeli administratorii spiritus et ministri... sancti sunt servi Dei; Maria Mater tanto his potentior, *quanto excellentius nomen hereditavit.*

Confirm. Similitudine a principibus terrae deducta. Habere aulicum in suas partes dat magnum fiduciam, quid vero matrem?... Comparatio, si Assuerus Esther... si Salomon Bethsabee... quanto magis Christus... (afferantur verba et Assueri et Salomonis).

Fuit matri subditus in terris, an nunc illam reiiciet?... Non docuit nos in honore constitutos contemnere eos quos antea coluerimus; ergo etiam id in caelo non faciet. Nihil negabit Matri suae et quandoquidem Iesu data est omnis potestas in caelo et in terra, hac potestate libenter utetur

ad petitionem Matris suae, praesertim tam sanctae, tam bene meritae (transitio ad secundum: *merita*).

Singularibus gratiis praeventum, ipsius exordium fuit sublimius quam aliorum sanctorum exitus; quanta igitur eius merita! Ergo etiam maiorem habet apud eum potestatem quam alii sancti; et tamen, oh quam liberalis est Deus in servos suos! *In terra voluntatem timentium se facit,* dat ipsis claves vitae et mortis; *faciet quae ego facio, et maiora horum faciet.* Quid vero in caelo sancti? Quantum fecerunt sancti? Quoties unicus sanctus integras regiones servavit... Si unus sanctus tantum potest, quid ergo Maria?

Nobis miseris dictum est; *quodcumque petieritis*... Quanto magis Maria? Et nos quidem saepe non accipimus eo quod male petamus, sed hoc in Maria non est timendum.

Concludi potest aliquot textibus SS. Patrum.

b) *Est benignissima* quia nulla creatura arctius est cum Deo coniuncta, cuius misericordia super omnia opera eius... Portavit in utero suo ipsam essentialem misericordiam... Vidit quantum Filius amaverit peccatores; ergo etiam ipsa... Omnes nos filii doloris ipsius et quo plura passa est propter nos, tanto magis nos amat, ut labores ipsius et Filii sui in nobis non pereant (Prosopopoeia: Ne recuses Fili fructum sanguinis illius quem a me accepisti...) Denique neminem excipit... Afferatur textus S. Bernardi *Sileat Virgo etc... respice stellam et voca Mariam*... hoc pro conclusione ad movendos animos auditorum.

Pars. II. Quid faciendum ut eius misericordiae participes fiamus?

1° Cavenda peccata, 2°. frequens invocatio.

Cum Maria tam sit potens tamque benigna, ergone libere vivendum et non dubitandum de salute ob aliquas devotiones? Non ita... Judaei semper dicebant: *templum Domini habemus,* et tamen... Apostrophe ad B. V. Mariam, quantam ei iniuriam afferant huiusmodi homines.

Cavenda peccata. Quomodo ipsa Maternitas Dei haec condemnet (quaerantur argumenta ex iis quae in prima parte dicta sunt de sanctitate Beatissimae). Quo sanctior eo magis debet odisse peccatum; quo sanctior est omnibus, etiam plus quam omnes odit peccatum, nec ei placere possunt qui amant peccatum. Adiungatur huic parti non ideo haec dici, ut peccatores minori fiducia accedant, immo, immo, regina est misericordiae, ergo miseri sunt eius subditi, et quis miserior peccatore? Sed conentur exire, huc dirigant primario devotiones suas.

Frequenter invocando. 1° In necessitatibus et periculis, spiritualibus et temporalibus, ut ad matrem. Enumerentur necessitates variae et pericula, et concludatur repetendo: « *ecce*

mater tua! » sicut infans ad matrem... 2° Extra necessitates nulla dies transeat sine aliqua devotione. Dicatur aliquid de mirabili effectu constantis devotionis erga Mariam. O si aperiretur nobis caelum, quam multos videremus, qui ob constantem devotionem, ob aliqua obsequia pietatis etc......

Peroratio. Adhortatio cum recapitulatione, ut ad matrem misericordiae omnes confugiant iusti, peccatores..... Quantumvis peccator sis, clama, ora....... et tandem oratio......... Ita, o mater misericordiae, clamo ad te pro peccatoribus et pro me peccatore!

DE DEVOTIONE ERGA B. V. MARIAM.

Exordium « *Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portavit.* » Luc. 11, 27.

Si haec mulier, auditis Christi doctrinis, beatam dicit Matrem eius, quanto magis nos debemus honorare Mariam, qui Iesum non solum ut hominem sanctum, ut sapientem, ut prophetam cognoscimus, sed ut Deum. Ob hoc ipsum enim quod Iesus est Deus et Maria Mater Iesu, summus ei honor et cultus debetur. Quapropter S. Augustinus: « Sancta et immaculata Virginitas quibus te laudibus efferam nescio, quia quem caeli capere non poterant tuo gremio contulisti! »

Dicamus hodie aliquid 1° ad honorem Mariae et 2° quomodo eam honorare debeamus.

Pars I. Dicendum 1°. Quid sit Maria respectu *Dei;* 2° quid in *se;* 3°. quid erga *nos.*

Tot sunt motiva colendae B. V. Mariae ut prae nimia multitudine nesciam eligere... Si enim consideremus illam respectu Dei, quomodo non est colenda illa virgo, quam ipse Deus omnipotens honorat, et quae apud illum non ut ceteri sancti, amici, servi... sed ut filia, ut mater, ut sponsa... Mariam adhuc in hac vita existentem adeo honoravit, ut mitteret ad eam angelum, non ut illi aliquod mandatum afferret vel... sed ut eam salutaret... Salutat illam angelus... et vocat illam: *Ave gratia plena*... Eosdem titulos ei tribuit S. Elisabeth cui revelatum fuerat... Hoc in terris, quanto magis in caelis?...

2. Si consideramus qualis sit in se, quam sancta quam praecellens, quis non excitabitur ad illam colendam? Electa ut est Mater Dei, ad hanc tantam dignitatem donis fuit convenientibus instructa... Sola prae omnibus fuit praeservata a peccato originali... Ipso instanti conceptionis tot gratias accepit, ut iuxta theologorum sententiam iam tum superaverit omnes gratias omnium sanctorum. Quidquid sanctitatis

in aliis, in illa fuit... fides Patriarcharum, spes Prophetarum etc... Omnia haec dona, omnes hae gratiae elucent in Maria et sicut sol inter sidera, sic Maria inter sanctos. Ipsi angeli eius virtutes obstupescunt; omnes spiritus illam proni venerantur et exclamant: *multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas!*

3°. Quid vero Maria est erga nos? Maria, ut uno verbo complectar omnia, Maria est mater nostra, quia... quia... quia... Mater quae est benignissima... quae dedit nobis vitam, non vitam hanc miseram... quae potius mors dicenda est; sed Iesum qui est vita immortalis .. Est mater nostra nobis data... et quae curam gerit de nobis... et sicut sanctitate omnibus sanctis est sanctior, ita omnibus sanctis pro nobis est sollicitior. Haec de bonitate Quid vero de potentia dicam...?

(Hic afferantur aliquot testimonia SS. PP.).

S. Bernardus: Si quam spem habemus, si quam gratiam, si salutem, noverimus haec omnia in nos a Maria derivari. S. Bonaventura: Maria tam est potens, ut eam sola Dei omnipotentia superet. S. Ioan Damascenus: Omnes thesauri gratiarum, omnes miserationes Dei sunt in manibus Mariae... Non sunt mea verba, sed istius... istius... et hanc sententiam Ecclesia comprobat suo iudicio. Referantur tituli quos ei tribuit Ecclesia: *Solve vincla reis, virgo potentissima, sub tuum praesidium*... Maria accedit ad thronum Filii et ostendit ei manus, ubera... commemorat quae passa est, quae fecit etc.... et per ista obsecrat. Ergone ei negabit?...

Pars II. Quomodo honoranda? 1°. Dicatur in quo devotio non consistat; 2°. in quo consistat.

1°. Quid non sit. (Enumerentur varia obsequia exteriora) tum dicatur haec bona esse et sancta, sed non esse proprie devotionem. Posse esse vel media ad devotionem assequendam vel affectus devotionis iam acquisitae.

2°. Quid sit. Dicendum id quod S. Thomas de omni devotione affirmat, esse scilicet vel consistere in voluntate prompta ad id omne quod personae cui devoti sumus placet, et ad evitandum id omne quod illi displicet...

Consistit ergo devotio ad Mariam in corde, in voluntate, in amore, in desiderio placendi Mariae (Hoc probatione non indiget, sed amplificandum, dicendo primariam debere esse curam ut evitemus illud quod Mariae displicet, quod autem displiceat, notum satis ex eius titulis quibus invocatur... Est Virgo virginum, ergo... est Virgo clemens, ergo... est Speculum iustitiae, ergo... est Sancta et omnium sanctissima, ergo... peccatum odit, peccatum detestatur...) Apostrophe ad devotos ut ita colant, ut cor suum videri a Maria existiment; quod si malum sit... si... si... si... fore ut avertat

se Maria et dicat, *populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (enumeratio obsequiorum pietatis erga Mariam et vitiorum) dein concludendum *non est speciosa laus in ore peccatoris.* Colit per momentum, et totos menses inhonorat; nos talem inordinationem fugiamus.

Intelligamus vere devotos nos esse non posse, nisi velimus peccatum fugere, virtutem sectari, cor nostrum ita componere ut Mariae vere placeamus.

Obicitur. Maria est refugium peccatorum. R. 1°. Concedendo et exaggerando B. V. in peccatores misericordiam, hunc titulum B. V. esse honorificentissimum. S. Bernardus: « Si criminum iniquitate turbatus, conscientiae foeditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiae, desperationis abysso, cogita Mariam ». Nullus tantus peccator, etiamsi . . . , qui non ad Mariam confugere possit, et cum certa spe possit. 2°. Est ergo refugium peccatorum. Sed de quibus hoc intelligendum? De illis qui de praeteritis dolentes, gementes de malis suis habitibus, resurgere cupiunt. His itaque Maria est refugium, his . . . his . . . Sed qui resurgere nolunt, qui iacent semper, et volunt iacere, hi non possunt illam habere fiduciam, nam non est solida eorum devotio.

Apostrophe ad habituatos peccatores. Quid ergo vos . . . ergone cessandum vobis a vestris devotionibus? Oh non, immo tanto magis vobis necesse est . . . fors ob has vestras qualescumque devotiones adhuc Divina misericordia ad intercessionem Mariae vobis pepercit. Forte pridem . . . nisi . . . sed tamen (doceat quid facere debeant . . .) Sic vestra devotio erit . . . et fietis etiam vos participes tantorum donorum, quae Maria suis clientibus impetrare consuevit. *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.*

Peroratio. Recapitulatio cum exhortatione. Finio, auditores, rogans et obsecrans omnes, ut singuli Mariam (recap. 1. partis). honoretis et colatis ante omnia (2. partis recap.). Hoc posito fundamento, exerceamus nos ferventer in eius obsequiis, nullus dies transeat etc. . . . Experiemini etiam vos, in morte praesertim, quantum sit bonum fuisse servum talis Dominae, fuisse filium talis Matris . . . Tandem oratio ad Beatissimam . . .

DE S. ALOYSIO

Erunt sicut angeli in caelo. Matth. 22, 30.

Exordium. S. Aloysius Angelus et Martyr.

Haec est laus quam ipse Dominus dat innocentiae et castitati: comparat innocentiam cum angelis . . . Sicut enim

angeli voluptates carnis nec noscere, nec illis frui possunt, ita innocens... et ducit in hac vita iam vitam caelestem... O felix status! o mira similitudo hominis cum angelo. Angeli natura... innocens autem homo per gratiam et laborem... Plus ille facit quam si esset angelus, ut dicit S. Chrysostomus, acquirere maius est quam habere.

A laudibus innocentiae ad S. Aloysium transeat, qui vere angelus, et cuius innocentia meretur nostrae orationis materiam.

Pars I. *S. Aloysius Angelus.*

Praemittatur pro subdivisione quod sequitur. Ut in toto negotio salutis et perfectionis animae res dependet a gratia Dei simul et a cooperatione hominis, *non ego sed gratia Dei mecum,...* ita in innocentia et puritate. Deus facit hominem in peccato natum innocentem: *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Deus gratia sua datam innocentiam custodit. *Scio,* dicit Salomon, *neminem posse esse castum nisi tu dederis.* Et Psalmista: *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Et tamen ex parte hominis requiritur custodia: *omni custodia serva cor tuum;* requiritur vigilantia et oratio: *vigilate et orate.* Itaque cum S. Aloysium angelum dicamus, et Dei erga illum liberalitatem, et eius in Dei donis fidelitatem simul celebramus.

1°. *Dei gratia illum fecit angelum.* Prob. ex vita. Nondum perfecte natus mundo, iam renatus Dei in baptismo... pusio portatur a nutricibus, videbatur ipsis angelus. Infudit ei Deus a teneris annis horrorem omnis labis etiam minimae. Conservavit inter tot pericula aulae amorem orationis, et in illa tam singularem animi collectionem, immo perpetuum dominium in cogitationes suas (rarissimum donum et vere miraculum gratiae). Itaque ab omni etiam cogitatione et imaginatione impura spiritus immunis, ignorabat plane effectum tristem peccati originalis, scilicet concupiscentiam (dona ista singularia possunt tractari per interrogationem et repetitionem).

Moralis. Quid nos ad hoc? An solum admirari? Verum est, singularia ista fuere, nec omnibus concessa. Sed tamen, etiam nos, ut ait Apostolus, *elegit Dominus, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius.* Hoc baptismo accepimus, sed quanti hoc donum facimus? S. Aloysius tota vita sua pro hoc beneficio gratus erat, illud unice maximi faciebat, et ideo omnem curam adhibebat ut thesaurum innocentiae conservaret: nos autem quid? Nec sentientes pretium innocentiae, eius iacturam nihili facimus, ridemus. Fors ea perdita, cum sit iactura sanguineis digna lacrimis, nec ullis tamen lacrimis reparanda. (*Transitio*) Ne dicamus Aloysium fuisse singulariter a Deo praeventum, fuisse miraculum... verum hoc est,

sed tamen quid ipse ex sua parte fecit? Videbimus tantam vigilantiam, ut similem adhibentes, etiam sine miraculo innocentiam servare potuissemus.

2°. *S. Aloysius sua vigilantia angelus.* Duo deducunt ad iacturam innocentiae, liber usus sensuum et effusio cordis ad exteriora bona. Quia non custodiuntur sensus, per hos intrat peccatum, et per peccatum mors. Quia non custoditur cor, non potest resisti tentationibus inimici. Videamus ergo quomodo S. Aloysius innocens vigilaverit super se, mortificans sensus et uniens cor cum Deo.

a) *Custodia sensuum.* Quis vero exponat stupendam Aloysii modestiam? haec vere plus quam humana, vere angelica.

Prob. ex vita. S. Iob fecerat *pactum cum oculis suis ut numquam cogitaret de virgine:* Aloysius liber a talibus cogitationibus facit pactum cum oculis suis. Videte, ut inter delicias paternae domus, dein in aula imperatricis Mariae sensus regebat. A colloquiis et societate alterius sexus abhorrebat; oculos ita custodiebat, ut nec matrem propriam ex facie nosceret; itaque in aula ... etc. ... nemo sciebat cuius coloris essent oculi eius. *Exclamatio.* Quid de aliis sensibus? A septimo aetatis anno vel silens vel sancta loquens nullum verbum, non dico malum, sed nec otiosum; fratres coetanei, aulici mirabantur. Nemo audebat coram eo quidquid mali proferre et passim dicebatur: Aloysius homo sine carne, aut angelus in carne.

b) *Custodia cordis. Omni custodia serva cor tuum* ... In quo consistit? In avertendo illo ab omnibus, quae eius puritatem possent obscurare. Hoc perfecte fecit Aloysius, vere angelicam sectatur vitam. Non est difficile mundum contemnere cum a mundo contemnimur, cum nullas spes offert etc. sed quando blanditur illum odisse, hoc est maius custodiae signum. Aloysius (qualis spei et fortunae iuvenis) spernit omnia, non illicita solum, sed etiam licita abhorret. Novennis facit votum; spectacula ... ludos ... deserit omnia per ingressum in religionem ... Sola eius recreatio legere pia ... orare ... colloquia sancta.

Conclusio. Quid ergo mirum si ita avulsus ab omnibus humanis, et sola angelica expetens utique angelus appareret? Sequamur eum ubicumque voluerimus, ubique videbimus angelum. Incedit ... mensae accumbit ... aliquod opus facit ... orat ... confitetur peccata vix peccati nomine digna ... angelico pane reficitur ...

Moralis. Sic Aloysium custodia sensuum et cordis angelum videmus, non solum gratia Dei et miraculo, sed propria etiam vigilantia. Qualis nostra custodia sensuum? Quomodo possumus nostro modo servare puritatem cordis? vere hoc est

tentare Deum. O quot ex nobis merito debent deplorare: *oculus meus... depraedatus est animam meam* (deploratio huius iacturae irreparabilis)... Quae custodia cordis? quae fuga occasionum? quid mirum si tentationes frequentes, si lapsus frequentes, si interitus denique... *Qui amat periculum in illo peribit.* Frustra daemonis tentationibus, nostrae infirmitati omnia tribuimus... frustra dicimus: in saeculo vivi sic non potest. Utique ostendi vobis Aloysii in vita saeculari exemplum. Omnibus dictum est: *Vigilate.*

Pars II. *S. Aloysius martyr.*

Si Aloysius innocentia vitae nomen angeli accipere meruit, quod nemo illi negabit, profecto affectu et iis quae passus est maiori etiam iure nomen meruit martyris. Duo sunt genera martyrii, ait S. Gregorius, alterum re ipsa, cum homo vel pro fide attestanda, vel pro servata lege Dei sanguinem fundat, vitam ponat; alterum desiderio et vitae ratione. Hoc itaque fundamento videamus, qualia fuerint S. Aloysii desideria, quae vitae ratio, immo etiam quae mors. Nemini dubium fore existimo, quin vere Aloysius factus sit martyr, sin minus fidei, certe amoris.

1°. *Desiderio.* Communis haec est Spiritus sancti ratio, ut hominibus, quos sibi specialiter eligit, desideria inspiret multa patiendi. Praesertim postquam Filius Dei homo factus mortem per tormenta subiit, nullus Sanctus non arsit desiderio patiendi. Iam vero quam ardens hoc desiderium fuit in Aloysio! Vix ad usum rationis pervenit et edoctus est Deum pro se mortuum esse, cum tanto amore captus nil magis optat quam vices reddere eius amori, et vitam pro vita, sanguinem pro sanguine dare..... Haec sancta desideria fovet assidua meditatione passionis Dominicae, cuius crucem summe venerabatur. Puer in mari, cum periculum esset ne caperetur navis a Sarracenis... Vixdum coepit vivere, et iam vult pro Deo mori; in aetate qua vix alii incipiunt Deum cognoscere. Deinceps dolebat quodammodo de nimia Ecclesiae pace. Audiens in Indiis Patres Societatis martyrio affici, invidebat illis tantam felicitatem. Haec una de causis cur Societatem expeteret... O felices, aiebat... Sed parum erat desiderare... Alii multi se desiderare professi sunt... Dicunt: quis mihi det ut habeam pro te aliquid patiendum?... Sed vitam omnino aliam agunt... Non sic Aloysius.

2. *Patientia.* Desiderat vehementer pati pro Christo, sed in solo desiderio non sistit; optat martyrium subire, sperat etiam Societatem se ingressurum et in Indiam... Ergo parat se etiam ad illud... voluntariis poenitentiis. Non habet qui se persequatur et sanguinem suum sitiat: persequitur se ipse.... Desunt ei tiranni qui tormenta inferant: ipse sibi facit tirannum. Quis enim describat quam fuerit in se ipse immitis?

O duri cubitus etc. (aliquae amplificationes). Non est illi carus ille sanguis, quem pro Christo non potest effundere, (apostrophe ad parietes palatii ducalis et ad noctes, quae testes fuere Aloysii poenitentis. Vos vidistis illum iuvenem delicate educatum, ut sancta in se ira incensus et amore in Deum ardens, desiderio etiam per sanguinem expugnandi animum parentis, sese excruciet vere voluntarius martyr.) — Anteoccupet obiectionem... quod haec Aloysius in spiritu poenitentiae fecerit. Scio equidem eum in spiritu poenitentiae fecisse . . . , sed si propterea quis putet eum poenitentem et non martyrem dicendum, cogitet quae fuerint eius delicta, vel potius quanta eius fuerit innocentia; cogitet quid habuerit pro iis culpis timendum, quae summorum theologorum sententia nec venialis culpae gravitatem attingebant; et iam dicat, an timor iudiciorum Dei magis quam amor illum moverit. Quamquam et timor iudiciorum Dei in illo ex amore provenit. Nec dubito quin ipsi iure dari nomen martyris amoris concedatur.

3°. *Morte.* Sed adhuc vivit haec victima, et tamen ut vere ac plene martyr dicatur, debet mori . . . Etiam haec nulla difficultas. *a*) Amor enim Dei illum consumpsit . . . *b*) Quod omnem prorsus tollit dubitationem: servivit pestiferis Romae, et in hoc obsequio morbum contraxit quo exstinctus est. Ab ipsa autem antiquitate proxima martyribus gloria haec existimata est, *cum quis vere animam suam pro fratribus ponat.* Sed quid ego multis argumentis id probare conor, quod caeleste manifestat testimonium? Utique S. M. Magdalena de Pazzis vidit eum in caelo, martyris gloria ornatum.

Conclusio. Ad tantam gloriam Aloysius pervenit innocentia et patientia, angelus et martyr.

Peroratio. Quomodo nos nostram delicate nimis vivendi rationem defendemus? Nos qui peccatores cum simus, omnem crucem fugimus, nec solum ipsi nos non mortificamus sed etiam ipsas cruces fugimus, quas Deus immittit, et conquerimur . . . Deberet ita unusquisque dicere: ecce iste Sanctus innocens . . . et tamen non habuit satis, voluit etiam plurimum pati. An ego sum tam innocens? Ah! . . . quid ergo est quod pati nolim? Etsi essem innocens deberem pati. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Christus Iesus innocentissimus et tamen *oportuit pati Christum . . .* Haec omnium Sanctorum norma. Deus *quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui . . . Si tamen compassi fuerimus, ut et conglorificemur.* His reflexionibus discamus ab Aloysio ut ab angelo . . . ita et a martyre . . . et ad eius imitationem incumbamus, ut fiamus participes gloriae. Oratio in fine.

DE S. IGNATIO.

Exordium. Character proprius huius Sancti: Zelus Divinae gloriae. Ad maiorem Dei gloriam. Incipi poterit a brevi narratione eius conversionis... Procumbit humi et offert se totum Deo, statuens, nihil se abhinc quaerere velle, nisi solum Deum eiusque gloriam. Oblatio haec, tamquam in semine, omnia, quae Ignatius postea fecit et passus est, in se continebat. Coepit cum tanto ardore, ut ex eo pateat, eum, quod rarum omnino est, inde a prima hac conversione ad sublissimam sanctitatem, amorem Dei perfectissimum, tendere... Omnes deinceps cogitationes, verba, opera, ad Dei gloriam destinabat 1°. *in se,* 2°. *in aliis.*

I. *In se* Omnibus rebus relictis... non sine periculo infamiae, quasi ex ignavia vel pudore... poenitentiam facit severissimam... Sed inter tantas afflictiones corporis, fere de se non cogitat. Primarius eius finis non est satisfacere, evitare infernum, recuperare caelum... Sola Dei gloria. (O specus Manresanum... o perpetuae lacrimae... o continua ieiunia... o longae vigiliae... o cilicia... o catenae... o flagella... o sanguis effusus...) Religioni sibi duceret et putaret, se violare primam oblationem,... si aliud sibi proponeret, quam pure Dei Gloriam.

Aliae etiam virtutes eius ex hoc zelo oriebantur et ab eo dirigebantur. Poenitentiam, illam solitudinem, in qua deliciis... deserit a.m.d.g.... in Palestinam... a.m.d.g.... inde redit a.m.d.g. Descendit talis vir, heros, ad ludum litterarium a.m.d.g.

Labores suscepti, cruces toleratae... O quot carceres sanctificati, quot etc... In his omnibus ita purissime et unice Dei Gloriam quaerit, ut etiam propriae salutis aeternae rationem postpositurus esset... Ipsa caelestia vellet sibi differri, vel eiam periculo exponi, si...

II. *In aliis.* Non sufficit Ignatio, magnopere Deum glorificare, vult magis ac magis... Sicut sol, qui primo statim ortu totius terrae superficiem illuminat, ita Ignatius statim zelo... orbem totum amplexus est.

1°. Libellus exercitiorum, ob quem solum Apostolus totius orbis dici meretur...

2°. Institutor Societatis Iesu... Qualis status orbis, quando Ignatius ad Dei famulatum se transfert. Cum ipse ubique esse non posset, nec perpetuo posset manere, Societatem condit cui proponit finem zelo suo conformem, scilicet propagationem maioris Dei gloriae... per omnia ministeria et per universum

orbem. Responsum eius: « Si Rex Lusitaniae acciperet ex tantulo sociorum numero ipse solus in solas Indias 6 Socios, quid in totius orbis salutem remaneret? »

3°. Nullo successu licet maximo satiatur: *filii, ite incendite orbem!* — Utrum Societas Patris... spiritu animata ipsius instituti ac legibus instructa... scopo parentis responderit, malo ab aliis quam a me examinari. *Nobis quidem absit gloriari, nisi*... Hoc suis testamenti loco reliquit, numquam defuturas esse persecutiones... Si expellimur spes bona. Iam nunc utique satis constat et omnibus manifestum est ex eis, quae denique acciderunt, Societatem in illo suo casu (1) zeli sui victimam cecidisse. — Itaque Spiritus Ignatii vel ardor Divinae gloriae, quem ille ei inspiraverat ad ultimum usque perduravit. (Apostrophe ad Societatem, ut se felicem existimet ob talem finem sibi propositum a.m.d.g.). Sed in hoc etiam maximum ac solidissimum solacium. Huius tanti finis simus semper memores!

Moralis adhortatio. Sed quid ago? An solis Religiosis incumbit? Auditores mei, quid dicitur ad zelum Gloriae Dei, quem in Ignatio vobis ostendi?... Deus neminem ad alium finem creavit nisi ad gloriam suam. Quid est ergo, quod hoc ipsum oblivioni datur a plerisque? Haec oblivio causa omnium peccatorum in Christianis. Vivunt quasi finis eorum esset licentia vivendi et satisfaciendi omnibus libidinibus. Sed quid sequetur? Sicut in hoc mundo finis noster gloria Dei per observationem eius mandatorum... ita certum est, omnem spem obtinendae salutis aeternae...

Quotquot estis rebus huius mundi immersi, finis vestri, oro vos, per vestram salutem, per veram vestram felicitatem et veram gloriam, finis vestri recordamini! *Qui glorificat me, honorificabo eum, qui spernunt me erunt ignobiles. Recedentes a te in terra scribentur. Disce ubi sit vera gloria, ubi divitiae.*

Si qui sunt, qui ob haec laudantur, si aliud non habent boni, *laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt.* Quanto beatius, Deo servire, Dei gloriam quaerere! Hoc fecit Ignatius, hoc et aemulemur nos, quisque pro conditione sua, ut participes aliquando reddamur gloriae. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Contemplatur Ignatius de facie ad faciem Deum illum, cuius gloriam semper in ore, semper in corde habuerat, et pure et insatiabiliter semper quaesierat. Amen.

---

(1) Abolitio Societatis a. 1773

DE B. FRANCISCO DE HIERONYMO.

Euge serve bone et fidelis, quia... Mth. 25, 21.

Exordium. Ita Christus Dominus servorum suorum labores ac fidelitatem laudat et ad mercedem pro meritis accipiendam invitat. Unus ex quinque talentis, alter ex duo lucrum reportat. Unum et alterum Dominus ita compellat.

Euge serve... laudo te, agnovi tuam fidelitatem. *Euge serve*... Ad hoc usque tempus nonnisi pauca tibi commisi, sed quia fidelem supra pauca te ostendisti, iam dignus es, cui maiora committam, iam *supra multa* te constituam, iam tecum, non ut cum servo, sed ut cum filio, cum herede, cum fratre agam, ut mecum gaudeas iis bonis, quibus ipse gaudeo, ut particeps sis omnium divitiarum, omnis gloriae, omnium deliciarum mearum. *Intra in gaudium Domini tui. Euge serve bone.*

Christus Iesus qui hanc parabolam discipulis proposuit, seipsum hic et suam liberalitatem quasi in imagine depinxit. Ille est, qui fideles servos suos, post exantlatos huius vitae labores ad se vocans, his excipit verbis: *Euge serve.* Videtur Ecclesia hoc innuere, cum annuam memoriam beati exitus sanctorum Confessorum celebrans, haec verba tamquam congratulationem frequenter repetit. Audivit ea etiam Sanctus, cuius hodie...

Continent laudem Beati et Dei erga illum liberalitatem; continent et quae ille fecit pro Deo et quomodo Deus eius merita remuneravit.

Pars I. 1°. *Servus Dei.* Testatur tota vita, testantur heroicae virtutes, testantur miracula plurima, testatur Ecclesiae sententia, et hic dies in eius honorem consecratus. Verum est, commune hoc habet cum aliis sanctis, tamen non omnes ut ille, per totam vitam suam, servi Dei fuerunt... Nil detrahendum gloriae, quae sanctis poenitentibus debetur, sed quis non agnoscat, feliciorem multo fuisse nostrum Beatum, qui fere non prius coepit vivere, quam esse servus Dei; qui etiam in pueritia....

Ita scilicet primitias vitae Deo dedicans, expertus est ipse veritatem illius dicti: *bonum est homini si portaverit iugum ab*... Felix, qui ut fertilis terra, cum excepisset bene virtutum omnium semina, fructus tam uberes protulit in omnem vitam...

Si ad saeculares: quam contra infelices illi pueri, qui... Parentes non faciunt eos servos Dei, sed diaboli. Ingerunt tantum indifferentiam erga res divinas... principia mundi,

quibus ipsi pleni sunt... agnoscent postea quam malum sit, portare iugum diaboli ab infantia sua).

2°. *Servus bonus.* Non satis... dici *servus,* sed *bonus,* immo, quam poterat optimus. Servi enim Dei sunt omnes, qui sunt in gratia; nam qui vel unum peccatum mortale... iam servus Luciferi. Sed qui talem proditionem cavet, non propterea meretur nomen *servi boni*... Etiam minimum delictum vitare, servire Deo quam perfectissime, nutum omnem observare... quaerere semper, quomodo placere maxime possit, etiam maxima cum difficultate sua, et inter haec, nihil de se existimare, sed servum se inutilem arbitrari, hoc mihi videtur esse servum bonum. O si tempus permitteret... (ex vita virtutes eius, quae ad *servum bonum*..., virtutes vitae privatae... praecipue quomodo minima servaverit).

Applicatio. Si parvos defectus non... non sumus *servi boni.* Hac diligentia in servitio Dei promeruit, ut sibi Deus magna concederet, in quorum dispensatione se ostendit:

3°. *Servum fidelem.* Fidelitas consistit in eo, ut talenta concredita quis non negligat, sed illis utatur ad ea, ad quae Deus ea committit; tum ut ex illis non suum aliquod commodum, sed Dei gloriam quaerat. Haec duo perfecte servavit Sanctus noster... Videns se vocatum ad vitam apostolicam et habens donum singulare praedicandi verbum Dei et conciliandi animas, non defodit... in terram... sed fructus animarum... (hic desideria eius et labores apostolici enumerentur... et quomodo in his nihil aliud quaesierit, praeter Dei gloriam) Non retardabant... non ista... non ista... *Non quaerebat quae sua sunt*... sicuti *adulterantes verbum Dei.* Non praedicabat *se,* sed Deum, qui eum... miserat, et licet tanta Deus per illum faceret, licet per miracula eius sanctitatem confirmaret, ille tamen in opinione de se, tamquam de inutili servo persistens, Deo omnia adscribens, nihil sibi assumebat, nisi laborare et pati. En ergo vere beatus servus Dei, *bonus* et *fidelis,* qui ab ipsa infantia cum incepisset Deo servire, et in privata vita in tanta innocentia, in tali virtutum omnium exercitio, et in publica vita tantum laborans, unice Dei gloriam quaerens, in eius famulatu numquam cessabat. (Recapitulatio).

Pars II. Euge serve... super multa te constituam. Quanta sit haec merces, vel ex eo possumus colligere, quod in oculis Dei, comparate ad hanc mercedem, omnes labores et afflictiones, etiam maximae, nihil sunt nisi *pauca: quia super pauca... super multa...*

Iam vero Beatus noster nonne multa... (hic labores enumerentur... persecutiones... breviter). An haec non sunt magna? Magna utique, si in se consideremus, sed si mercedem, non nisi pauca. Sic Deus, sic Sancti... et qui putat

se multum facere, multum pati pro Deo, dicamus audacter: ille nec novit Dominum cui servit, nec felicitatem pro qua laborat. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis* (supra modum) *confortatus est principatus eorum.* Nihil dicam hic de aestimatione, qua Deus humilitatem eius coronavit, cum illum ut *angelum*, ut *apostolum* exciperent. Nihil etiam de certiori documento liberalitatis Divinae, quales erant contumeliae... haec vera merces virorum apostolicorum, qua redduntur similes Iesu Christi. Omitto etiam loqui de dulcedine, quam in oratione... in qua unicus radius a Patre luminum centuplo remunerabatur omnes labores. *Multitudo dulcedinis quam abscondisti*... Sed de illo solacio, quod habebat videns tantos laborum suorum fructus, videns documentis placere Deo famulatum suum, omnino tacere non possum. O, quale gaudium viro apostolico, tot animas Deo lucrari...! non ita avarus gaudet dum saccos... non ita ambitiosus dum... non ita luxuriosus dum... Contionatur, et totas turmas conversorum post se deducit ad ecclesiam... dat monita salutaria personis luxuriae deditis, aliqua semper Magdalena ad pedes... cum lacrimis remissionem petens... horas multas in confessionali... et veniunt peccatores omnis generis. Invisit carceres et triremes, et in illis locis, ubi prius non nisi blasphemiae... iam sancta cantica... Et quid dicam de miraculis, quibus Deus.... Omnia ista... novae conversiones... servi Dei cor incredibili dulcedine perfundebant.

2°. Sed quid sunt omnia ista solacia comparate ad illud, quod in morte... et quo post beatum obitum frui coepit et fruetur in aeternum? O ultima hora, tam terribilis amatoribus mundi, immo etiam sanctis saepe tam plena timoris, quam dulcis erat Beato! Laetabatur... donec ardentissimis actibus amoris vultu hilari, ad Patrem dilectissimum abiit.

Euge serve bone... O verba!... o laus supremi Domini et Dei!... sola digna nostro desiderio!... *Intra in gaudium Domini tui.* O gaudium infinitum! gaudium quod Deum ipsum satiat... in te beata haec anima sese immersit! Beatus noster ad primum sensum huius dulcedinis omnium laborum oblitus est... O quam intime expertus est vere parum, immo nihil esse passiones huius... ad futuram gloriam quae... Quam alte ibi ascenderit devote potius meditari, quam verbis exprimere possumus. Merita suorum servorum et mercedem novit solus ille Deus, qui illorum virtutes aestimat et cum liberalitate remuneratur... Sed si illi *qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt*... ut ait Propheta, si ille *qui et fecerit et docuerit, magnus vocabitur*... ut ipse Salvator asseverat, quid Beato nostro..., qui tam perfecte et fecit et docuit, et tam multis viam Domini ostendit et in ea deduxit?

Si in caelo incomprehensibile est gaudium angelis ex

conversione unius peccatoris, cum quali gratulatione exceperunt illum virum qui in vita sua tot millia...! Et quid cogitamus animas sanctas per hunc Dei servum ad caelum deductas... Quas gratiarum actiones suo benefactori... quam venerationem exhibent et exhibebunt in aeternum! Omnia haec considerare et bene meditari possumus, sed digne describere numquam... Hoc solum addam: Ecce iam nunc tot annis gaudet... et... ac si tantum hodie inceperint gaudia eius, durabunt et durabunt in aeternum... Quis iam erit qui non dicat, vere bonum esse servire Deo? qui non videat omnia quae mundus servis suis promittat et quae paucis suis felicissimis concedat, non esse nisi vanitatem et mendacium, comparate ad mercedem Dei? Elevat suos et postea cito detrudit, et cui gratiam usque ad mortem conservat, quales paucissimi sunt, posteritati eum commendat vana laudatione, quae mortuum nil iuvat, et monumentis, quae vel tempus evertit, vel ante tempus inimicorum manus destruit. *Periit memoria eorum cum sonitu,* et gloria eorum et magnificentia cum illis in sepulcrum descendit, et magis quam ipsum corpus sepultum in nihilum redigitur, dum anima quae mundo et non Deo servit, in aeterna est ignominia et damnatione. — Non ita Deus honorat servos suos: ut Deus remuneratur, ut Deus vere beatos reddit in aeternum et, si haec est eius voluntas, in terra etiam illos honorat talibus gratiis, ut omnes ad pauperis cuiusdam pannosi et contempti reliquias accurrant, etiam personae nobilissimae, prout exemplum habemus ante oculos in hoc paupere sacerdote Francisco...

Adhortatio ut ad B. Franciscum cum fiducia recurramus, praesertim ut petamus ab illo gratiam eum imitandi.

Oratio ad Beatum.

DE ORATIONE

« *Dixit Iesus discipulis: Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis — Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* ». Ioan. 16, 23-24.

Exordium. Quod maius potest esse solacium, quae maior felicitas nostra quam ex tam sollemni promisso?... Filius unigenitus Patris aeterni, heres caeli et terrae, cuius verbum veritas est, promittit et pro certo affirmat: *amen amen dico vobis*... Divino verbo suo nos excitat... et obligat nos ut petamus, et petamus ea omnia quae plene satiare cor nostrum possunt, *petite... ut gaudium*... O promissum vere divinum, quod facere non potest nisi Is, qui est omnipotens et infinite bonus! Verum videor mihi audire aliquem dicentem: ego et oravi saepe et oro et non experior...

Quid ergo? An verbum Domini non est infallibile? Avertat Dominus dubitare... Ergo in nobis debet esse culpa. In ipso textu duas causas invenio: vel non sumus tales quales esse debemus, vel non ea petimus quae petere debemus... Utrumque consideremus.

Pars I. Quaero ergo: quibusnam personis Dominus tam large promittit?... *Si quid petieritis*... Dixit Iesus haec verba discipulis suis, ait Evangelista, qui in illum credebant et eum diligebant... Non dixit Dominus: *si quis*..., sed *si vos,* fideles discipuli mei... et quidem cum Iudas proditor iam non esset inter Apostolos, cum soli fideles discipuli adessent..., quibus etiam addidit conditionem: *si in me manseritis et verba mea in vobis manserint,*... si per fidem et gratiam quidquid volueritis petetis, fiet vobis.

Haec ergo prima conditio. Volumus habere ius ad illam... ante omnia necesse est ut simus veri... ut nullum peccatum mortale nos... Habeat quis vel unum peccatum mortale, iam haec promissio proprie ad illum non pertinet. Facta est *discipulis:* Qualis ille discipulus, qui per peccatum mortale doctrinam Christi conculcat?... Iubemur rogare *Patrem:* Quomodo faciet ille, qui indignus..? In ipso ingressu petitionis illud *Pater noster* pudore debet suffundi... Iubemur petere in *nomine Iesu.* Potestne hoc sanctum nomen Patri caelesti commemorare, qui per peccatum mortale de novo crucifigit...? Potestne cruentas manus ad Deum Patrem elevare, et in tali statu exigere ut Deus exaudiat? *Cum multiplicaveritis orationes vestras*... Orate quantum vultis... *non exaudiam*... quare? *Quia manus vestrae sanguine plenae sunt.* Quamdiu non abluitis, nec respicere volo... Quid, Christiani, an hoc non est iustum? Quando cum homine agimus, nemo non intelligit se, si gratia eius indigeat quem offenderit, prius debere illum placare... Num hoc intelligimus etiam in agendo cum Deo?...

Illa femina, in ira impotens, quotidie marito et liberis et sibi maledicit, et interea ad ecclesiam venit, orat in sua necessitate, et miratur quod Deus non exaudiat... Ille homo qui bona iniusta domi retinet... miratur quod, licet ardenter oret, Deus non benedicat... Ille alter odio flagrat in adversarium... Inveteratum odium infecit ipsi cor, ut exosus sit Deo... et miratur... O ne miremini, si Deus... *Peccata vestra,* inquit propheta, *diviserunt inter vos et Deum vestrum.* Peccata illa sunt tetrae nubes, densae nebulae, per quas oratio non potest transire ad thronum Dei, nec gratiae ad vos de caelo descendere. Preces vestrae, quamdiu non vultis deserere peccata, non solum non merentur ut exaudiat Deus, sed intolerabiles illi sunt... *Qui avertit aures suas ne audiat legem, oratio eius erit exsecrabilis.*

Quid? ergo non debet orare qui in peccato est? Utique debet! Dicimus talem, quamdiu maneat in isto statu, non habere ius ad hoc singulare promissum, propterea quod si nolit deserere peccatum oratio eius grata Deo esse non possit. Sed non dicimus eum hominem non iam debere orare... O fratres mei peccatores, quo miserior status vester, quo profundius immersi estis, eo magis orandum. Qui iamiam mergitur, quamdiu inclamat auxilium, non est sine spe; sed ubi semel clamare cessaverit, quis eum servabit? Orate igitur, vobis Deus misericors peccata dimittat, et gratiam... ad sinceram... Et haec oratio ita necessaria vobis est, ut hoc fere unicum vobis medium sit ad salutem. Potest fieri, ut per habitum factum sit vobis quasi impossibile... Quid ergo in tali statu faciendum? Unicum medium orare... Iubet Deus *facere quod possis et petere quod non possis* ait S. Augustinus.

Ora igitur, ora ardenter quicumque in peccato es... Inclama misericordiam, sed non talem misericordiam, ut tibi in mala conscientia det pacem temporalem, nam talis misericordia esset poena et vindicta... Pete misericordiam pro anima tua, habens saltem voluntatem emendationis... Cum tali desiderio potes etiam alias necessitates humiliter proponere, et saepe experieris, quod etiam in his Deus exaudiat. Hoc autem faciet Deus ex mera misericordia, non vi huius promissionis Christi ad quam, meminerimus semper, ius illi solum habent proprie, qui...

Pars II. Videamus *ad quae bona* haec promissio se extendat?

1°. Atque hic avertat Deus ne liberalitatem suam velimus coarctare, cum nihil excipiat; avertat Deus ne homo ponat terminos... Dicimus ergo: ex verbis Domini hanc promissionem omnia bona complecti, non tantum spiritualia et aeterna, sed etiam corporalia et temporalia. Neque dubitare de hac re possumus, cum tot habeamus exempla... quibus Deus etiam per miracula orationes in necessitatibus temporalibus exaudivit,... orationes in necessitatibus tam privatis quam publicis laudat et commendat. Immo praescribit eas Ecclesia, quarum exemplum habemus in his ipsis processionibus et litaniis, quae... Quin etiam haec est una ex utilitatibus, quas Deus ipse intendit immittens calamitates, ut ad orandum nos cogat.

Quaecumque ergo petierimus Patrem in nomine Iesu, si modo veri discipuli sumus Christi, dabuntur; ita dicit Deus. Ergo nihil excipit? Nihil. Ergo nec nos debemus quidquam excipere, sed tamen explicare debemus. Attendite bene verba Domini... Nam cum dicat: *quaecumque vos,* discipuli, *petieritis Patrem in nomine meo,* iam patet talia bona intelligi,

sive spiritualia sive temporalia, quae petere decet discipulos Christi *qui* petunt, et Patrem *a quo* petunt, et nomen Salvatoris *per quod* petunt. Sequitur hinc posse te petere quae velis, sed sub hac conditione, ut petens temporalia, non petas ea quae saluti tuae sint contraria; nam neque tu esses discipulus Christi si talia peteres, neque Deus esset tibi Pater, si exaudiret, nec possent in nomine Salvatoris peti, per quae salutem perderes.

2°. Quid ergo petendum? *Quaerite primum regnum Dei*... Salutem et gratias petamus fidenter, et cum certa spe... In his ne timeamus... In millenis periculis peccati et interitus versamur; mundus plenus est scandalis et laqueis, in quos et daemon impellit et propria trahit passio... Si nos oramus quotidie ferventer: *Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire... Deduc servum tuum in viam rectam*... an exaudiet Deus? Certe, servabit a lapsu, et quamdiu nos in orando non deficimus, non deficiet misericordia Dei. Si de hoc dubitamus, iniuriam facimus eius bonitati et fidelitati. Gratiam etiam ultimam beatae mortis, quamvis nullis operibus mereri possimus,... tamen *suppliciter impetrare* possumus oratione, ut docet S. Augustinus, et ideo oratio consideratur ut unum ex signis praedestinationis. S. Gregorius dicit, consilia Dei circa nostram praedestinationem communiter exsecutioni mandari per nostram orationem.

Salutem ergo et gratias petamus non dubitanter. Et temporalia quid? etiam haec petamus, sed ita, ut non aliter ea desideremus, quam ut verum Christi discipulum a tali Patre in nomine Iesu Christi desiderare convenit. Quae temporalia servire possunt ad salutem, obtinebimus certo; quae nocerent non petere possumus. Potestne discipulus Christi petere divitias, quando Magister eius divitibus *vae* inclamat? Potestne discipulus petere famam mundanam, quando Magister eius in humilitate iussit salutem quaerere?... vitam dulcem, quando Christi doctrina doctrina est mortificationis etc? Attamen si hoc adhuc parum intelligimus, et ut stulti infantes talia volumus petere, (quamquam petere in nomine Christi haec fere impossibile) possumus quidem petere, sed ita, ut velimus, Deum nos tamquam patrem, qui infanti suo dilecto numquam concedat ea, quae...

Quodsi ita est, dicat aliquis, video ego iam multa excipi ab hoc promisso... Et quid? ergo vellemus, ut promissio Christi esset nobis in interitum? potestne esse maior stultitia? Et si Deus ita nobiscum faceret, si ad hoc se obligasset, ut etiam cum damno nostro... an esset amor... an non potius...? Petebant Israelitae in deserto carnes, et petebant cum fletu... dedit denique Deus per miraculum, et manducarunt et saturati sunt usque ad nauseam, et postea quid?

Adhuc erant carnes in dentibus eorum... Propterea dicit S. Augustinus, saepe Deum dare ex ira, quod ex amore negat... Avertat ergo Deus ne aut nos talia petamus quae... aut Deus tam stultam petitionem exaudiat.

Sed ego non peto superflua, ego non peto abundantiam... sed in afflictionibus, miseriis, auxilium peto: an non obligavit se Deus ut exaudiat? Ita est; si servus eius es, habes ius, et numquam frustra orabis; exaudiet Deus infallibiliter, et ita, ut non possis melius optare. Sed hic scire necesse est, duobus modis posse nos Deum iuvare. Potest ille afflictiones a nobis removere et sic facit Deus saepe; sed talis modus exaudiendi non est unicus, neque maxime desiderabilis. Est alius multo nobilior, et quidem, quando Deus videns nostram utilitatem, non liberat nos, sed dat nobis cor tale, ut patienter ferentes in meritum convertamus. Verum est hoc etiam in tentationibus. S. Paulus patiens tentationes petebat... An exaudivit Deus? exaudivit, sed non ut ille petebat, sed... Si ita etiam in tentationibus, multo magis in... Ita exaudiebat sanctos in afflictione clamantes; ita Filium suum exaudivit, qui cum tristitia, timore etc... rogabat ut calix transiret... exaudivit eum Pater, sed non removendo..., sed confortans eum ut... Petamus ergo et nos in afflictionibus, petamus cum fiducia fore ut nos in nomine Filii sui exaudiat et iuvet... sed modum nos iuvandi eius paterno amori relinquamus. Pater est, non potest nos deserere... Pater est, non potest preces et lacrimas spernere... Pater est, qui nos magis amat, quam nos ipsi nos, et si non exaudit, ut nos vellemus, exaudiet ita ut velle debemus, si nos vere amamus.

Peroratio. Est ergo inconcussa haec promissio Domini... si nos fideles... Oratione obtinebimus omnia spiritualia et temporalia... Beatus ille qui vita sua christiana ius habet ad... et multo magis ille beatus, qui utens hoc iure petit et petere non desistit usque ad finem. Manu palpabit ille veritatem huius promissionis, et fructibus orationis fruetur in hac vita, et ultimum obtinebet orationis effectum, qui unicus est finis, ut precum ita totius vitae nostrae, scilicet salutem aeternam, ut *gaudium* eius sit *plenum*. Contra infelix ille christianus, qui nomen solum habens discipuli, vitam ducens contrariam, ipse sibi apertos gratiarum thesauros occludit; et etiam infelicior, qui in tali statu non petit ante omnia ut ex tanta miseria Deus eum educat. Sed infelicissimi illi iuxta mundum beati, verum coram Deo miseri, qui habentes abundantiam, quasi non indigerent nec nossent Deum nec vitam aeternam, contenti hac temporali beatitudine, quae ut somnium praeterit, orationem plane negligunt nec quidquam etiam sperare possunt.

O Deus ne avertas orationem nostram a nobis, et certi erimus fore ut non *avertas a nobis misericordiam tuam.* Da nobis o bone Iesu, per SS. Nomen tuum, per quod nos orare iussisti, da nobis spiritum orationis, cum quo omnia bona nobis pariter evenient, ut largae promissionis tuae participes efficiamur et in hac vita... et in futura!

DE FREQUENTI MEMORIA PASSIONIS D. N. IESU CHRISTI

(Dominica Quinquagesimae).

Ecce ascendimus Hierosolymam et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Luc. 18, 31.

Exordium. Ita Christus Dominus iam morti proximus praedicebat non solum se passurum, sed etiam circumstantias passionis suae. Causae talis praedictionis erant multiplices.

1°. Ut in fide discipulos confirmaret: *ecce praedico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.*

2°. Ut passio eius non adscriberetur malitiae hominum, aut eius infirmitati, aut viribus inimicorum, sed eius amori erga homines, pro quibus ipse se tradidit et pati voluit, et hoc passus est quod ipse statuerat et sibi elegerat. Volebat etiam Dominus suum amorem ostendere, ob quem libenter de opere redemptionis nostrae loquebatur, licet sibi tam plenum esset ignominiarum et dolorum. Denique nos etiam suo exemplo ad frequentem memoriam passionis suae volebat excitare.

Ob hanc ultimam causam etiam nobis hodie Ecclesia legit hoc Evangelium, ut cum iam tempus instet ieiunii, tempus peculiariter memoriae passionis Domini consecratum, ad hoc nos verbis et exemplo ipsius Salvatoris excitet. Congrue igitur intentioni Ecclesiae nos etiam hodie ad frequentem memoriam patientis Iesu nos animemus. Iuvabit ad hoc consideratio utilitatum, e quibus duas proponam. Memoria passionis utilissima est omnibus sive iustis sive peccatoribus. I°. Iustis, ut perseverent in bono. II°. Peccatoribus ut ex tam misero statu resurgant.

Benedic orationi meae ex hoc misericordiae throno, Domine Iesu.

Pars I. Duae sunt causae, ob quas homo saepe in bono non perseverat. Nam vel nos timor alicuius mali a via virtutis avertit, vel nos spes alicuius boni ad peccatum pertrahit. Timemus adversa, incommoda etc... ad quae tamen omnia

debemus esse parati, cum haec sint quibus via caeli fit arcta et molesta. Contra, amamus commoda, delicias, famam, honores, pecunias etc., quae cupiditatibus nostris blandiuntur, et quae viam peccatorum, licet ad infernum ducat, faciunt laetam et iucundam.

Hoc duplici telo, malo et bono temporali, impugnant nos continuo hostes salutis. Quanta violentia et quo successu, ostendit quotidiana et numquam sat deploranda ruina tot animarum, quae vel ad evitandum aliquod malum, vel ad assequendum aliquod bonum, suam patientiam, innocentiam, puritatem, iustitiam, amorem Dei deserunt, peccato consentiunt, et ita a via caeli declinantes, lata iam via pergunt ad infernum. Utinam hoc in nobis ipsis non iam factum sit.

Quid ergo faciendum iusto, ut tantum periculum declinet, ut tales impetus hostium sustinere... resistere... in virtute perseverare possit? *Armamini,* inquit S. Petrus, sumite arma, et quaenam ille? Non alia quam cogitatio de passione Domini. *Christo passo in corpore, et vos eadem cogitatione armamini.* In quae verba S. Thomas bene dicit: « armamini, cum memoria passionis Domini adversus omnes impetus et tentationes... nos confirmet et armet ». Tantam vim habet crux Christi, inquit S. Bernardus, ut si illam nobis devote in memoriam revocemus, nulla concupiscentia nos, nulla libido ad peccatum superare possit, et statim, ad solam mentionem Passionis Domini, totus exercitus peccatorum fugere debeat. Et hoc quare? quia memoria passionis Domini, duplicia illa arma hostium, i. e. bonum et malum temporale, omnem vim perdunt, quia passionem Domini in mente habentes, et videntes Dominum nostrum bona mundi contempsisse et mala elegisse, discimus et nos eas contemnere, quibus nos ad peccatum inducunt, divitias... et eis non nimis timere, quibus nos terrent...

Praeclarum huius veritatis argumentum simul et exemplum habemus in magno Apostolo crucis S. Paulo. Tantus erat in illo contemptus mundanorum, ut omnia non solum pro nihilo, sed ut *stercora*... tanta in patiendo fortitudo, ut in fami et siti, in frigore et nuditate, vexatus a paganis et iudaeis, lapidatus, vinctus, plenus gaudio exclamaret: *gloriamur in tribulationibus pro* Christo... denique mira cordis magnanimitate provocabat quodammodo in se omnia adversa mundi et omnes daemonum vexationes, probans quasi cor suum et quaerens an esset aliquid, quod posset se ab amore Christi convellere: *Quis nos separabit a charitate...* Unde in illo tale cor toto mundo et inferno superius? Unde? quia semper Iesum crucifixum habebat in mente, ita semper illius meminerat, ut gloriaretur se nihil scire nisi

Iesum et hunc crucifixum. Ita ubique crux Christi eum comitabatur, ut dicere posset: *Christo confixus sum cruci...* ita passio Domini omnes eius cogitationes et facultates occuparat, ut fidem in Iesum passum suam vitam diceret: *In fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Haec continua memoria passionis fecit illum imperterritum et invictum, et propterea própria experientia doctus, conversis ex Iudaïsmo ut in persecutione non deficerent, hoc ante omnia praescribit: *recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus... contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*

Re vera si nos etiam exempli et adhortationis huius magni Apostoli Iesu crucifixi memores essemus, praesertim tum quando vel tentatio diaboli, vel passio propria ad peccandum trahit, vel quando adversa nos a virtute absterrent,... quam facile vinceremus! Quid? diceremus, Iesus, Deus meus, pendet in cruce, et ego illicitam voluptatem... Iesus Dominus, ut me salvet, in extrema paupertate moritur nudus, et ego pro vana re temporali... Iesus, Deus meus, in siti sua, in tam gravi agonia felle et aceto... et ego luxum et intemperantiam... Iesu, Deo meo, salus mea tanti constitit, et mihi nil constare debet! Et ego animam meam salvare gratis, sine labore, sine cruce, sine... Quando pro ea Iesus se cruci affigendum dedit, ebibit ille totum calicem amaritudinis, et ego ad unicam guttulam vultum contraho... O mi Iesu crucifixe, tu fortitudo mea, tu solacium, tu salus mea, propter te et tecum malo quidquid sensualitati blanditur abicere, quidquid potest esse grave ferre, quam ab amore tuo recedere! Ita, Christiani, diceremus, si passio Christi nobis memoriae inhaereret. Quod vero nunc e contra quavis tentatione, quavis molestia ad peccatum pertrahimur, causa in hoc praecipue est, quod passionis Domini non recordamur; ita exstimat S. Bernardus. Credimus Christum Iesum passum esse, scimus non esse nobis aliam viam,... sed vivimus quasi nihil horum quae credimus intelligimus, et hoc, quia raro aut numquam de passione Domini cogitamus. Quam multi sunt nomine quidem Christiani, qui tamen amantes unice,... et fugientes omnem molestiam... ita in omnibus sibi blandiantur, quasi pertineant ad numerum eorum, de quibus cum lacrimis scripserat S. Paulus: *Dixi vobis, et nunc flens dico: quia multi sunt inimici crucis Christi, quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum.* Sed iam tales non pertiment ad Christum, iusti esse non possunt, gratiam Dei dudum perdiderunt... Nihilominus etiam his, etiam peccatoribus, memoria passionis Domini est utilissima, ut...

Pars II. Praeclare ad rem meam, S. Bernardus: passionem Domini etiamnum renovare miracula, quae quondam facta sint

in eius morte. Tum, inquit Evangelista, terra tremuit et saxa dirupta sunt, et aperta sunt monumenta, et velum templi scissum est. Similia miracula etiam nunc efficit attenta passionis consideratio. Cum eam meditetur peccator, anima eius vilis, aggravata et quasi terrena, contremiscit ad conspectum tremendae iustitiae Dei. Cor eius saxeum conteritur et quodammodo rumpitur prae dolore, cogitans peccata sua, et Iesum pro his peccatis morientem. Et qui ut sepulcrum clausum continebat in se peccata, nolens aperire statum suum, aperitur per confessionem, ut mortem e sinu suo eiciat et ad novam vitam resurgat. Denique omnibus scinditur crassum illud velum quod peccatoribus oculos animae obscurat, et videre non sinit quid fecerint.

Et revera, quare peccatum tam facile et quasi per risum committitur, et quidam quasi gloriantes dicunt: *peccavi, et quid mihi accidit triste?* Quare tot in peccatis iacent, nec cogitant? Non alia de causa, nisi quia quasi velum habent supra oculos,... non vident quid sit peccatum, quid sit offendisse Deum... non intelligunt quam severa sit Dei iustitia... Quae omnia quam facile intelligerent, si vel semel attente passionem Domini....

Nec enim passionem Domini solum considerare debemus, ut opus misericordiae, sed eadem est etiam terribile exemplum eius iustitiae. Sic dicit S. Paulus, Deum posuisse Filium suum in ostensionem iustitiae suae, illius iustitiae, quam peccator maxime in Deo non vult agnoscere, *Pater iuste, mundus te non cognovit.* Verum quidem est, poenas aeternas, quibus Deus angelos malos et homines impios in inferno puniat, ostendere etiam et malitiam peccati, ob quod Deus infinite bonus creaturam suam, opus manuum suarum, ad tales flammas etc. condemnet, et severitatem iustitiae divinae, quae talem satisfactionem, poenitentiam aeternam exigat, sed tamen etiam certum est, iustitiam Dei in inferno posse considerari ut umbram eius, quam in passione Filii sui exhibuerit. Ibi punit servum rebellem, hic Filium dilectissimum tradit ad tormenta. Ibi vilem creaturam, merum nihil, et ob praevaricationem omni dedecore dignum, hic innocentissimum Iesum, Sanctum Sanctorum, personam habentem divinam. Sed quia ille se vadem dedit pro nostris peccatis, ab illo poena exigitur severissima. Video in horto hunc Salvatorem meum,... quomodo meis peccatis oneratus sistat se coram Patre in profundissima abiectione et confusione, procidat coram illo in faciem, placans iratam eius maiestatem et ad conspectum tormentorum, quae Pater exigit, sudore sanguineo perfusus, petat ut transeat calix tot dolorum et ignominiarum. Sed Pater caelestis... Ex decreto eius iustitiae, Filius eius dilectus a vili faece capitur, calcatur, illuditur, alapis

caeditur, conspuitur. Ex decreto eius iustitiae, hic Filius eius dilectus crudeliter flagellatur, et per novum crudelitatis inventum spinis ad irrisionem coronatur, tandem in monte Calvaria clavis cruci configitur, et ita hic Dominus ac Deus meus, quasi sceleratissimus inter duos latrones suspensus, sine solacio, sine auxilio, sine commiseratione, desertus, contemptus ab omnibus in probroso ligno exspirat. Ita voluit Deus, ac licet talis personae vel unica sanguinis gutta, una lacrima, unus gemitus fuisset abundans satisfactio pro omnibus peccatis, quae creaturae committere possent, tamen exegit Deus talem Filii sui passionem ad ostendendam malitiam peccati et severitatem suae iustitiae.

Quomodo haec considerans, non exclamem cum S. Bernardo: « O homo, agnosce gravitatem eorum vulnerum, propter quae Dominus Iesus debuit vulnerari! Quomodo peccator talem passionem videns non timeat Dei iustitiam, praesertim dum audit: *si haec in viridi . . . quid in arido..?* Fieri non potest, ut e peccatis non resurgat qui passionem Domini meditatur . . . Ut memoria huius passionis iustis servit ad perseverandum in bono, ita efficacissime etiam peccatorem a peccatis et habitibus pravis educit.

Peroratio. Quae cum ita sint Christiani, exerceamus nos in hac re omnes, sive iusti, sive peccatores . . . et quam saepissime . . . Utique habemus ad hoc tot media . . . Christus Iesus sciens quam nobis hoc sit utile, instituit in Ecclesia sacrificium Missae, in quo quotidie . . ., Ecclesia S. etiam volens nobis quam saepissime crucem Domini in mentem revocare, proponit nobis in ecclesiis in quovis altari, et extra ecclesias in variis locis effigiem crucifixi . . . Ex doctrina eiusdem Matris actus religionis, quem primum discimus et quem toties quotidie repetimus, est expressio huius signi salutis nostrae. Quare ergo haec omnia nobis ad cor non transeunt? . . . Quia facimus ex consuetudine . . . quia tantum superficialiter facimus . . . Assuescamus ad frequentem memoriam passionis Domini . . . Habeamus saepe in ore verba magni illius amatoris crucis: « Amor meus crucifixus est »... In tentationibus, in periculis peccandi, in afflictionibus etiam et adversis, cruce sancta et memoria passionis sustentemus nos et confortemus, ut nobis Dominus et Salvator noster, postquam nos participes fecerit passionis suae in hac vita, gloriam suam ostendat in caelo. Concede hoc nobis, o Amator noster, oramus te per passionem et mortem tuam . . .

DE CONFESSIONE

Erat Iesus eiciens daemonium et illud era mutum. Luc. 11, 14.

Exordium. Evangelium hoc de daemonio, quod erat mutum, id est, quod mutum faciebat hominem, quem possidebat, dat occasionem dicendi de re, de qua ut saepe dicerent, S. Theresia, sapientia caelesti et sanctitate in Ecclesia nobilis, contionatores enixe hortabatur. Nam est etiam spiritualis loquelae absentia, sine comparatione magis noxia quam corporalis, utpote quae non ut ista ad res vitae temporalis, sed ad vitam aeternam maximum est impedimentum. Fors iam intelligitis de quo morbo velim dicere. Est morbus illorum hominum, qui decepti ab eo inimico qui hic daemonium mutum vocatur, nesciunt loqui ibi, ubi unice remedium invenire possint, hoc est in Sacramento poenitentiae. Non est alia causa generalior, ob quam maior pars ipsorum fidelium perit. Dicamus ergo de hoc sacramento, praesertim cum etiam tempus sit opportunum. Et quoniam sunt etiam, qui non solum negligant, sed etiam plane contemnant, quasi esset humanum inventum, convenit nos simul in fide confirmare. Duae ergo questiones: 1°. Estne omnino necessaria confessio ad obtinendam veniam? 2°. Quomodo confiteri necesse est ad veniam obtinendam?

Pars I. Estne igitur necessaria confessio peccatori, ut...? Ita, est necessaria omnino.

Et 1°. in Evangelio clare legimus Christum et promisisse et dedisse potestatem remittendi peccata... Promisit quando dixit Petro: *tibi dabo claves... quodcumque solveris... et quodcumque etc.* Dedit hanc potestatem quando post resurrectionem dixit omnibus Apostolis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum etc.* Quid potest esse clarius?... Dat Christus certis personis claves regni caelestis, dat illis potestatem non tantum remittendi, sed etiam retinendi, non tantum solvendi, sed etiam ligandi peccatores. Quis igitur peccator potest dicere: ego ipse quando voluero, solvam meipsum; alieno ad hoc ministerio non indigeo; ipse obtinebo remissionem, aperiam ipse mihi caelum; vestri, qui claves habetis, non indigeo? Quia vero officio suo fungi non possunt sacerdotes caece, sed vel dimittere vel retinere unicuique iuxta statum suum, et ut iudices sententiam dicere debent, quomodo possunt hoc facere, nisi ipse peccator statum suum aperiat, in quo versetur, quomodo Deum offenderit, quocum vult reconciliari? Ex his ergo verbis Domini clare apparet absoluta necessitas confes-

sionis... Hinc in Ecclesia illa consuetudo confessionis inde a temporibus apostolorum, ut de primis Christianis dicitur: veniebant *confitentes et annuntiantes actus suos.* Ita intellexerant apostoli verba Domini, ita deinceps tota semper Ecclesia, et omnes SS. Patres (textus SS. Patrum).

2°. Graviter igitur errant, immo imprudenter mentiuntur illi homines, saepe quidem nomine catholici, sed eo ipso a fide alieni, qui, quia nimis multa habent, quae confiteri ipsos pudet, volentes utcumque remorsus lenire, tam audacter dicunt confiteri non esse necesse, confessionem esse inventum humanum. Ostendant quis sacerdos, vel episcopus, vel Papa confessionem instituerit! Quomodo hoc factum sit, et quo modo acceptum; quomodo tali legi..., naturae repugnanti, omnes fideles etiam docti, etiam domini, etiam principes et reges se subiecerint. Ad tales quaestiones iam utique nihil respondebunt, neque enim habent quod respondeant. Sed talis est libertinorum consuetudo (advertite hoc bene, nam generalis haec est ad istorum errores responsio): quaecumque in mentem veniunt, affirmant, sed sine ullo fundamento, quo etiam non indigent; satis illis est, quod se et similes sibi leves ac vanos eludant. Ipsi sanae rationi repugnat humanum inventum talem legem hominibus imponens, cui legi nemo obstiterit.

Hoc Sacramentum a Christo est institutum, qui ut omne iudicium sibi dedit Pater, ita omne iudicium dedit sacerdotibus, ut inquit S. Chrysostomus. Quod si qui in causa civili iudicia et iudices a Principe constitutos non agnosceret, et clamaret: ego ab ipso Principe volo iudicari, si, inquam, talis haberetur pro stulto vel pro rebelli, iam patet quid de illis iudicandum sit, qui in causa conscientiae iudicium sacerdotale a Domino institutum nolint agnoscere...

Satis ergo de his. Sed gravissime dolendum quod etiam ex illis, qui de hac veritate non dubitant, tot sunt qui ab usu tam necessarii Sacramenti refugiunt. Etenim non pauci sunt, quibus haec sola cogitatio, quod confiteri necesse sit, quasi intolerabilis est, qui propterea semper habent impedimenta; nam quod non libenter facimus, ad hoc semper aliquid impedit. Tempus non habemus, non permittunt negotia... O mi Deus, ergo mundare animam suam, ergo salus aeterna non est negotium... ergo non est tempus ad hoc, a quo pendet aeternitas!...

An non est evidenter fraus diaboli muti, qui tam fortiter his hominibus os occludit, tam fortiter illis linguam ligat, qui ut lupus ovilem cervicem arripit, ne forte ad vocem illarum pastor oves ex eius gula eripiat? Persuadet eis fore etiam sat temporis... An ita non decepit multos, qui differebant, et usque differebant, denique etiam in ultimo morbo

differebant, semper putantes futurum esse tempus, donec tandem sonaret hora, qua angelus, de quo in Apocalypsi, iuraret per *viventem...* quia *tempus...* Tum illi, non accepta benigna sententia in tribunali poenitentiae, abrepti sunt ad iudicium iustitiae. Praeservet nos Deus... et quoniam Ecclesia, volens terminos ponere negligentiae, sub gravi poena et sub novo peccato mortali obligat saltem semel in anno... non dubito quin vos omnes, ut veri filii huius matris, confessionem paschalem facturi sitis... Ut ergo certam utilitatem capiant, ad alteram quaestionem accedo: Quomodo?... Atque hic, quaeso, ne cogitate: O scio ego quomodo... scio catechismum. Etiam ego sane sic de vobis existimo, vos scire catechismum omnes, et tamen puto obligationis meae de hoc dicere quomodo... quod mihi occasionem dabit ad utiles et necessarias observationes...

Pars II. Ut non est Sacramentum communiter fidelibus magis necessarium quam... ita nullum Sacramentum maiorem requirit praeparationem ex parte suscipientis. Verum est unumquemque hoc scire. Si quaererem: an necesse est ante confessionem diligenter se praeparare? unusquisque respondebit: necesse est... An examinare conscientiam? necesse. An necesse ex corde dolere, proponere? necesse. An confessio debet esse sincera, completa? O omnino sic, respondebit. Et tamen hoc ipsum est, quod nos in hac re ut in multis aliis, licet scientes, non facimus.

Notum est confitentem sine praeparatione vel negligenter, ... exponere se periculo sacrilegii, et tamen quam multi sunt, qui habentes confessionem pro obligatione valde molesta, et propterea non nisi semel in anno quasi coacti accedentes, ut quam citissime se expediant, sumpto die aliquo, post valde brevem et levem praeparationem ad confessionale veniunt, cum tamen sit evidens fieri non posse, ut in tanta dissipatione viventes, in tot occasionibus, in tam exigua aut nulla vigilantia supra se, unica media hora aut hora etiam, de toto anno examinare se possint, et multo minus cor suum conterere et disponere. Parum esset aliquos etiam dies impendere ut omnia peccata gravia, non factis solum, sed et verbis et cogitatione et omissione per totum annum commissa, et numerum et circumstantias aggravantes in memoriam revocarent... Eritne accusatio coram Deo: oblitus sum haec et illa, quia festinabam, et parum statum conscientiae meae consideraveram?

Notum est confessionem sine dolore et proposito esse corpus sine anima, esse irritam et saepissime sacrilegam... et tamen quot sunt qui examinant quidem, sed in examine totum ponunt, adeo ut de dolore et proposito nec cogitent, quasi putent totam confessionem in eo esse ut fidelem ra-

tionem peccatorum reddant, qui propterea etiam quotannis ad confessionem, sed etiam a confessione ad peccata sua redeunt. O auditores, si confessionalia ista loqui possent, testarentur quantam difficultatem, quantum tormentum faciant vicariis Christi quidam homines, non propterea quod gravia afferant, non... Condolent potius sacerdotes, scientes infirmitatem humanam, et thesaurum meritorum Christi libenter dispensant, memores misericordiae Domini... immo quo graviora peccata, si bene dispositi, eo magis gaudent quod animam Deo reconcilient. Non turbat ergo gravia audire, etiamsi essent multo graviora; sed hoc turbat, torquet, cruciat, quod quidam habentes talia peccata, narrent quasi historiam, sine signo doloris, quasi insensibiles, quasi nihil curantes, neque poenas aeternas quas meruerunt, neque bonitatem Dei, qui paratus est propter passionem Filii sui omne debitum donare, et ad gratiam recipere... Hic defectus doloris et propositi sine dubio communissima causa est malarum confessionum.

Notum est confessionem debere esse integram, plenam, sinceram, prout in corde sentiatur, alioqui esse sacrilegam... et tamen, o quot iterum in ipsa confessione defectus! Cum peccata verbis obvolvantur, cum pessima desideria deliberata vocentur tentationes, cum effraenis licentia in turpibus dictis et iocis vocetur immodestia, vel nimia hilaritas; cum tentationes iterum contra fidem vocentur blasphemi sermones et lectio librorum impiorum, quorum sola lectio iam est non tentatio sed peccatum!... An ergo talis modus non est idem ac peccata celare? Et quis est qui nesciat per tales confessiones animam reddi magis ream?

Quid ergo existimandum de illis qui tam male...? Quae causa tot talium confessionum? Non alia nisi haec, quod confessionem considerant quasi annuam caerimoniam, non ut Sacramentum poenitentiae... quod accedunt non cum desiderio reconciliandi se cum Deo, sed ut quocumque modo servent morem... Quia plane non intelligunt neque quam miser sit status peccati, status maledictionis et damnationis, neque quanta felicitas perditam gratiam recuperare, ius acquirere ad caelum, ideo parum ipsis cordi est ut confiteantur bene. Hinc cum exteriori caerimonia poenitentiae vere poenitentes non sunt... *scindunt vestimenta sua et non corda sua,* ut quondam obduratus ille populus in signum poenitentiae vestimenta lacerabat, et cinere se conspergebat... Re vera sic illi sistunt se ad confessionale, sed de peccatis non vere dolent; itaque non faciunt quod Deus requirit.

Ne simus igitur ex numero illorum infelicium, ad quos pertinent verba S. Scripturae: *Generatio* (ad designandam multitudinem) *quae sibi munda videtur, et non est lota a*

sordibus suis. Nolimus ad hanc generationem pertinere, scientes hoc Sacramentum a Christo ad salutem nostram institutum, caveamus ne nobis sit in damnationem ob malum usum. Scientes hoc opus esse magnum, cum confiteri bene tantum valeat peccatori, quantum valet salvari, ne umquam accedamus sine diligenti praeparatione, numquam sine dolore et proposito, numquam ficte, sed sincero corde quaerentes Deum placare. O si sciremus quam benignum sit Cor Dei erga eos, qui sincere resurgunt. *Convertimini ad Deum,* inquit, *ex toto corde vestro, quia benignus est et misericors, patiens, et multae misericordiae, et placabilis supra malitiam, his qui quaerunt illum.* O quanta felicitas poenitentis peccatoris, qui cum Creatore suo reconciliatur! O quantum gaudium cordis, cum sibi post factam confessionem hoc dare testimonium potest: feci quidquid Deus pro remissione exigebat, ergo verba gratiae quae ex ore eius vicarii in terris audivi, confirmata sunt in caelo... Ille cor meum vere poenitens, vere contritum vidit, Ille mihi per sacerdotem suum dixit: *dimittuntur tibi peccata tua.* O dulcia verba... o ineffabile solacium... Dimissa sunt mihi peccata... deposui hoc onus grave, conscientia mea quieti reddita, sanata sunt lethalia vulnera animae meae, ex ira ad gratiam, ex damnatione ad salutem, ex morte ad vitam reductus sum, gratia et misericordia Salvatoris mei Dei.

Da hoc Christe Iesu, da omnibus fidelibus, per...

DE CONFESSIONE.

Et erat eiciens daemonium, et illud erat mutum.
Luc. 11, 14.

Exordium. Quoniam haec videtur intentio Ecclesiae, ut ex occasione daemonii muti de confessione... I. Necessitas et utilitas confessionis contra libertinos. II. Motiva frequentis confessionis.

Pars I. 1°. *Blasphemiae ex corruptione cordis.* Imprimis Christiani, vos praesertim iuvenes, habete pro certo, sicut omnis incredulitas non tam ex persuasione... sed ex corruptione oriatur, ita in hac materia... neminem eorum qui in sinu Ecclesiae educati sint, eo umquam pervenire, ut Sacramentum poenitentiae blasphemet, nisi ex hac ipsa causa. Non in intellectu nascitur apostasia, sed in moribus, qui primo cor corrumpunt, tum intellectum pervertunt. Quicumque ex illis qui quondam *fuerunt* catholici... *(quia iam non*

sunt) blasphemat, estote certi eum multa habere quae dicere pudeat... vel in peccatis iacere ex quibus resurgere non velit. Neque ille statim pervenit ad talem malitiam, sed gradatim... Primo daemon avaritiae vel superbiae, vel quod frequentissimum, daemon impuritatis illum occupavit ad committenda haec peccata,... dein cum ei pudorem abstulisset diabolus, reddidit ei plus quam satis cum necesse esset confiteri... ac denique ut quocumque modo rodentem conscientiam placaret, in dubium vocavit necessitatem confitendi: *fortasse, fortasse*... Ita demum idem diabolus qui primum mutum illum faciebat, os occludebat, linguam ligabat ne confiteretur, iam ei linguam solvit et os aperit et valde eloquentem facit ut iam blasphemet, quod dudum oderat. Necessaria valde et maximi momenti admonitio generaliter contra omnes blasphemias... Cavete vos praesertim iuvenes... Primum non fidere talibus, licet dulcedo in lingua, licet compositio externa... honestas... *lupi in pelle ovina*... Tales multi erunt, in fine saeculorum... ad nos pertinet vos praemonere. Secundo cavere peccata et malos habitus, estote casti, et eritis semper fideles.

2°. *Necessitatem confitendi* dicunt *inventum humanum.* Quis... quando... quomodo acceptum? Docti, Domini, Principes, Reges... et quod nulla mandata, nulla tormenta umquam extorquere possunt, hoc inventum humanum fecit! Id sana ratio non admittit. Sed nos ostendimus initium.

In Evangelio (utique nunc circumportant Evangelia, Biblia...!) *a*) Matth. 16, *promissum, b*) Ioannis 20, *datum*... Potestas ad absolvendum non solum, sed etiam ad retinendum; sunt ergo constituti iudices, ergo necesse est exponere causam... Quis potest dicere: non indigeo... ipse obtinebo remissionem; ergo sine causa claves datae, sine causa iudex constitutus?... Sed *ego Deo confiteor,* bene facis, et necesse est, sed non est satis. Monarcha statuit iudicia et iudices; qui iam diceret: volo ab ipso Monarcha iudicari, haberetur rebellis vel insanus. Monarcha facit ex necessitate... Deus non ex necessitate sed quia... est ergo confessio inventum, sed inventum Dei, inventum Christi, et nequaquam grave, sed valde tolerabile propter facilitatem et utilitates.

3°. *Facilitas et utilitas.* Tolerabile hoc onus: 1°. coram uno... 2°. coram tali... 3°. sub tali secreto. Peccatum in confessione dictum, est lapis in mari demersus, nemini sacerdos potest revelare. Etiam iuratus potest et debet respondere *nescio,*... nec tibi ipsi potest hac de re loqui sine tua licentia.

Utilitas. Nisi hoc sacramentum esset, semper essemus dubii. Sed quando sacerdos dicit: ecce ego habeo claves,

ecce habeo potestatem, ego hodie, hac hora, tibi nomine Dei dimitto... O quanta dulcedo! quantum levamen!... Sciunt hoc et quasi manu palpant, qui utuntur... ipsi blasphematores hoc ostenderunt non semel, cum ipsi in periculo in hoc sacramento quaererent auxilium. Ipse primipilus eorum et daemon Voltaire saepe in vita, et in ultimo morbo petivit... bis sacerdos... sed denique... Recordamini hoc exemplum, quando audietis blasphemantes etc.

Pars II. Motiva ad frequentem confessionem.

1°. Quid iuvabit quod credimus si tamen non utimur? Thesaurus absconditus...

2°. Semel in anno... Ecclesia dicit *minimum*, quasi diceret... Propterea sub tali poena... Essetne bonus pater familias qui non nisi semel in anno... essetne Dominus contentus de oeconomo qui...? Et quomodo... Omnia eo ipso difficiliora, examen conscentiae difficilius, et dolor, et propositum, et confessio ipsa.

3°. Necesse est cum Deo reconciliari, nam inimicus Dei victima inferni, maledictione dignus, mortuum membrum in Ecclesia. Ergo quamprimum... propter Deum, propter te, propter domum et negotia, propter Ecclesiam sanctam, nam sanctorum communionem profiteris, nec tibi potes in hoc statu prodesse, nec proximo, nec animabus in purgatorio, et Sancti te abhorrent.

4°. *Doleo interne.* Bene, sed vel dolor tuus perfectus vel imperfectus. Si perfectus... includit propositum confitendi quam primum; si imperfectus, non sufficit.

5°. *Negotia impediunt.* Sed haec semper erunt, ergo etiam tempore paschali. Tamen *unum est necessarium.*

Peroratio. Ah ne sinamus nos ita deludi! Non potest daemon efficere apud fideles, ut non credant, ut blasphement hoc sacramentum; ergo efficit ut differant. Diaboli hoc verbum est: *cras, cras!* Dei verbum est *hodie.* Ne differas de die in diem. Paucine sunt qui distulerunt et postea etiam in morbo... donec..? *Nisi poenitentiam egeritis omnes similiter peribitis.* Domine Iesu Christe, libera nos a tali illusione, aperi ora nostra ad confessionem peccatorum nostrorum ut mundati te laudare valeamus...

DE FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Gaudete et exsultate quoniam merces vestra copiosa est in caelis. Mt. 5, 12.

Exordium. In mediis afflictionibus, in saeva persecutione, in paupertate, in miseria, inter iniurias et dolores, non modo non cadere animo, sed etiam in his omnibus gaudere et

exsultare, est hoc humanae infirmitati possibile Auditores? Possibile certe, quando ita iubet is, qui humanas vires optime cognovit et bene scit quid possit eorum infirmitas eius gratia sustenta: *Gaudete et exsultate quoniam merces...*

Reserat quodammodo coram oculis nostris Ecclesia illa tabernacula, et ostendens innumeras Sanctorum turmas ex omni natione, ex omni aetate et condicione, Videte, ait, en maiores natu fratres vestri ac sorores, eiusdem vobiscum naturae, qui quondam ut vos vitam... nunc autem exsultant in pace... Videte, et qua via illi, eadem et vos... Fuerunt illi quod vos nunc estis; quod illi nunc sunt, id vobis aliquando esse necesse est. Sunt sancti, sancti estote et vos! Necesse est, suave est.

Pars I. Necesse est. Obligatio est omnibus sanctificatio. Ut de hac veritate convincamur, nihil aliud requiritur nisi bene ponderare in quo consistat sanctitas, quid sit, *esse sanctum.*

Praemittatur ergo in primis, varios esse gradus sanctitatis, iuxta dictum Domini: *In domo Patres mei mansiones multae sunt* — Ut varii sunt chori angelorum vel caelestium spirituum, ita varii etiam ordines sanctorum, quorum unus alio sanctior; sed tamen omnes sancti.

Quaenam ergo est illa sanctitas ad quam lege Evangelica obligamur? In quo consistit? 1°. Non in faciendis miraculis. B. Virgo certe sancta, S. Ioannes Bapt. sanctus, sed non fecere miracula; immo apparebunt in iudicio qui et miracula fecerunt sicut Iudas. *In nomine tuo fecimus... non novi vos.*

2°. In quo ergo consistit? An in eo ut omnia bona deserantur et homo sese in aliqua eremo vel in monasterio includat? Non. David... Abraham non modo divites sed reges, et tamen sancti... Contra ex illis qui religiosi facti sunt, multi perierunt.

3°. An in eo consistit sanctitas, ut fiant res extraordinariae, et gravia praeter ordinem tolerentur? — Non, non in hoc... Nam *loqui non modo linguis hominum, sed etiam angelorum*, et *omnem substantiam dare pauperibus*, et *corpus suum tradere ita ut ardeat*, res sunt certe extraordinariae, et tamen S. Paulus dicit, aliquem his omnibus non fieri sanctum, et posse cum his omnibus perire.

In quo ergo sanctitas consistit? Audite, vos praesertim, qui cum aliquod exemplum virtutis audiatis, statim dicitis: sed ille erat sanctus. Quid hoc est, ait S. Chrysostomus, ille erat sanctus? Vobisne ergo sanctis esse necesse non est? Audite ergo, christiani, sanctum esse est obligationibus status satisfacere, a peccato abstinere, gratiam sanctificantem sollicite conservare. An igitur ad id non sunt obligati omnes? *Scitis, Fratres quae praecepta dederim vobis per Dominum*

Iesum, ita Apostolus ad Thess. Non consilium, sed mandatum et quale? *Haec est voluntas Dei sanctificatio vestra...* Et haec sanctificatio in quo consistit? *Ut abstineatis vos... Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctitatem...* et ad Ephes. cum enumerasset varia crimina, haec *nec nominentur in vobis, sicut decet sanctos. Elegit enim nos Deus ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius, in charitate.* Ecce, in vita immaculata i. e. sine peccato, in charitate, i. e. in conservanda gratia Dei ponit sanctitatem. An vero haec Apostolus ad sacerdotes, ad religiosos, ad eremitas scribebat? Non certe. Ad quos ergo? Ad habitatores Thessalonicae et Ephesi, et nemo fidelium mirabatur quod ipsos iuberet sanctos esse, neque aliter solebant vocari illi primi christiani nisi *sancti.* An mutata nunc sunt officia christianorum, obligationes? Non certe. Ecclesia, cuius membra sumus, etiam nunc est sancta. Doctrina, Sacramenta, Caput eadem sunt: et nos in Baptisto Spiritu S. sanctificati sumus, nec minus quam primi christiani renuntiavimus carni, mundo, diabolo, quo sollemni ritu ad sanctitatem nos obligavimus. Nolo ergo iam argumenta conquirere ad probandam hanc veritatem; sed solum ingemiscere quod haec veritas tam communiter in oblivionem abierit. Quis umquam hac de re cogitat? Indifferentes quibus festa et caeremoniae sunt dies recreationis; qui usum sacramentorum piis mulieribus committunt?... Quam multi qui in peccatis manent obruti, nec de recuperanda gratia cogitant! Vidimus sanctitatem omnibus necessariam esse, videamus iam quam haec obligatio sit suavis et facilis.

Pars II. Suave est. Ne putetis, velle me hoc loco dissimulare et occultare coram vobis difficultates ac labores, sine quibus sanctitas christiana nec acquiri, nec conservari potest. Nam quid hoc iuvaret? Immo praedicans vobis veritatem Evangelii, alta voce inclamo quod inclamabat Christus, viam ad sanctitatem esse arctam, regnum caelorum vim pati, nec nisi violentes illud rapere; necesse omnino esse abnegare semetipsum, et tollere crucem suam: verbo, quod dicebant maiores nostri, primi Christiani, id repeto: *quia per multas tribulationes oportet nos* sanctos fieri, et *intrare in regnum Dei.* Et quomodo ergo, dicetis, haec facilia sunt. An vero haec omnia non abhorret natura? Verum est,... Sed nunc, quaeso, imponamus tantisper huic naturae nostrae silentium. Corrupta est, aegra est, et quocumque modo illam vertemus, semper dolet; caeca est, et suum proprium bonum non cognoscit. Consideremus prope res ipsas, inspiciamus quales sint sine his praeiudiciis.

1°. Verum est igitur viam sanctitatis ad caelum esse arctam; sed etiam hoc verum est, hanc viam arctam esse viam verae quietis et beatitudinis et contra viam latam esse viam

inquietudinis et infelicitatis: *ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniquitatis.* (Ab exemplo ipsorum auditorum). 2°. Verum est necesse esse abnegare semetipsum et vim sibi inferre, pugnando contra perversas inclinationes et cupiditates; sed et hoc verum est: talem abnegationem sui ipsius et generosum certamen adversus inclinationes suas esse militiam verae pacis et laetitiae intimae; et contra, si cupidates sequamur, non comprimi, sed magis insurgere internas illas tempestates, quae primae causae sint nostrarum afflictionum, nostrarum tristitiarum et maerorum... Cupiditates sunt sicuti rebelles in civitate. 3°. Verum est necesse esse ad sanctitatem tollere crucem suam; sed an iuxta mundi principia viventes erimus sine cruce? Aut cruces sanctorum solum considerabimus, et non attendemus internam unctionem, id est, solacia quibus cruces dulcescunt? Vocans Christus Iesus ad vitae sanctitatem, non a quiete ad laborem, sed a labore ad veram quietem vocat: *venite, tollite iugum* etc. Cum veritas aeterna suam legem vocet iugum suave et leve onus, possumusne dubitare quin...? Sed condicio servanda est quam Christus exprimit: *Tollite iugum super vos...* (hoc explicandum... utraque manu tollendum).

Quis melius potest iudicare, utrum facile sit legem Dei servare an difficile? Utrum is qui expertus est, et diu expertus est, an ille qui eam non servat? Iam vero quicumque servarunt legem Dei, Sancti omnes, testantur non esse difficile, sed facile. In antiquo Testamento « *timoris* », quando non tam copiosa gratia onus praeceptorum divinorum suave reddebat, tamen etiam tum servantibus praecepta erant suavia et iucunda; plena est S. Scriptura testimoniis. S. Rex David in uno psalmo bene longo totus se effundit in laudes legis divinae, et custodiam illius habet sibi pro maxima delectatione et suavitate, eamque rebus comparat quae hominibus accidere solent iucundissimae (Ps. 118). In nova lege, omnium sanctorum historia demonstrat eorum vitam non fuisse tristem, melancholicam, horribilem... Minime, immo vero gratam, dulcem, verae laetitiae plenam. Quidam ex illis, Augustinus et multi alii, longo tempore mundum sectabantur, et inani quodam terrore difficultatum a sanctitate sectanda retinebantur. An hi suscepto semel famulatu divino gemebant de gravitate oneris, quod subiverant?.. *Sero te amavi.* (S. Aug.) *Decepisti me, decepisti, qui fingis laborem in praecepto.* (Amplificanda sunt haec ultima verba.) Quibusnam ergo, quaero iterum, quibus credemus? Utrum illis qui ex propria experientia loquuntur, an aliis, qui ipsi non cognoscunt id quod horrent?

4°. Sed pati multa necesse est... Numquid hoc est facile? Videamus de quibus laboribus agatur? Si de illis quas

ipsa condicio nostra in hac vita secum adfert, de egestate, de morbis, de doloribus, de aliis infortuniis, sine quibus in mundo non vivitur, certe dubium non est... Cum haec autem vitari non possint, profecto facilius multo erit pati omnia sancte, modo vere christiano, quam cum peccato et impatientia. Quid enim vobis videtur, auditores? Utri e duobus tolerabilius fuit pati, bono latroni in cruce an malo? — Sin autem hic agitur de illis afflictionibus, quae non ex necessitate, ex naturae condicione, sed propter iustitiam, propter virtutem, pro Deo nobis superveniunt,... sane indigni sumus tanta gratia... sed si nos aliquando Deus afficere aliqua tribulatione pro nomine suo dignaretur, o quantum hinc solacium, quantam dulcedinem hauriremus! Exemplum S. Pauli: *Repletus sum... Superabundo*... Ah! auditores, quidni possum diutius de tam grata materia vobiscum agere, et fontes vobis indicare, unde sancti Dei Servi tam admirabile in afflictionibus suis solacium ceperint! Sed cum temporis brevitas id non concedat, unum reliquum est, ut unde exorsus sum, eo finem imponam, et aspectu reserati hodie caeli ad sanctitatem vos exhorter, quam acquirere ostendi vobis esse obligationem omnium nostrum, eamque gratam ac facilem.

Peroratio. Quid nos igitur, auditores, impedit quominus ad sanctitatem christianam tendamus? Quando nobis unius tantum Sancti exemplum proponitur, minus fortasse nos moveri sentimus. Verum omnium simul Sanctorum aspectus, quos inter nemo nostrum non inveniet multos similes suae condicionis, efficaciter nos excitat ad eos imitandos. Quid nos igitur, quaero iterum, quid impedit quominus sanctitatem sectemur? Peccata multa et gravia? Ah fratres mei peccatores, aspicite caelum: ecce Paulus, Magdalena, Augustinus, Margarita, tot alii qui tantum peccaverant... Plus forte peccaverunt quam vos... et tamen sancti facti sunt. Profundius descenderant quam vos... et tamen non tantum e peccatis emerserunt, sed etiam... Potuerunt isti et istae, et vos non potestis? Aut ipsi suis viribus, et non gratia Dei? Quare opus est ut gratiam Dei acquiratis, et hac ipsa die sanctitatis fundamentum iaciatis. Utique aperti semper *fontes Salvatoris*, Sacramenta sancta, e quibus fideles *hauriunt cum gaudio*. Accedite et vos, *gustate et videte*... Quid ergo vos impedit? Scio quid dicatis. Ah tot sollicitudines, tot curae... Si non essent ista onera rei familiaris, si non liberi, si non ista officia, si non famulatus, si non paupertas et miseria... Quid, auditores dilectissimi! Haeccine sunt impedimenta sanctitatis? Aspicite caelum etc...

DE NATIVITATE D. N. IESU CHRISTI

Gloria in excelsis Deo.

Exordium. Praecipuum gaudii nostri argumentum est gloria Dei, quemadmodum praecipuum nostrum desiderium esse debet... *Sanctificetur nomen tuum*... Iamvero in nullo mysterio magis elucent perfectiones Divinae, in nullo Deo plenior laus et gloria tribuitur...

Pars I. Elucent perfectiones Divinae. Deus humanae naturae dignitatem mirabiliter condidit, mirabilius reformavit. Peccarunt angeli, peccarunt homines. In angelis ostendit Deus iustitiam, in homines divitias misericordiae suae effundere statuit, sed modo tam admirabili ut sola divina sapientia talem modum invenire, sola omnipotentia exsequi potuerit. Consilium Dei diligenter considerate.

Cum cecidisset homo, factum est, iuxta pulchram cogitationem S. Bernardi, certamen quoddam inter iustitiam Dei et eius misericordiam; instat iustitia ut... contra defendit misericordia hominem lapsum... Iustitia iure merito exigit interitum hominis, sed misericordia habet etiam graves causas pro se et quoniam misericordia Dei quasi soror natu maior et super omnia opera Dei primatum tenet, ideo inclinatur Dominus in partes misericordiae... Sed quomodo?...

Potest quidem vel mere condonare, vel satisfactionem homini vel angelo committere; potest quia Dominus supremus... Sed condonare sine poena non permittit iustitia, committere angelo vel homini etiam parum videtur... Ipsa etiam misericordia non est contenta si exsecutio decreti benigni fiat ab alio quam a Deo ipso. Pater, inquit, si misereri vis hominis, miserere ut Deus! Quid ergo fiet?... Ecce invenit Deus modum sublevandi hominis talem in quo et iustitia severissima et abundantissima misericordia... O admirabile inventum Sapientiae infinitae, o ineffabile consilium Sanctissimae Trinitatis! Homo peccavit, homo peccatum luet..., sed talis homo, qui non habens ipse peccatum et dignitatem habens divinam, dignam Deo dabit satisfactionem. Verbum caro fiet: Filius Dei, Deo Patri aequalis, fiet homo et in sua persona coniungens utramque naturam, divinam et humanam, pro hominibus peccatoribus satisfaciet. Deus homo sua humiliatione, suis lacrimis et pro hominibus, iam fratribus suis, Patri debita omnia solvet, etiam supra quam necesse est, ut eo copiosior sit misericordia quo severior iustitia. Ita statuit Deus et ita fit. Iam Verbum caro factum est, iam Filius Dei factus est homo et hic Deus — homo hodie natus opus redemptionis nostrae iam aggredi-

tur: *misericordia et veritas obviaverunt sibi, iustitia et pax osculatae sunt*... Hae duae perfectiones divinae consociatae ad salutem generis humani. Utraque hic elucet maxime, cum neque misericordia plus facere quam... neque iustitia severiorem satisfactionem exigere quam... *Gloria igitur in excelsis Deo,* ex ostensa tali iustitia et misericordia et ex ostensa tali sapientia in earum coniunctione quae sibi videntur oppositae. *Confiteantur Domino misericordiae eius et mirabilia eius (quae facit) filiis hominum.*

Pars II. Deus gloriam et laudem accepit in hoc mysterio. Deus dignus est honore infinito, sed quae creatura talem ei honorem dare potest? Num homo? Sed homo per peccatum inimicus Dei: *non est speciosa laus in ore peccatoris*... Quidquid homo facit Deus aversatur, ita ut nisi obtineat homo Salvatorem, totus hic mundus visibilis, qui propter hominem factus est, finem suam ultimam, quae est laus Dei, non obtineat.

Nec solum homo peccator, sed etiamsi per misericordiam ad gratiam admissus est, laudare tamen digne Deum per se numquam poterit. *Benedicentes Dominum exaltate eum quantum potestis, maior est enim omni laude*... et S. Patriarcha Iacob: *minor sum omnibus miserationibus tuis.* Pro minima gratia, pro hoc solo quod tantus Deus sui vel recordari dignetur, numquam satis laudare Deum homo potest. Ipsi etiam angeli digne laudare non possunt, ideoque, ut S. Chrysostomus explicans visionem Isaiae Prophetae observat, ipsi Seraphini et faciem atque oculos et pedes etiam velant erubescentes quodammodo... Et certe si omnes creaturae coram Deo *quasi gutta roris antelucani, si sunt quasi non sint,* quid erit vel omnium simul creaturarum laus? Erit infinities minor quam respectu potentissimi monarchae simplex salutatio et exiguum donum, quod ei minimus mendiculus praestare potest. Ut talem monarcham honorare digne non potest nisi aequalis,... ita Deo dignum honorem exhibere non potest nisi Persona divina.

Ecce igitur *Verbum caro factum est,* Filius Dei factus est homo, et in hac natura humana humilians se et abiciens, Deus Deo, omnipotens omnipotenti, Persona infinitae dignitatis Deo maiestatis infinitae honorem et adorationem exhibet, maiestati eius convenientem: *Gloria in excelsis Deo.* Ab hoc momento quo Filius Dei factus est homo, non solum totius generis humani sed etiam omnium spirituum agmen ducens, laudat Deum ita ut Deus dignus est,... et omnes, non modo homines sancti, sed etiam angeli laudantes Deum, faciunt hoc digne laudantes eum per Iesum Christum, filium eius. Per illum, dicit quotidie Ecclesia in Missa, per illum Maiestatem tuam laudant angeli. Fingamus nobis illustrissimam

in caelo fieri legationem ad honorem Santissimae Trinitatis; cogitemus ipsam Dei Matrem ducere ad thronum divinae Maiestatis choros omnium sanctorum (enumerare), in comitatu omnium angelorum ... Si tam illustris legatio accedit sine Iesu Christo, omnis haec adoratio personarum quamvis nobilium et sanctarum, tamen digna Maiestate divina non est, quia ... Deo enim ... Sed quando hoc faciunt per Iesum Christum, sicut faciunt, semper eius Persona addit huic adorationi et honori caelitum excellentiam dignam Deo et plane divinam.

Per ipsum et cum ipso et in ipso est tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti, omnis honor et gloria, precatur sancta Ecclesia.

An vero hoc solum in caelo? Non certe, etiam nos in terra, etiam nos tam miserae creaturae ... coram Deo comparere ... et laudare eum ... et digne eum laudare ... et possumus et debemus. Dignam Maiestate divina exhibemus laudem, coniungentes laudem nostram cum ea, quam Deus homo Christus Iesus ... Per Christum Iesum nostra qualiscumque laus fit grata Deo; per illum nostrum, ut ita dicam, plumbum quod offerimus, fit aurum, et exigui oboli quos ex paupertate nostra Deo offerimus, coniuncti cum eo quod dat Christus Iesus, magni fiunt thesauri.

Peroratio. Laudemus ergo Deum per Iesum Christum. Propterea Filius Dei factus est homo, propterea natus est hodie, ut dignos Patri suo amatores formaret. Laudemus Deum, nam ad hoc vivimus... Solo excepto peccato, omnia facere possumus in unione Christi Iesu, et in omnibus per Eum Deum laudare. O quantum ergo thesaurum habeo in Christo Iesu! Quidquid facio et patior, excepto peccato, possum cogitare Christum similia fecisse ... Oro, oravit etiam Filius Dei; laboro, laboravit; servo miseriis et necessitatibus corporis mei, servivit etiam ... et ut ille per haec omnia laudabat Patrem suum, ita et ego ... *Sive manducatis, sive bibitis,* inquit Apostolus, exprimens non sine causa eas maxime actiones quas homo cum brutis animalibus habet communes. Quodsi quando aliquid patimur, si nos paupertas ... O per haec maxime laudare Deum nostrum possumus, facti simillimi Filio Dei, qui tum maxime honorabat Patrem, cum vitam in miseria, in paupertate inchoavit; tum maxime canunt ei angeli *gloria in excelcis* ... Oratio quae respiciat utramque partem.

IN NATIVITATE DOMINI

Verbum caro factum est, et habitavit in nobis Io. 1, 14.

Brevis gratulatio. 1°. Impletum est igitur, Christiani, quod olim in Paradiso ... quod Patriarchae ... quod Prophetae ...

quod omnes iusti ac fideles... Impletum est hac beata die verbum... Filius Dei factus est homo, et hodie natus, habitare inter homines incipit. Venit ille Salvator qui... Natus est ille exoptatus Messias, in quo benedicendae erant omnes nationes, in terris visus est, et cum hominibus conversari coepit; magnus ille Deus, qui stellis singulis in caelis assignavit locum, et qui quondam in monte Sinai... hodie, forma infantis amabilis suscepta, gratiam omnibus et misericordiam affert...

O diem laetitiae, diem gloriae et benedictionis! O miserum genus humanum, hodie solacium cape, immo omni gaudio implere. Ob peccatum primi parentis tui e Paradiso in hanc terram eiectus es, cui maledixerat Deus; sed ab hac die benignius iam Deus in hunc locum exsilii tui et lacrimarum respiciet, cum in eo una tecum patientem et flentem videat dilectum Filium suum, in quo sibi ab aeterno complacuit. Dedecore et ignominia te operuerant peccatum et participatio damnationis daemonis, sed hodie removet a te hanc ignominiam in tua natura Filius Dei, et ad dignitatem filiorum Dei te extollit. Creatum *paulo minus ab angelis,* te ipsum dimiseras ad vilitatem, infra animalia... sed haec dies te supra angelos extollit, qui te iam magni facere debent, videntes illum Deum, qui hic in terra, non angelum, sed hominem tibi similem assumpsit. Frustra fremit hostis tuus, et invidia furit, tantam videns Dei in te misericordiam. Tu, licet indignus per te, iam gratus es et aestimabilis Deo tuo, quem per hunc Filium eius, quem tibi fratrem, parentem, Salvatorem eius immensa dedit charitas. *Sic enim Deus dilexit* te, sic te honoravit, sic exaltavit, *ut Filium suum unigenitum*...

2°. Gaudeamus igitur, Christiani, et gratulemur nobis, quod *natus est nobis hodie Salvator,* qui nos ab omnibus malis... et omnibus bonis... Sine hoc amabilissimo Salvatore, omni bono eramus indigni, hostes Dei nihil habebamus, nisi mortem et damnationem, sed per illum iam cari Deo, omnibus bonis implebimur. Ille nobis nostra peccata dimittet. Ille infernum... Ille caelum... Ille daemonem... Ille mundum... Ille carnem... Ille nos a millenis periculis... Ille in afflictionibus et laboribus... Ille merita nostra augebit... Dabit perseverantiam, et tandem nos gloria aeterna coronabit. Ex his omnibus bonis, quorum singula tantum valent, quantum valet tota beata aeternitas, nihil sperare poteramus sine Illo. Illi omnia debemus, cum omnes benedictiones et gratiae, non per alium e caelo in nos descendant nisi per hunc. Gaudeamus igitur et gratulemur nobis: *Haec dies quam fecit Dominus,* dies infinitae misericordiae eius et gratiae. *Exsultemus,*

et... Benedictus Pater misericordiarum qui... Et benedictus hic Filius eius...

3°. Natus est Iesus Salvator, gaudeamus. Sed a quo venit nos salvaturus? Num a miseriis temporalibus huius vitae? Exspectabant id Iudaei, et exspectant etiam nunc... Salvator noster venit, *ut salvet populum suum a peccatis eorum* et a damnatione. Ergo non erit ille Salvator *nobis,* si nos in peccato et in damnatione manebimus. Ah! fratres mei peccatores, si vos Christus Iesus a peccatis vestris non liberat, non erit ille Salvator vobis... Est ille, et erit Salvator, sed non vester... Si quis talis de nativitate Domini gaudet, gaudium eius inane est, superficiale, sensuale, immo dicerem iudaicum est. Non salvabit sine nostra cooperatione...

4°. Denique natus est Iesus Salvator, gaudeamus. Sed per quae nos vult salvare? Quibus ad hoc utitur mediis? Num haec media sunt: divitiae, gloria mundana, abundantia rerum omnium, commoda ac deliciae? Nemo vestrum ita rudis est, ita ignarus suae religionis ut nesciat Iesum elegisse... Et ea quae sibi elegit, nobis etiam praescripsit... Si nos contra eius doctrinam divitias etc... amamus... iam hodie non tam Salvator est nobis, quam Iudex, qui nostram perversitatem condemnat...

Oratio ad Dominum Iesum conveniens iis, quae dicta sunt, adiunctis diei... oratio pro amatoribus mundi.

DE EPIPHANIA DOMINI.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum? Mth. 2, 1.

Exordium. Omnia in historia horum patriarcharum nostrorum esse admiranda et omni attentione dignissima... Mira Dei gratia in illis, mira illorum cum gratia divina cooperatio. Homines (quales) perveniunt non tantum ad agnitionem veri Dei, sed etiam ad fidem in Filium eius hominem factum, idque non per homines, neque per angelos, sed per stellam. Mira igitur valde eorum vocatio, pro qua gratias agentes Deo, agimus etiam gratias hodie pro nostra ad fidem vocatione, quae non quidem tam mirabilis, sed non minus plena divinae in nos misericordiae. Utinam sciamus hanc gratiam agnoscere, et ea uti!... Huius rei exemplum dant nobis Magi. Hoc exemplum consideremus et observantes eorum egressum e sua regione, ingressum in Ierusalem et denique adorationem Salvatoris, colligamus fructum.

Pars I. Egressus e sua regione. Qualis eorum oboedientia, quam velox, quam fortis! Eunt absque dilatione ad conspectum stellae: ipsi hoc indicant. *Vidimus stellam et venimus.* Satis erat vidisse et statuisse ut irent... non differunt in aliud tempus, ut fortasse fecerunt alii Orientis incolae qui... Non ita hi SS. Patriarchae, et quantis difficultatibus et periculis exponunt sese! (Enumerentur)... Oportet se viae longae committere, nescientes quo, neque ad quantum tempus... oportet relinquere... Nihil tamen illos cohibet. Confisi Deo, eunt statim et omnia pericula et incommoda contemnunt. *Vidimus et venimus, (Applicatio).* Quantum haec ipsorum oboedientia confundat nos, ab ipso ortu christianos! (Opponantur multitudo incitamentorum quae habemus nos et levitas difficultatum). Nos, qui non unam stellam vidimus, sed millena habemus incitamenta... argumenta, exempla, doctrinas, monita, gratias externas et internas et tamen vocati differimus... Nos quos minima difficultas ab implendis officiis christianis terret... quos minimum incommodum, quos negotia qualiacumque a cura salutis, a reconciliatione cum Deo impediunt... Et tamen in his auribus nostris toties insonuerunt verba Salvatoris, quae tres Reges numquam audiverant... Timeamus ne lumen Dei et gratiae eius nobis sint in graviorem perniciem. Terra non profert panem sine labore et sudore vultus, et nos volumus sine labore commode regnum caelorum obtinere? Hoc est impossibile. Sancti hodierni viam ad caelum non invenerunt sine magnis laboribus... Sequamur illos porro.

Pars II. Adventus Hierosolymam. Veniunt Hierosolymam et quaerunt: *Ubi est qui...* Iam stella disparuerat, sed in corde eorum non exstincta est fides. Nisi fides fuisset firma,... nisi omnino inveniendum sibi esse Salvatorem sensissent, cessassent. Sed non, non deficiunt. Ubi... Non quaerunt an vere sit natus aliquis novus rex Iudaeorum, locum solum inquirunt ubi sit. Quanta etiam eorum fortitudo!... Poterant facile suspicari nuntium de alio recens nato rege in urbe capitali et in aula regia esse sibi valde periculosum,... poterant audivisse de crudelitate illius tyranni, qui propriis liberis et uxori suae ob talem suspicionem non pepercerat,... et tamen non intrant clam Hierosolymam, sed palam quaerunt: *Ubi est...* Parati etiam ad martyrium pro eo. *Vidimus stellam eius* in caelo, inquiunt, et quis in terra nobis nocebit? Et revera Deus illos defendit. *(Applicatio).*

1°. Quam etiam nos facile omnia impedimenta salutis et tentationes vinceremus, si haberemus firmam fidem. Etiam si centum Herodes et centum milia daemonum in via virtutis occurrerent, quid timendum si Deus nobiscum? Sed quid ego tantam fiduciam, quid tantam fortitudinem commemoro,

quando multos unicum verbulum, unus iocus terret, quando a frequentatione sacramentorum, ab observatione praeceptorum Ecclesiae merus vanus timor terret, ne liberiores homines digito monstrent, ne vocent devotulum, quasi hoc esset valde terribile!

2. In eos qui facile vacillant in fide, quibus vanus aliquis conceptus, inanis irrisio, futilis obiectio, quae millies iam refutata fuit, fidem labefactat, quae tamen tot argumentis... Deberemus etiam ad quascumque obiectiones sicut hi Reges dicere *Vidimus stellam*... Non potest caelum, non potest nos Deus fallere.

3°. In huiusmodi dubiis circa Religionem recurrendum Hierosolymam, id est ad Ecclesiam, ad sacerdotes, quorum *labia custodiunt scientiam*. Sed hoc impedit superbia vel indifferentia. In rebus ad valetudinem spectantibus consulitur medicus, in negotiis iudicialibus quaeritur iuris peritus, in aliis etiam quibuscumque rebus quaeritur consilium, in rebus fidei et salutis quisque sibi vult esse sapiens, quisque sibi fidit et alios vult docere quod ipse non didicit. Quid mirum si decipiantur? Hi Reges quamvis sapientes essent, immo quia vere sapientes erant, quaerunt et quaerentes inveniunt veritatem ostensam a sacerdotibus, licet malis et impiis.

Pars III. Adoratio. Cum itaque didicissent Bethlehem esse locum, proficiscuntur et *stella iterum antecedebat eos, donec staret supra* stabulum, *ubi puer erat.* Hic vero, auditores, quis det nobis eorum fidem ac devotionem digne celebrare? Quaerunt regem magnum et super omnes reges potentissimum et inveniunt debilem infantem, ad ubera matris pauperrimae, in vili stabulo sine ulla pompa, sine ullo exteriori signo non tantum divinitatis et regni, sed nec minimae super alios homines dignitatis, immo in extrema miseria... et tamen viva fide illustrati, Magi hunc infantem pro Rege suo ac Deo venerantur et *procidentes adoraverunt eum.* Inclinant capita sua regia coram hoc infante et in faciem procidentes et terram osculantes, sicut Psalmista praedixerat, honorem ei reddunt divinum. O quantum illi suo exemplo nostram erga eumdem Salvatorem irreverentiam confundunt! Videmus nos eumdem Iesum absconditum quidem, sed tamen in maiori sine comparatione pompa quam eum tres reges in praesepi viderunt. Spectamus eum in templis, in altari, in manibus sacerdotum et de praesentia eius non dubitamus et tamen quidam vel caput inclinare vel genu flectere coram illo nimium putant. Stant, stant inquam, erecti sine reverentia etiam tum cum ad excipiendam adorationem nostram exponitur, quando in tremendo Missae sacrificio offertur, quando fidelibus in com-

munione distribuitur. O ignominiosam, o debilem et fere exstinctam fidem!

Denique *apertis thesauris suis offerunt munera* divina, regia, Salvatore mundi digna... Discamus hodie, inclamat S. Chrysostomus, ab his primis Christianis, quomodo debeamus Dominum nostrum honorare et ei munera nostra tribuere. Oratio ex ardenti corde, ut fragrans thus,... mortificatio et miseriae nostrae patienter toleratae et sincera poenitentia quam designat myrrha,... bona opera, misericordiae, charitas christiana ut aurum inter metalla, sic inter virtutes pretiosissima.

Oratio. Recapitulatio. O Deus noster et Salvator Iesu Christe infunde nobis spiritum horum Patrum et Patriarcharum nostrorum, ut fideliter gratiae tuae et vocationi, ut illi, cooperemur, nec pigeat nos laborum, nec terreant pericula pro salute nostra et gloria tua. Da ut vera pietate et christianis virtutibus hic in terris te venerantes, invenire te post molestum iter huius vitae temporalis et glorificari a te in aeternum in caelis mereamur.

DE SALUTE AETERNA.

Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Jo. 3, 19.

Exordium. Mirus amor Dei erga hominem, et mira hominum erga Deum contumacia, immo odium in se ipsos, his verbis exprimitur. *Lux venit in mundum*... Ille qui dicit: *Ego sum lux mundi,* ille de quo idem S. Evang. Ioan.: *erat lux vera*... Iesus Christus venit in mundum, lumen de lumine, Deus de Deo venit pro hominum salute... *Sic dilexit mundum*... Interea quid fit? *Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Alii errorem malunt quam veritatem, ut illi qui non credunt; alii, licet credant, malunt vitia quam virtutem, ut mali catholici. Quid ergo? *hoc est iudicium,*... hoc ipsum est quod facit gravius iudicium, damnationem graviorem, nam gravior culpa... Si Christus non venisset, si non promulgasset doctrinam, si eam tot miraculis non confirmasset, minor esset culpa... *hoc est iudicium*... Materia digna est in qua diutius insistamus. Duae considerationes ex verbis Christi Dei erunt legitima partitio huius sermonis. I. *Deus vult homines salvare.* II. *Homines ipsi nolunt salvari.* Prima parte excitabimur ad gratitudinem erga Deum; altera nostram ingratitudinem et insensibilitatem damnabimus, et ad vitae emendationem incitabimur.

Pars. I. Deus vult homines salvare. Praemittatur Deum hominem creasse, ut aeternum beatus esset. Quod mirum non est, quia Deus infinite bonus, qui *nihil odit eorum quae fecit,* tam nobile opus manuum suarum, *ad imaginem et similitudinem suam factum, prae aliis creaturis dilexit.* Sed quod postquam genus humanum rebelle factum est, velit tamen homines, et in Adamo lapsos et propriis culpis onustos, salvos fieri, idque tam sincere et tam ardenter, numquam satis mirari possumus.

Subd. 1°. Hoc divinis verbis suis demonstrat, 2°. summe aestimat nostram salutem, 3°. facit maxima pro nostra salute.

Prob. 1. *Deus verbis suis demonstrat voluntatem nos salvandi.* Vix est in Scriptura S., non dico liber, sed caput, in quo Deus hoc non demonstrat. Protestatur multis locis, se si peccator, et non qualiscumque peccator, sed *impius* egerit poenitentiam *omnium iniquitatum eius non recordaturum esse amplius;* se *nolle mortem impii* (qualem mortem?) *Quia nolo mortem peccatoris... Numquid voluntatis meae est mors impii?* Nec satis habens haec dixisse, iureiurando etiam propter nostram exiguam fidem id confirmat: *vivo ego, nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat.* (paulum amplif.) *Apostrophe ad Deum:* haec tua sunt verba infallibilia, o mi Deus, non vis mortem impii. Sed an hoc vult tua iustitia? Ecce malitia hominum eo contumaciae pervenit, ut... (Describat... incredulorum et malorum christianorum) haec sunt tempora nostra, et tamen Deus per omnia saecula protestatur. *Vivo ego etc....* (*Prosopop.*) Etiamsi homines... tamen desidero et volo... nec solum do gratiam... nec solum cum se convertent, illatae iniuriae obliviscor,... nec solum pro filio eum suscipio... sed etiam si cogitavi eum punire, dolebo de hac cogitatione cum eum videro poenitentem. *Si poenitentiam egerit a malo suo, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.*

(*Exclamatio*... et sistat paulum in eo: quis hoc dicat).

Confirmetur hoc argumentum ex eo quod hanc suam voluntatem Deus semper factis probavit, semper prius misericordia usus, quam iustitia. In Adam... Vix peccaverat Adam, et meruerat sibi et posteris poenam rebellium angelorum, iam Deus promittit illi Salvatorem, et priusquam etiam in illum et in uxorem eius ederet edictum, iam serpenti maledicit, et promittit fore ut mulier et semen mulieris conterat caput eius. In Cain... *Qui occiderit Cain septuplo punietur.* In diluvio 100 annis minatur. — Sed innumera sunt, quae demonstrant quamdiu Deus differat, quanto dolore bonitas eius afficiatur, cum malitia hominum iustitiae severitatem exigat,... quam enixe vocet, petat quasi et obsecret peccatores

ad poenitentiam: *Convertimini et agite poenitentiam et non erit vobis in ruinam iniquitas*... *Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel?*... Quasi ipsius multum interesset..., cum tamen sit in se infinite beatus. — (Transit ad 2.) Potestne ergo esse maius argumentum... Satis hoc certe ad convincendos nos... sed non satis divino amori...

2°. Deus *summe aestimat salutem animarum nostrarum.* Nihil est cui Deus salutem animarum nostrarum non anteponat; terram et bona terrena, ut incomparabilia cum pretio animarum nostrarum, promittit se super adiecturum. *Quaerite primum regnum Dei et*... Caelum... O habitatio Dei viventis, o merces servorum Dei, tu testis esse quidem potes, sed nequaquam mensura es eius aestimationis, qua Deus salutem nostram aestimat... *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (amplificetur et repetatur). Quid maius potuit facere eius potentia? cogitare sapientia? An potuit Deus magis aestimare animas nostras, quam... Et quisquam dubitare potest eum nullius velle interitum sed omnium velle salutem? — Et tamen non sistit in hoc quod semel fecit. Sed adhuc...

3°. *Deus multa facit etiam nunc pro nostra salute.* Ut non est regio quam sol non illuminat, sic non est homo, quem Deus gratiis suis non adiuvat, idque tam sollicite, ut nullum tempus, nullum locum, nullam occasionem praetermittat. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (fusius ampf. enumeratione partium): *a*) Pater meus caelestis non habet satis, quod creavit... Sed etiam nunc... *Pater meus usque modo operatur.* Ego de caelis descendi... neque hoc mihi satis est... etiamsi a vobis recedam, tamen ero vobiscum... *et ego operor. b*) Et revera quid est ille conscientiae stimulus qui... *Pater meus usque modo operatur. c*) Quid sunt bona terrena, quid prosperitas, quid adversitas?... *Pater meus usque modo operatur. d*) Quid sunt haec sanctuaria Domini... Sacramenta, altaria etc.... nonne sunt haec totidem miracula quae Deus quotidie facit... *Concludat.* O, certe, etiamsi Deus, quod fieri non potest, in salute generis humani suam beatitudinem repositam haberet, vel si pereunte genere humano perditurus esset felicitatem suam, non posset eximius, instantius, efficacius... (recap. et transit. ad 2. partem).

Pars II. Quam parum nos cupiamus. Praemittat hanc observationem, mirum esse profecto, cum Deus ita velit salutem hominum, ita protestetur se velle omnes salvos fieri, ita animas aestimet, ac tam multa fecerit ac faciat hunc in finem, mirum profecto esse non omnes salvos fieri, aut certe non minimum esse reproborum numerum. Et tamen quis

crederet? Non solum inter omnes homines, sed etiam inter christianos pauci salvantur. *Multi sunt vocati, pauci vero electi* (*admiratio*); scilicet quia non solus Deus salvare vult; vult hoc opus non suum tantum, sed etiam nostrum esse. *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te,* ita S. Augustinus. Haec ergo causa tota est ex parte nostra.

1°. *Protestamur* quidem saepe, velle nos salvos fieri, et preces quasdam facimus ad Deum ut hanc gratiam consequamur.... et certe nemo etiam incredulus potest dicere, se nolle aeternum fieri beatum, nisi nesciat ipse quid dicat vel omnino stultus sit. Sed non sufficit ita protestari. Qui ambit dignitatem, qui possessiones vult augere, pro aestimatione rei quam appetit, de ea cogitat, de mediis illam acquirendi libenter loquitur et audit, nec ulli labori parcit,... Ita desiderium salutis nullis bonis terrenis potest opprimi, et ubique in memoriam revocat, unum tantum esse necessarium. Haec vera aestimatio continuo etiam sollicitum tenet, ut quaerat cum iuvene in Evangelio: *Quid faciendo vitam aeternam possidebo?* Sine hac aestimatione, sine hoc labore, omnes protestationes sunt vanae, immo illusoriae.

2°. *Deest aestimatio.* At... ubinam est talis aestimatio salutis? (Percurrat divitias, honores, voluptates, quae homines saluti anteponunt). Necesse est vel perdere caelum, vel... necesse est vel dignitatem filiorum Dei amittere, vel pati aliquod detrimentum in honore, condonare iniuriam... necesse est vel malam societatem deserere... vel in aeternum Deum non intueri... Quid? invenietne Deus tantam aestimationum ut... (*Concludat ideo perditionem esse certam multorum.*)... Hoc scilicet est, de quo Christus ad Patrem conquerebatur, et ob quod damnationis decretum in mundum pronuntiavit: *Pater iuste, mundus te non cognovit... non pro mundo rogo* (ampf. *pro mundo*). Nonne tales repellet a se illis verbis: *nescio vos*... qui me agnoscere noluistis?

3°. *Deest labor.* Sed fieri potest ut haec parva aestimatio salutis fragilitate humana excusetur. An saltem non parcimus labori?... An utimur mediis?... (Neget per apostr. ad media salutis) O Sacramenta, o pretiosa munera, o pignora salutis, quam viluistis in oculis hominum! Nam quid dicam de usu mediorum salutis, quando novos continuo modos invenimus perditionis. Quid de poenitentia, quando nihil nisi... quid de SS. Sacrificio et communione, quando... quid de mortificatione, quando... quid de humilitate, quando... Quid ergo mirum si pereant? *Ex te perditio tua, Israel!* perimus quia volumus... Deus (revocet dicta in 1ª Parte)... et nos non solum sumus insensibiles... non solum parvi aestimamus salutem, non tantum media contemnimus... *Sed ipsi texentes insidias in animas nostras,* salutem nostram sorti com-

mittimus. Quid ergo mirum, si, quemadmodum nauta in periculoso mari... ita nos dum... *Ex te perditio tua, Israel...*

Peroratio longior et ardentior per affectus timoris desiderii, aemulationis. Quid ergo nobis restat?... Maioris aestimare animas nostras, et pro salute laborare. In nostra manu est et caelum et infernus... Possumusne nobis ipsis esse tam invisi, ut malimus... Grave est vim sibi inferre. Sed an non est dignus Deus, qui... (recap. 1ª partis). — Quod si amore Dei parum movemur, utique digna est anima nostra... etc. *Serva animam tuam et da ei honorem secundum meritum suum.* O dedecus nostrum! Vitam trahimus in miseriis... Saepe vix gravi labore necessaria acquirimus, in doloribus morimur... et ecce post mortem Deus vult nos beatos facere,... modo velimus... nos autem malumus,... etc. Quid hinc tandem sequetur? Perditio, et in hac perditione nulli damnum nisi nobismetipsis... nam denique: *quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confert, si immaculata fuerit via tua?* Veniet tempus quo salutis incurios damnabit Deus... Ibi fletur, ibi eiulatur. Et haec patientur ex decreto Dei, et Deus nil perdet, immo *in perditione eorum ridebit et subsannabit.* An tam horrendum finem exspectare volumus? An potius nos ipsos ad mentem sanam revocemus!... Dicimus saepe Deo: Domine miserere animae meae! Sed Deus respondit: *miserere tu animae tuae:* (amplif.) ego misertus sum, feci tot et tot... etc. sed tu miserere... est anima *tua.* — Hoc profunde menti imprimamus, ut fideliter exsequentes quae Deus iussit, obtineamus quod promisit.

DE SALUTE AETERNA.

Porro unum necessarium. Luc. 10, 42.

Exordium. Qua occasione haec verba a Salvatore nostro dicta sint: Martha quae erat sollicita circa rem sanctissimam et putabat se optime... tamen a Christo monetur. Quid nos...? (Apte deducatur ad propositionem).

Propositio. Negotium salutis est negotium omnium gravissimum.

Partitio non fiat, nec ponatur expresse subdivisio. Ordo tamen in dicendo is erit: negotium salutis gravissimum 1°. comparatum ad alia negotia; 2°. consideratum in se: *a*) salutem obtinere, *b*) illam perdere, *c*) damnari et haec omnia in aeternum. Affectus in hac materia passim intermisceantur.

I. *Comparate ad alia negotia.* Enumerentur varia temporalia negotia et desideria hominum... et ostendatur, illa esse per se parva et brevia.

Ut quivis homo ex natura sua vult esse beatus, ita nemo est qui non habeat aliqua desideria et aliqua negotia. (Enum.) Unus... alter... tertius... alius... senes.. iuvenes... ditiores... pauperes... Sunt haec quaedam negotia... sed comparate ad negotium salutis non sunt nisi lusus pueriles. *Comparatio* a pueris qui nugis et crepundiis delectantur, et illas magni aestimant, et dolent, lugent, si auferantur... at frater natu maior ridet... Sic nos... at sancti, qui sunt fratres natu maiores...

Per se parva. Sicut revera neminem illarum rerum acquisitio potest facere felicem, nec iactura infelicem. (Enum. part. aliqua cum interrogatione).

Brevia. Quod si etiam ab his rebus felicitas vel infelicitas penderet, tamen haec omnia solum ad tempus et ad tempus valde breve...

Ampf. cum affectu ex *verbis Christi: Quid prodest*... Concedamus id quod raro contingit, sed concedamus te fore tam felicem in mundo quam optes... Attamen quamdiu?... In annos 10?... fors nec 10 dies... Sed concedamus in totam vitam, et vitam longam... per annos 20, 30, 40... At postea quid?... Ergo quid prodest? O vere ergo omnia temporalia comparata ad... *Vanitas vanitatum... Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Vanitas,* mendacium, deceptio res omnes terrenae (recurrat brevis enum). *Transitio.* Non tale negotium est negotium salutis. Hic agitur de vera et perfecta felicitate vel infelicitate, idque in aeternum. Consideremus tantum paulo attentius quid sit salvari et quid sit salutem perdere.

II. *Consideratum in se.*

a) *Salvari* (Describatur quantum potest per comparationem et ex verbis S. Pauli: *nec oculus vidit*... cum affectu).

Quid ergo est salvari? scitis ipsi Christiani ex fide. Salvari est gaudere felicitate quae est sine mensura: est perfecte esse felicem. Salvari est habere pro habitatione caelum, pro hereditate regnum Dei. Nam ita fere semper D. Iesus hanc beatitudinem appellat. *Pro habitatione caelum: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini!... Pro hereditate regnum Dei* (fiat comparatio a regnis terrenis). Imaginemur nobis quidquid umquam pulchrum, carum vidimus, audivimus, legimus; colligamus in unum quidquid delectabile etc.... Eritne haec digna imago illius felicitatis? Non erit: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se.* (Vis horum verborum paululum ponderanda: habere omnia quae desiderare potes... adiuncta, praesertim quomodo et quamdiu...). Ecce quid sit salvari.

(Affectus desiderii, aemulationis, indignationis ob negligentiam in procuranda salute).

Nonne igitur talis felicitas erit digna, quae...? Nonne hoc negotium est gravissimum? Procuramus tam diligenter ... res terrenas ... et caelum nihil aut parum nos afficit? ... Pro illo laborare et pati aliquid nimis grave nobis videtur? Putamusne fortasse facile esse salvari? Re vera, facile est ... (Ponantur quaedam rationes huius concessionis) ... sed tamen non sine labore. Vocatur salus in Scriptura S.: *merces, quies, corona.* Res mira! Res temporales tam enixe, tam sollicite quaerunt homines ... nullis laboribus parcunt ... et quam primum audiunt pro caelo necesse esse laborare ac pati, mirantur et absterrentur ... Quid mirum si tali modo tantum pauci ad caelum perveniant? Immo licet omnes ad hoc sint creati, ut ... tamen multi pereant et salutem perdant? ...

b) *Salutem perdere.* (Ostendatur quanta haec infelicitas, ex iis, quae de salute dicta sunt, et quomodo anima a corpore separata clare cognoscat id quod nunc per fidem quasi sub velamine videt). Quid est salutem perdere? Facilis est responsio. Si salvari est ... salutem perdere est ... Homo terrenis rebus immersus non intelligit ... *Animalis homo non capit ea quae sunt spiritus Dei.* Sed tamen unusquisque scit, quo maioris pretii sit res, quam perdat, eo maius esse damnum et eo maiorem dolorem iacturae. Cum ergo salus sit ... etiam iactura illius est ... et dolor ... erit ... Verum est, nos nunc quidem id non... sed Sancti perspiciebant, et omnia quaevis... Post mortem demum videbitur ... (Amplificari potest exemplo alicuius filii regii, qui a peregrinatione rediens a patris amplexu ac conspectu arcetur). Sed non hoc solum ... Perdere salutem est simul incidere in miseriam maximam. Iacturae salutis trahit post se aeternam damnationem ...

c) Quid est *damnari?* (Describatur haec infelicitas. Privatio omnis boni et prolapsio in omne malum: infernus).

Damnari significat esse condemnatum ad ... esse detrusum in infernum ... ubi in tenebris ... esse traditum in praedam daemonibus ... O mi Deus! quis intelligat quid sit talia pati; idque per totam aeternitatem et sine intermissione... (Exemplum divitis epulonis). Ah quis intelligat quid sit damnari? ...

Affectus timoris et sollicitudinis: Consideremus nunc attente haec duo verba: Salus aeterna, aeterna damnatio. Comparemus et dicamus nobis singuli ipsis: en alterutrum mihi infallibiter continget, Caelum vel Infernus. Si non salvor ... Anima mea vel ... vel ... Corpus meum vel ... vel ... Caelum vel Infernus. Quid ergo? ... Cogitabitis solum: quomodo hanc vitam, commode, iucunde ...? Quid haec proderunt? Quamdiu haec erunt? Intra annos 50 multi nostrum morien-

tur; post 100 annos nemo supererit. Et post hos annos quid?... Transibunt voluptates... transibunt... transibit haec vita, immo quo iucundior eo citius... Tum quid? tota remanebit aeternitas. Et hanc aeternitatem in quam rem impendemus? (Apostrophe ad iuvenes, qui putant nondum esse tempus cogitandi de salute). Audite haec, vos praesertim, qui putatis nondum esse tempus. Ecce volentes, nolentes, per totam aeternitatem cogitabitis de salute: vel gaudebitis... vel... Vita haec saepe nimis longa videtur, quam ut tota in servitium Dei et pro salute impendatur... Erit autem unica occupatio per... Si transigimus tempus huius vitae in incuria, dormientes,... expergiscemur tandem, sed qualis dolor, quales querelae... (Prosopop. damnati) Poteram salvari... habebam media... et ecce nunc... Admonuerunt me... Ah utinam audivissem... utinam!... quam terribilis dolor!...

Peroratio. Quid sit faciendum, cum adhortatione, admota denuo sententia Christi: *Quid prodest?...*

Ut evadamus, quid faciendum? Volumusne.... Ergo: 1°. Id menti nostrae alte imprimamus, hoc negotium esse gravissimum, hoc unum esse necessarium; 2°. meminerimus viam ad caelum esse arctam. Necesse est laborare et pati... non ita ut passim vivitur in mundo... quia *lata est via, et multi incedunt per eam.* Sed *regnum caelorum vim patitur.* Quodsi difficultates horremus, si... si... *Quid prodest? Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quid Domino quaerenti respondebimus? Mortuus est ille ut eam salvaret... et nos eam negligeremus et negligentia nostra periremus?...

DE PRAECEPTO PASCHALI

Surrexit Dominus vere et apparuit. Lc. 24, 34.

Exordium. — Mors et resurrectio sunt pulchrae similitudines, quibus exprimuntur effectus peccati et resurrectio ex illo per poenitentiam; hinc S. Paulus hac imagine ita ad poenitentiam nos hortatur: *Sicut Christus surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Sic et Ecclesia saepe poenitentiam ut resurrectionem a mortuis proponit, et praecipue hisce festis ad imitationem Christi per spiritualem resurrectionem vocat. Videamus quas proprietates nostra poenitentia habere debeat, ad instar resurrectionis Domini.

Prop. ex textu: Surrexit I. *vere* II. *apparuit.*

Pars I. Surrexit Dominus vere. Ut resurrectio sit vera, necesse est ut anima mortui iungatur cum corpore, id quod confitemur de Domino nostro... Sic poenitentia nostra debet esse vera. Possumus cum corpore et anima comparare duas

partes poenitentiae: confessio peccatorum est veluti corpus, dolor intimus est anima. Ut ergo neque corpus sine anima, neque anima sine corpore, sed anima cum corpore coniuncta vera resurrectio... ita nec confessio sine dolore, nec dolor sine confessione, sed...

1°. Confessio debet esse sincera et plena... Omnino necessario. Nam sacerdos est iudex: *Quorum remiseritis*... iudex autem non potest iudicare si causam nescit. Est et medicus, ergo... Sine hac sinceritate confessio invalida est, sacrilega, vitam animae non reddens. Unusquisque hoc scit... matres puerulis inculcant... et tamen dubitari non potest, quin pudor importunus a sincera confessione saepe avertat. Exempla infelicissima legimus, et innata hominibus superbia timere iubet, ne etiam nunc tales sint... Interea omnino necessarium, non est aliud medium: vel vincere pudorem, vel perire. Ne speres evadere per quodvis aliud bonum opus (enumerentur varia bona opera et repetatur: vel vincere vel perire)... Peccasti vel semel mortaliter, si non vis confiteri, etiamsi... etiamsi... Oh si quis est hic, qui se ita illudi sinit, respondeat, quaeso, habeatne voluntatem aliquando confitendi vel numquam? Si vis aliquando,... quare differs, quum... si numquam... oh miser! vives in amaritudine, morieris in desperatione, ibis in infernum... Et pro quo? Ecce quia noluisti loqui coram uno homine, qui ad secretum obligatus est... Aperi nunc oculos, respice abyssum... non exi hinc, sed statim resolve te... fatere primum hoc peccatum... sic tibi pacem...

2°. Ut necessaria est confessio, ita sola sine dolore non est vera poenitentia.... Poenitentia est conversio ad Deum, fit corde: *convertimini ad me in toto corde vestro*, per dolorem *in fletu et in planctu*. Debet avellere a peccato, etiam in futurum: *convertere ad Deum et relinque peccata*... et ab occasionibus avocare: *et minuite offendicula, quiescite perverse agere, discite benefacere*. Id ratio ipsa docet... sine tali proposito, dolor fictus, confessio nulla. Sed hoc ipsum est in quo maxima difficultas. Alii putant se satis fecisse, si conscientiam examinarunt; alii dolent, sed non propter Deum; alii non habent propositum; alii occasiones proximas deserere nolunt; horum ergo omnium confessiones sunt invalidae et saepe sacrilegae, poenitentia falsa: *non est reversa ad me in toto corde suo, sed in mendacio*. Resurgunt ficte, et resurrectio Domini eos condemnat, qui surrexit *vere*, iungens animam cum corpore.

Pars II. Surrexit Dominus *vere* et *apparuit*... *Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides vestra*... Si consurrexistis cum Christo... Omnis autem spes peccatoris est in poenitentia: *nisi poenitentiam egeritis*,

omnes similiter peribitis... Ut Christus Dominus suam resurrectionem demonstravit certis argumentis, sic et peccator debet...

1°. Cum mulieres quaererent Dominum in sepulcro, dixit eis angelus: *Surrexit, non est hic. Quid quaeritis viventem inter mortuos?* Peccator ex suo sepulcro exire debet, ut et de eo dici possit: *surrexit, non est hic*... Ille impudicus non frequentat amplius illam societatem... *surrexit*... ille ebriosus... ille persona plena vanitate, semper in detractionibus... surrexit...

3°. Christus egit ut homo vivens, ostendebat se, loquebatur etc. sic et peccator... Sunt signa dubia resurrectionis corporalis, sed multo frequentius in resurrectione spirituali. (Exemplum pueri, quem Elisaeus revocavit ad vitam). Sunt peccatores, qui dant aliqua signa resurrectionis circa Pascha, sed dubia tantum; necesse est dare vera et certa. Christus indicat: *iam amplius noli peccare*. Quare S. Hieronymus " poenitentem hominem dico qui diligit quod ante neglexit, abhorret quod ante amabat " et S. Augustinus " irrisor est et non poenitens, qui adhuc agit, quod poenituit. Poenitentes, si tamen estis poenitentes et non irridentes, mutate vitam „. Ita SS. Patres. Et certe, quomodo iudicare quis potest eum peccatorem revixisse, qui adhuc amet sepulcrum?... Quomodo eum qui non det ulla signa vitae, quomodo illum qui facile denuo... credideris poenituisse. Ex talibus signis non agnoscitur poenitentia, cuius finis praecipuus, mutatio vitae. Sed si ita est, o quanta causa timoris multis, qui vix regressi a confessionali ad eosdem malos socios etc. redeunt? *Gens quae videtur sibi munda et non est lota a sordibus suis*. Iacent etiam post confessionem in sepulcro peccati, et non sunt participes illius laetitiae etc....

Oh peccator! Vide ne sis e numero talium, et propterea post confessionem cura te emendare. Si adhuc amas eadem opera et verba, si te non emendas, nec media adhibere vis, valde timendum, ne non habueris propositum, ne non dixeris verum cum coram sacerdote protestareris... ne proinde non fueris vere, sed ficte poenitens. Itaque nec consecutus sis remissionem, etiamsi te sacerdos absolverit. Sacerdos dicebat: ego absolvo, ego qui ex signis externis iudico te esse poenitentem...; Christus Iudex, ego aiebat, ego qui cor inspicio, ego te condemno.

Peroratio. Avertat Deus ne tam turpiter erremus, putantes nos resurrexisse, cum.... Vidimus.... (recapitulatio I Part.) inspiciamus ergo conscientiam nostram, an..... an... et si poenitentia nostra fuit vera, ostendamus hoc opere, et conemur novam vitam ducere cum Christo. Ne simus e numero eorum, quos pudet ostendere sese mutatos.

Et quid tandem... quid vivo cum mortuis? Erubescis Christum, et non times, ne te Filius Dei erubescat in iudicio? Dicis: quid dicent? Potius cogita: quid dicent angeli... Memento debere te omnino te ostendere conversum... Debes proximo quem scandalizasti... debes Deo qui vult sibi soli serviri et ex toto corde... denique debes tibi ipsi, nam agitur de salute.

Oratio ad Dominum Iesum, qui et vere surrexit et apparuit, ut et nos vere resurgamus et ostendamus nos surrexisse, et sicut ille postquam surrexit, iam non moritur, ita et nos per peccatum non amplius moriamur.

DE TEMPLORUM VENERATIONE

Scriptum est: quia domus mea domus orationis est. Luc. 19, 46.

Exordium. Qua occasione Dominus haec verba protulerit; mirum videri Dominum adeo mansuetum, hic tantopere veluti excanduisse. — Concludatur non esse ergo leve peccatum irreverentiam in templo commissam.

I. *Est domus Dei,* ergo aequum est... II. *Est domus orationis,* ergo non tantum aequum, sed et nobis utile et necessarium...

Pars I. Praemittatur aliquid de templo Hierosolymitano. Si Deus illud summa veneratione haberi volebat, multo magis templa nostra... Deus licet ubique praesens, elegerat tamen... Aedificaverat Salomon... (describatur) et cum dedicationem celebraret, Salomoni dixerat: *Elegi hunc locum mihi in domum sacrificii, sanctificavi locum istum ut sit nomen meum ibi... et ut permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* — Cumque postea populus Israel debitae venerationi deesset, severe minabatur Deus per prophetas, monens esse domum suam, esse se ibi praesentem et videre irreverentias. *Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista in qua invocatum est nomen meum? Ego, ego, sum, ego vidi.* Etiam Iesus Christus ita honorabat hoc templum, ut non ex ipso sacrosanto, quo solus summus Sacerdos semel in anno... non ex sanctuario, in quo soli sacerdotes singuli per vices... non ex atrio Levitarum, neque ex atrio Iudaeorum, sed ex atrio Ethnicorum, quo etiam pagani... expulerit vendentes res, quae ad sacrificia erant necessaria. — Et tamen quid erat illud templum in comparatione nostrorum? Ibi arca, tabulae legis, manna servata fuerant, hic... Ibi sanguis animalium... omnia ibi umbra tantum eius quod nos habemus, in nostris; neque erat tam proprie domus Dei quam nostra templa, in quibus ipse Christus...

Concludat ergo saltem deberi tantam reverentiam templis nostris, quantam Deus exigebat in templo Hierosolymitano.

Re vera est enim: 1° Dominus noster, 2° summus benefactor noster, 3° iudex noster.

1°. *Dominus noster.* Deus et homo. Probet esse Dominum, qua Deus... qua homo... Dominus autem qualis?... Quanta ergo impudentia, quod homo coram tali Domino irreverenter se gerat!... *Comparatio* quomodo homines coram principibus mundi gerere se soleant... *item:* Angeli in conspectu eius tremunt... et peccator...

2°. *Benefactor noster. Enumeratio brevis* primariorum beneficiorum... Post talem amorem, nonne merito requirit debitam sibi gratitudinem? Sed cum debitam exhibere non possimus... *Comparatio.* Quid homines soleant exigere ab eo cui beneficium insigne praestiterunt? Quid sentiant de ingratitudine. *Applicatio.*

3°. *Iudex noster. Anteoccupatio.* Nunc non sedet in throno iustitiae, ut iudicet; nunc tempus est misericordiae. Respondeatur: 1°. Concedendo... 2°. Hoc ipsum ergo nos condemnabit, si ad hunc thronum misericordiae non cum reverentia accedamus... Tempus misericordiae: verum est; sed cum hoc sciamus, cur tempus acceptabile perdimus? An ignoramus eum qui contemnat bonitatem, non evasurum iustitiam? Caecitas nostra... Scimus nos esse reos, esse nunc tempus placandi iudicis, ad hoc eum nobiscum commorari, fore postea iudicem severissimum... et interim... Applicetur illud quod supra fuit dictum: *Ego, ego sum, ego vidi, tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo et absorbebo simul.* — Et quam excusationem habebimus? Condemnabit nos daemon, condemnabunt homines veteris Testamenti, condemnabunt Turcae... condemnabunt Ethnici..., nos ipsi nos condemnabimus, quia coram hominibus alicuius notae maiori cum reverentia nos gessimus, quam coram hoc Deo iudice nostro. Utinam perpendant illi qui... (enumerentur irreverentiae) quam tremendus futurus sit vultus illius iudicis... et si neque honor Domini, neque gratitudo erga summum benefactorem... saltem timor iudicis coerceat. (Transitio ad 2 partem).

Pars II. Domus Orationis. Multae nostrae miseriae... publicae et privatae... animi et corporis... praesentes et futurae... (Adferat et explicet per periphrasim textum Eccl. 40): *Occupatio magna creata est omnibus hominibus et iugum grave super filios Adae, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae.* Et S. Iob: *homo brevi vivens tempore repletur multis miseriis.*

In his miseriis non aliud solatium, nisi ut ad Deum nos convertamus, ut rex Iosaphat: *in nobis non est tanta for-*

titudo, ut possimus multitudini resistere quae irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros convertamus ad te.

Deus etiam miseriarum nostrarum bene conscius, ut fiduciam excitaret, promiserat se in templo Ierosolymitano exauditurum preces: *Oculi mei erunt aperti, et aures meae erectae ad orationem eius qui in loco isto oraverit.*

Neque Dominus Iesus voluit fore, ut tali solatio careamus. Dedit nobis domos orationis. Clamat ad nos: *venite ad me omnes....* (Periphrasis). Comparetur cum auxilio quod ab hominibus sperari potest. In Ecclesia ergo inveniemus auxilium, solatium, consilium, fortitudinem... Quomodo? Oratione; est enim domus orationis. — Sed quomodo ergo ibi nos gerere debemus? (Comparatio ab eo quod facit homo erga hominem, ad quem venit petitum auxilium... *A contrario* si subditus a principe petiturus opem ita se gereret ut Christiani erga Christum, quid illi fieret?... O quanta nostra caecitas! Scimus nos esse miseros, unicum esse remedium orare... Ad hoc videmur ire ad templum... et ecce, vix illic ingressi,... poenam meremur.

(Subsumat istud: *poenam meremur,* opponendo cum iis quae possumus consequi per SS. Sacrificium). Multum peccamus... in satisfactionem pro peccatis offert se Christus Iesus... iram Dei placare possumus. Sed irreverenter assistentes, renovamus quodammodo iniurias Iudaeorum; deberemus contrito corde... et contra etiam hic eum offendimus. Quid ergo hoc est, nisi privare se omni auxilio, fontem bonorum obstruere, et iram Dei magis accendere? Ecquid mirum ergo si miseriae nos premunt, si sub iustitia divina gemimus, cum illud ipsum quod ad misercordiam comparatum est, nobis convertamus in iudicium?

Peroratio. Emendabimus nos... Sed quale medium? Renovare fidem. Ad Ecclesiam euntes quaeramus ex nobismet ipsi: *quo vado et ad quid?* Vado ad *domum Dei,* ad *domum orationis*... Conqueritur Deus quod tales iniurias patiatur ab ipsis etiam fidelibus: *quid est, quod dilectus meus in Domo mea fecerit scelera multa?*... Timeamus ne, si nos non emendemus, Deus nos puniat... sicut nonnumquam permisit, ut et templa et sacerdotes auferrentur, et fideles tanto solatio privarentur.

Oratio ad Dominum Iesum ne hoc permittat... dolor de praeteritis, propositum melius agendi.

DE FIDE VIVA.

(*II Dom. Pasch.*)

Ego sum Pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae, et vocem meam audiunt. Ioan. 10, 14.

Exordium. Explicatio Evangelii et applicatio. Magnum solatium nostrum, Christiani, cum Christum dicentem audimus: *ego sum Pastor bonus.* Sed ex altera parte, quando oculos in oves convertimus, quantopere cor nostrum dolere debet! Pastor tam bonus, et oves tam paucae!... Vellet ille omnes... et ecce illae nolunt. Vocat Dominus . . . et ecce maior pars . . . alii illum non agnoscunt . . . *nolumus hunc regnare super nos* . . . alii, licet agnoscentes vocem eius non audiunt; et ita bonus hic Pastor paucas habet veras oves. De primis illis non dicam; non estis vos ex illorum numero, Christum Pastorem agnoscitis . . . Sed an hoc satis est? An satis est credere? . . . Si vocem Pastoris non audit . . . parum est quod quis credat . . . Vivere etiam operibus Fides debet. Unde *I.* Fidei vivae necessitas et utilitas. *II.* Consideratio qualis sit fides nostra.

Pars I. Subdivisio 1ª *Fidei vivae necessitas.* Praemittat explicationem quid sit fides viva. Sicut *corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est,* inquit S. Iacobus. (Hanc comparationem explicet). Corpus vivere unde cognoscitur? . . . Sic ex operibus cognoscitur fides. (Per enum. partium ostendat fidem generare timorem Dei, spem, amorem). Credit Christianus Deum . . . hinc . . . credit . . . credit . . . etc. Ecce quid sit fides viva. Ubi bona opera non sunt, ibi fides est mortua . . . et sicut homo post mortem non simpliciter homo, sed mortuus vocatur, ita fides sine operibus . . .

Probatio. S. Iacobus: *Quid prodest, fratres, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* — S. Paulus: *Et si habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Necessaria est fides, quae per charitatem operatur. — Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Dei, ut referat unusquisque propria corporis quae gessit.* — (NB. non quae credidit). Ipse Christus testatur: *veniet Filius hominis et tunc reddet unicuique secundum opera eius* (non secundum fidem)... *Qui non credit iam condemnatus est.* Itaque iudicari non indiget amplius: sed credentibus di-
Itaque iudicari non indiget amplius . . . sed credentibus dicit Iesus: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.*

Confirmatio a simili. Fides, ut sol non solum illuminare debet, sed etiam accendere,... ut arbor quae tres habet proprietates, profundam insitionem, firmitatem et fructus. Si ultimum hoc deest in fide, erit in nobis velut arbor inutilis, de qua Dominus: *Omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur.*

Affectus. Utinam hoc intelligant illi Christiani, qui quum terror divinorum iudiciorum sibi proponatur, infernus etc.... dicunt: Ah! timeant infideles, iudaei, pagani, haeretici, etc.... Non ita... immo vero timeant omnes etiam Catholici mali; nam paratus est *infernus diabolo et angelis eius,* id est, et illis qui se mala vita illi faciunt similes. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et dicet illis: recedite a me, qui operamini iniquitatem.* — (Comparatio a mai. ad min.). Si fides tanta non iuvat, qua miracula facta sunt, quanto minus nostra languida? (Concl. et transit. ad 2. subd.).

Subdivisio 2ª *Fides vivae utilitas.* Facit hominem beatum et in hac vita et in altera. Pertinent ad talem hominem illa verba Psalmi: *Beatus es et bene tibi erit.* Quid ultra optari potest?

1º. *In futura vita.* Probet interrogando: quis illam felicitatem obtinebit? Cui illae deliciae paratae? etc.... Nisi illi qui credit et secundum fidem vivit.... Promissio Dei infallibilis. Probet deinde ratione et exemplo Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum.... Haec fides vicit et vincet semper diabolum, mundum, carnem. Ergo...

2º. *In hac vita.* Etiam in hac valle lacrimarum fides viva reddit hominem beatum quantum fieri potest. *a*) Felicitas talis hominis est conscientia quieta. *Secura mens quasi iuge convivium. b*) Futuros casus non timet; nam fides eum docet sine voluntate Dei nihil fieri posse. Ergo in eius providentia conquiescit. *c*) Afflictiones quidem premunt, sed suscipit eas tamquam a Patre... Ergo neque contristant eum nimis... immo gaudio aliquando implent, quia *non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes quia probatio vestrae fidei patientiam operatur, patientia vero opus perfectum habet.* Ita S. Iacobus et S. Paulus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. d*) Hinc Sancti in mediis poenitentiis et affictionibus vere beatos esse se reputabant.

Affectus. Vere igitur Propheta: *Dicite iusto quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* — O

Sancta fides! ... O Deus benignissime, videtur servitium tuum habere tamquam finem beatitudinem futurae vitae ... et ecce iam in hac vita ...

Ubi opera cum fide non concordant, ibi omnia contraria. *a*) In vitam futuram ... *b*) in praesenti non habent solatium ... *c*) quod omnium pessimum est, tales interdum non utilitates fidei, sed etiam ipsam fidem perdunt ... Quamquam illae veritates aeternae manent semper veritates aeternae, et realitatem earum experiri debent omnes, et quidem etiam in vita ... Ita multi, ut ipse primipilus Voltaire, quorum desperatio in morte, tristis quidem, at minime dubia erat professio fidei ...

Quod ad nos attinet, horremus talem abyssum impietatis, sed ... (transitio ad 2. partem).

Pars II. Consideratio. Prius quaeratur an haec tanta bona ex fide sancta capiamus? An reddat nos ita felices?

1°. Saepe elicimus actus fidei, protestamur nos esse paratos ... sed an haec fides est in nobis viva?

2°. Exponat contradictionem fidei et morum per enumerationem. Quomodo communiter etiam fideles vivunt? *a*) Credunt se esse ad hoc in mundo, ut ... et tamen ... Credunt bona caelestia sine comparatione pretiosiora esse quam... et tamen ... Credunt iuxta doctrinam Christi paupertatem, poenitentiam, mortificationem esse viam ad ... et nihilominus ... Credunt contra divitias esse spinas, quae vulnerant conscientiam ... voluptates, bona terrena, honores esse ... facilius esse camelo intrare per foramen acus, quam... mundum et omnes res eius esse ... et tamen ... Credunt Deum esse ubique ... et tamen quaerunt occulta ... Credunt non post multum temporis sibi moriendum ... sistendos se Iudici ... satis esse unum peccatum ... et tamen iniquitatem ut aquam bibunt ... Credunt horam mortis adeo esse incertam ... interea manent quieti in statu peccati. *Exclamatio de tanta insipientia!*

b) Num quis enumeret omnia, in quibus vita fidelium cum eorum fide pugnat? Quid sunt illae societates ... quid illa colloquia ... quid odia ... negligentia officiorum ...? irreverentia in templis? ... indifferentia ...? Quid omnia scandala, quae ignominia afficiunt SS. Religionem? O! ubi sunt illa felicia tempora primitivae Ecclesiae ... quibus fideles ex ipsis operibus agnoscebantur, quibus vita illorum erat evidentissimum argumentum veritatis fidei sanctae? ... Nos vero, eheu, saepe nihil praeter nomen Christiani habemus.

c) Verus Christianus bellum mundo indixit, et mundus eum persequitur ... nos ...; discipulus Christi crucifigit corpus suum ... nos ...; discipulus Christi est humilis ... nos ...; est mitis et patiens ... nos ...; est sobrius ... nos .. ;

nulli rei adhaeret... nos...; facile dimittit... nos...; ubique agnoscitur per modestiam, per simplicitatem, per colloquia..., nos... Quid hoc est? Vita nostra magis scandalo est quam aedificationi... et glorificantes Deum ore et lingua, vita Illum negamus...

Peroratio. Videamus diligenter ut... Nonne esset damnum irreparabile, si fides... (repetitio *utilitatum*)... Si ille thesaurus incomparabilis, illa radix immortalitatis in nobis esset sine fructu?... Fides sine operibus nos non salvabit; frustra dicam Deo: fui Christianus, fui Catholicus... si... Vivificemus fidem nostram... quaeramus in omnibus: quid me fides mea hic facere iubet? Caveamus peccata.... exerceamus virtutes. Sic illa reddet nos felices et in hac vita et in futura.

DE REDDENDIS DEO ET HOMINIBUS.

Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo.

Matth. 12, 17.

Exordium. I. Deo reddenda, quae illius sunt. II. Reddere Deo quae illius sunt efficacissimum medium, ut reddantur hominibus quae illorum sunt.

Pars I. Reddite quae sunt Dei, Deo. Quidquid hominem urgere potest ut alicui honorem, amorem, famulatum reddat, id omne summo gradu invenitur in Deo.

1°. *Ipsa excellentia,* ipsa auctoritas monarchae aut domini a minoribus, licet non subditis, honorem et aestimationem exprimit. Et quomodo ego Deum... Dominum caeli et terrae... qui caelum et terram gloria et maiestate sua replet, non honorem...? *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo... sicut stilla roris antelucani...* Quid ergo ego sum coram illa immensa Maiestate?... Et possum etiam dubitare, an debeam illi honorem reddere necne? Dum hic Dominus loquitur concutiuntur columnae caeli, ad vocem eius terra tremit, ad nutum eius tota natura commovetur, et ego minimus et vilissimus servulus eius, ego scabellum pedum eius et pulvis vestigiorum eius?... Clamat ergo ipsa Maiestas Dei: *reddite...*

2°. *Accepta beneficia* potenter trahunt cor hominis, quod vel aliquid humani habet, ad amandum. Gratitudo proprietas est cordis vere humani et quis potest esse maior benefactor quam Deus? Quidquid habemus et quidquid sumus, totum

est donum eius, quot habemus capillos in capite tot de nobis ei curae, quoties respiramus toties gratias et beneficia. .. Quid? Nonne Filium suum unigenitum dedit... Filius Dei descendit de caelo... assumpsit formam servi, et post vitam laboriosissimam, post aerumnas infinitas, morte ignominiosissima et crudelissima... Quid dicamus de eo quod nobis praeparavit in illo supremo regno... Clamant ergo beneficia Dei: *reddite*...

3°. Scire *sortes nostras esse in manibus* alicuius, ab aliquo *dependere omnem felicitatem vel infelicitatem*..... etiamsi alia nulla essent incitamenta, debitum honorem non modo requirit, sed etiam a contumacissimis et durissimi cordis hominibus exprimit. Utique a Deo dependeo totus et omnes res meae, a Deo omnis successus negotiorum meorum, a Deo desideriorum meorum expletio, a Deo mea sanitas, a Deo vita mea, a Deo mors mea, a Deo aeternitas mea: *in manibus Domini sortes meae*... et quomodo non colam ac reverear...? Catulus coram leone procidit, pauper mancipium tremit coram Domino qui sortem eius... quomodo ego non tremam et procidam coram Deo, qui me vermem vilem pro peccatis meis conterere et abicere potest? Clamat ergo et haec subiectio nostra, clamant necessitates nostrae: *Reddite*....

Profecto qui his omnibus non movetur... Propterea Deus etiam comparat tales, immo viliores habet stupidissimis animalibus et asinis: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui, Israel autem Me non cognovit, et populus meus non intellexit.*

Quid autem nobis Deo reddendum? Quod eius est. Sed quid, quaeso, non est eius? Quidquid in nobis et circa nos est, illius est. Ergo omnia illi reddenda.... Habes liberos: Dei magis sunt quam tui, ergo *reddite*... Cognoscant Patrem qui in caelis est... habes servos, Dei magis sunt quam tui, ergo *reddite*... ut agnoscant Dominum suum caelestem et illi serviant... habes bona, Dei magis sunt quam tua, ergo *reddite*... habes officium, superioritatem, magistratum, haec vere divina res... ergo serva iustitiam..., ut vicarium Dei decet,... habes intellectum... habes voluntatem... habes corpus... omnibus servi Deo, nam illius sunt.

Ulterius quid reddendum Deo? Quae illius sunt... fides, spes, charitas, oboedientia, sed finem non inveniam si velim omnes obligationes singillatim enumerare... Unam solum commemorabo, quae sola omnes in se complectitur, et quae maxime his temporibus oblivioni datur, *timorem Dei*. Loquor ad catholicos, ad quorum etiam aures saepe accedunt sermones hominum liberiorum... Volunt tantum audire de amore Dei de bonitate et misericordia Dei. Amare Deum

necesse est, non timere illum... Non est Deus terribilis, sed amoris plenus.... O vere verba super mel *dulcia et ipsa sunt iacula ignea!* Utinam tam sancti essent tales, ut perfectum amorem adepti, merito possent timorem quasi deponere: *perfecta charitas foras mittit timorem.* Sed contra video... Sunt homines vitae liberrimae, qui tam sunt securi; hic proprie locum habet quod dicit Sapiens: *Sunt impii qui ita securi sunt, quasi iustorum opera habeant.* Ergone non vocatur Deus millies *Dominus terribilis?* Ergone non dicit ipse per Prophetam: *Me non timebitis?* Ergone Sancti non dicebant: *verebar omnia opera mea sciens,* quia non parcis delinquenti? Aut S. Propheta et post illum amoris ille Apostolus S. Ioannes non exclamant: *Quis non timebit te o Rex gentium?* Aut ipse denique Christus Iesus, qui utique non venit ut homines terreret, sed ut salvaret, non movet ad timorem dum toties commemorat, *gehennam, ignem aeternum, fletum et stridorem dentium... ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur?* Aut non dicit ad charos Discipulos, quasi per amicitiam illos obtestans: *vobis, dico, amicis meis timete.* Quomodo ergo nostri moderni iam dicunt non esse timendum? Quia non noverunt Deum: *Pater iuste mundus te non cognovit!* Non noverunt, quis sit Deus et quid ille a sua creatura requirat; non noverunt quid sit habere Deum sibi iratum, portare onus indignationis divinae, subiacere ultioni omnipotentis... Nos ergo timeamus Deum timore filiali... Hunc habentes reddemus constanter Deo quod Dei est, nec solum, sed etiam hominibus quod illorum est.

Pars II. Quae sunt Caesaris, Caesari. Servitium Dei non absolvit nos ab obligationibus mutuae societatis, sed arctius potius illis obstringit. Si spiritu religionis ducimur, et si Deo volumus reddere quae illius sunt, eo ipso oboedientiam superioribus, honorem maioribus, amorem aequalibus, benignitatem minoribus, misericordiam miseris, iustitiam omnibus reddemus.

Sed parum est nostris temporibus dicere, religionem illud efficere ut hominibus reddatur quod illorum est. Debet plus dici nunc, cum iam in consuetudinem abiverit illa opinio, posse has obligationes etiam sine religione impleri. Finxerunt sibi absurdam aliquam honestatem sine religione... Praeclara laus: est quidem sine religione... sed tamen vir honestus...!

Non potest esse vera honestas sine religione. S. Ambrosius pulchram et solidam facit observationem: nihil facilius esse homini quam implere obligationem tum cum nihil contrarium accidat, cum virtus cum propria utilitate conveniat... Interveniat propria utilitas, pro servanda virtute necesse sit de suo aliquid cedere, fortunam exponere, pro iustitia im-

molare quod iniuste teneretur... quis absque periculo humano ditescere iniuste possit... Tum frenum necessarium est forte, et talis est sola religio. Nam quid retinebit inter terminos honestatis? Leges? sed hae occulta crimina non puniunt... sed norunt alii earum severitatem declinare... sed parvum furem suspendunt et magnos dimittunt..., « dimittit corvos, vexat censura columbas ». Quam multa crimina in quae nullae sunt leges...? Honor? ergo occulta licebit... immo hic honor male intellectus ad gravissima crimina... Pilatus, ethnici philosophi... omnes isti honore ducebantur... et nunc nonne oportet esse liberum, dissolutum in colloquiis, in iocis, in societatibus, si nolis derideri?... Natura? haec ad malum prona... Educatio? sed sine religione est educare lupum quem, quantumcumque educes, semper erit lupus. Infelices parentes qui... « Novi domum quamdam, inquit nobilis auctor, in qua educatio filii iuxta haec principia moderna... Octavo anno aetatis erat monstrum impudicitiae... undecimo anno occidit fidelissimum ex famulis...» Sentiunt ita ipsi Philosophi, quorum unus cum discipulis haberet praelectionem et adverteret filiam et famulos auscultare, finem fecit. Causam rogatus sic respondit: filia mea fieret brevi impudica et famuli fures. Ipse I. I. Rousseau dicit: diu habui hanc opinionem posse esse aliquem virtuosum sine religione, sed omnino persuasum mihi est, hoc esse falsum.

Itaque auditores, quo magis quis honestatem suam praedicat, eo minus ei fidamus. Nam citius ocius fallet, prodet... Nobis autem ipsi sumamus hanc doctrinam, tali honestate non evitari damnationem... Non est caelum honestis sine religione, nam tales non reddunt Deo, quod Dei est: *Laudantur ubi non sunt, cruciantur ubi sunt.*

Peroratio. Nos... habemus tot motiva... Deum timeamus. Cum Eleazaro sene cogitemus, etsi in praesenti vita suppliciis horum eriperemur, sed Dei omnipotentis manum nec vivos nec mortuos effugere nos posse. — Hunc timorem in corde gestantes, et Deo reddemus quod illius est et hominibus...

DE EBRIETATE.

Sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibbus et ebrietatibus. Rom. 13, 13.

Exordium. I. *Quam abominabilis.* II. *Quales effectus.*

Pars I. Quam abominabilis. — Praecipue in hoc consistit quod excessus hominem eo perducat ut usum rationis perdat... id quod re vera continet ignominiosissimam abiectionem ho-

minis et gravissimam ingratitudinem erga Deum. Excellentissimum donum, a Deo creaturis datum, est intellectus... Est radius quidam Divinae Sapientiae, est lumen vultus eius... in hoc praecipue illa pulchra imago Dei; hoc donum super omnia animalia, super omnes alias visibiles creaturas hominem elevat. Dominus est et rex totius mundi, bestiae superant hominem velocitate, viribus, voce, pulchritudine; sed homo per intellectum omnia haec sibi servire cogit. Equus fortis ac velox; at per rationem homo eo pervenit, ut illum pro libitu regat et eo utatur, etiam per parvum puerum. Quodsi homo quoad corpus similis sit bestiis, per rationem et animam similis fit angelis, spiritibus caelestibus: *minuisti eum paulo minus ab angelis.*

Ecce talis est unusquisque nostrum. Etiamsi quis sibi vilis videatur vel aliis,... tamen propter animam rationalem est tam nobilis, ut praeter angelos nulla creatura sit qua non sit nobilior, et quam non Dominus ipse illi postponat; etiam stellas, lunam et solem... *super omnia opera manuum suarum...*

Sed si tam excellens est donum, o quam foedum igitur, per excessum in potu voluntarie se omni hac excellentia privare, tantum Dei donum in se annihilare, exstinguere hoc lumen, foedare hanc imaginem Dei in se et fieri similem brutis immo foediorem et viliorem: *homo cum in honore esset, non intellexit*... An vero non est ebrius vere similis bestiae? Iacet ecce, nescit quid secum agatur, loqui non potest, aut si aliquid dicit, nescit ipse quid garriat; ad nihil aptus, etiamsi nescio quae necessitas ingrueret, etiamsi ignis domum corriperet... donec somno digerat... Immo nonne hac re factus est bestia vilior. Non tantum perdit usum rationis sed etiam usum corporis et membrorum, ut dicit S. Basilius, applicans ebriis quod scriptura dicit de idolis: *Oculos habent et non videbunt*... Viri ridiculos se praebent pueris etc....

Propterea etiam ipsi Ethnici considerabant ut abominabile... Quaedam gens, ut liberis a pueritia horrorem ebrietatis inspirarent, ducebant illos ad ebria mancipia... Et vos, Christiani, Catholici, non tantum non horretis, sed etiam habitum ebrietatis...! Nec solum liberos vestros non avertitis, sed magis excitatis ac docetis ebrietatem, nec solum exemplo et scandalo, sed adhortatione... Ergo etiam ipsi Ethnici tales in iudicio, confundent. Illi rationem suam magni faciebant... vos... illi... vos... Scientes melius dignitatem vestram, scientes vobis usum rationis necessarium ad... ita tamen hanc rationem mergitis, ut si inopinata necessitas, repentinum periculum vitae..., non possetis facere quae tali momento necessaria sunt pro aeternitate... Horrenda res, quae vel sola ostendit quam sit abominabile peccatum ebrietatis.

Pars II. Effectus. Scriptura sacra multis in locis *vae,* dicit ebriosis. (Textus).

1°. *Temporales.* a) *Famam* perdis, potator, pulchra laus! Homo cui nihil potest committi... b) *Bona.* Communiter *ubi paterfamilias potator, ibi paupertas,* ut dicit scriptura. Et quid mirum? tempus laboris in taberna... praeterea excessus omnes eius vires consumunt... denique guttur quasi abyssus quae omnia devorat... Divites etiam saepe ebrietate ad pauperiem deducuntur, quomodo pauper, mediocris possit sustinere... Interea uxor et liberi plorant; vir, pater perpotat in taberna et uxor et liberi ferme fame moriuntur. Non putas etiam ex hac parte gravem te rationem Deo redditurum? c) *Sanitatem.* Dicit interdum ebriosus se propter sanitatem potare. Utique, aspice tantum qualis sanitas...! Ex vultu legi potest quamtum ebrietas iuvet ad sanitatem... ergo et vitam abbreviat: *propter crapulam multi obierunt.*

2°. *Spirituales.* a) *Per se peccatum est,* ergo iuxta sanctam nostram religionem maius malum quam... St. Augustinus: « Si ad hoc veniretur ut tibi diceretur: aut bibas aut morieris, melius tibi esset ut caro tua sobria occideretur, quam ut per ebrietatem anima moreretur ». b) *Gignit peccata alia: Rixas, maledicta; ubi vae ibi rixae...* Nulla pax sed viva imago inferni. Peccant quidem maledicentes, sed magis illi qui dant causam. *Fraudes, furta.* Nam unde acquirat ut potet? *Impuritatem,* iuxta scripturam: *in vino luxuria.* Et nonne experientia docet, quosdam pudicos esse dum sint sobri, in ebrietate autem foedissime et loqui et facere, quasi evidens signum quod spiritus immundus cor eorum per ebrietatem occupavit. (N. B. ne putent quidquid ita fiat in ebrietate non esse peccatum; explicandum).

Ecce damna in anima: peccatum per se, peccata gignit. Quid mirum si ab Apostolo inter vitia, quae viam ad caelum obstruunt, etiam ebrietas numeratur: *Notite errare... neque ebriosi...* Si autem non ad caelum quo ergo...? An plus necessarium est ad vos avertendos... Utique hoc non nos sacerdotes dicimus, sed Spiritus Sanctus dicit. — Audite exemplum non ex antiqua historia, sed his annis cuius ipse testis fui. Ebrius quidam, ita ut gangrena... Volebant saepius vocare sacerdotem... sed ipse nolebat... denique videntes... vocant sacerdotem, me ipsum. Eram prope, ad 200 vel 300 passus, non amplius. Abicio omnia, curro... media via obviam currit alius: *iam mortuus est.* Revera advenimus simul, duo sacerdotes, et nil iuvare potuimus. Iam illa anima in aeternitate erat. Velletne aliquis vestrum ita mori? Et tamen non erat hic homo insignis potator... interdum tantum « habebat aliquantum in capite », ut vos soletis dicere. Erat etiam homo pius et tam terribiliter Deus illum per-

misit... En, vobiscum, potatores, quid erit. *Attendite ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate et superveniat in vos repentina dies illa... Ne forte,* ne casu hoc accidat, quanto magis ne ex habitu?

Conclusio: 1°. Cavete qui nondum estis rei, ut semper abhorreatis, nam (recapitulatio). 2°. Cavete, qui estis rei, timete iustitiam Dei, et emendate. Habetis consuetudinem: ergo vel omnino relinquite usum vel, si non potestes omnino deserere, non ad tabernam eatis...

Ebriosi regnum Dei non possidebunt. Estne dignus iste potus, qui momento per guttur transit, qui viscera incendit, qui corpus pessumdat, propter quem velis... S. Apostolus Paulus dicebat: *Si propter carnem peribit frater meus, non manducabo carnem in aeternum;* quanto magis tu... si propter potum... anima mea... etc. O Deus, da omnibus... *Satiabor, cum apparuerit gloria tua, replebimur ab ubertate domus tuae!*

DE IMAGINE SS. CORDIS VENERANDA.

Elegi et sanctificavi locum istum, ut... permaneat ibi cor meum cunctis diebus. II Par. 7, 16.

Exordium. Multi vestrum, licet sodales Congregationis SS. Cordis Iesu, tamen templum ingressi sunt quin de salutanda SS. Cordis imagine cogitarent... Sic homines sumus... Quam ob rem : I. Ipsam imaginem explicabo, II. Qui fructus ex eius adspectu colligendi sint. *Cor Iesu flagrans amore nostri, inflamma cor nostrum amore tui.*

Pars I. Qua forma Christus Dominus Cor suum ostenderit.

Cor. - Pars nobilissima... fons affectuum... praecipue sedes amoris... Ipse tanta fecit... tanta passus est... *Dilexit me et tradidit semet ipsum pro me.* Amor dedit... quid? Bona?... omnia?... *Se..!* Cur?... ad serviendum... in miseriis... ad moriendum... morte ignominiosissima... et id, quamvis novisset ingratos futuros... Maledictionem abstulit, in benedictionem convertit... mortem in vitam... Quidquid habemus, speramus... unisce ab hoc piissimo Salvatoris Corde... Quam angustiatum pro nobis...! Quae gratitudo? Quis amor?

Flammae. Symbolum amoris, qui numquam otiosus... numquam potest manere occultus... omnia devorat... et in se transmutat... Communicat se et quantum vis multa accendantur... insatiabilis est. Cor Iesu ita arsit semper et

etiam nunc ardet. *Aquae multae*, tantum diluvium peccatorum, *non potuerunt exstinguere charitatem.*

Crux. Cordi inserta quia Iesus a primo conceptionis momento crucem et omnem passionem semper sibi praesentem habuit. — Crux *parva* ... Sic eius amori videbatur, paratus ut erat ad multo maiora ... Admiratio.

Spinae. Peccata ... o quot spinis ego ... quot vos ... quot tot peccatores ... Deprecatio et commiseratio.

Vulnus. Latus aperuit ... Ultimae guttae sanguinis ... Fiducia.

Radii. Ob coniunctionem Verbi ... et ob merita passionis ... Lumen de Lumine ... *In lumbis eius et in femore eius scriptum, Rex regum et Dominus dominantium.* Adoratio.

Pars II. Nemo iam Ecclesiam ingredi poterit, quin haec imago oculis eius obversetur. *Qui fructus colligendi?*

Peccatoribus. Putatisne hanc devotionem proponi tantum sanctis, non vobis? ... Iam non divinae iustitiae severitatem, non mortem, iudicium, infernum ... sed amorem Iesu vobis exhibemus ... Hic vincat ... Non autem sunt mere piae considerationes, sine soliditate, ... Sunt veritates ... Hic *peccatores recipit* ... *Veni vocare peccatores* ... *Venite ad me ... omnes qui* ... *Flevit super illam, quia si cognovisses tu* .. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete.* Timebitisne accedere ad tribunal poenitentiae? Dubitabitisne an benigne excipiamini ab eis, qui in Corde Iesu exemplar sibi imitandum habeant?

Iustis. Adorare ... Similes se reddere ... amore et patientia. Amor a patiendo non eximit, sed crucem valde tolerabilem reddit ... Parum amat, qui putat se multum pati ... In defectibus ... per SS. Cor supplere ... In bonis operibus ... per SS. Cor Patri offerre. In angustiis ... *Noli flere* ... *Ego veniam et curabo* ... O quantum thesaurum in Corde Iesu habemus!

Peroratio. Omnes, omnes homines amavit ... amat etiamnunc ... Imple o benignissime Iesu quae promisisti ... et locum hunc et eos qui hic Cor tuum venerabuntur, benedictione tua ... peccatoribus veniae ... iustis perseverantiae ...

DE BENEFICIIS A DEO ACCEPTIS.

BRIGAE ULTIMO DIE ANNI 1821.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in saeculum misericordia eius. Ps. 117.

Exordium. Considerandum: 1°. quae *beneficia* hoc anno acceperimus, 2°. quae nostra fuerit *gratitudo.*

I. *Quae beneficia.* De beneficiis divinis dicturus, vere nescio unde initium ducam, ita plena sunt omnia... Quod sum, quod vivo beneficium Dei est... et id quidem Deus tribuit toto hoc anno, quavis hora, quovis momento. Quoties respiro toties a Deo beneficium accipio, quot capillos in capite habeo, totidem sunt Dei circa me curae...

Quod si cogito, quis sim ego et quis magnus ille Deus, augetur beneficium in infinitum. Ego *vermis terrae,* quid vilius?... et tamen hunc vermem ***Deus Maiestatis,*** quem Angeli... respicit benigne, nec solum respicit sed... *Minor sum omnibus miserationibus tuis.*

Sed descendamus paulo distinctius.

1°. A *malis* innumeris *praeservavit,* a generalibus et a particularibus.

A generalibus. - Ut in malis generalibus quisque partem portat, et si omnes miseri quisque miser, ita praeservatio a malis generalibus beneficium est unicuique nostrum praestitum... Adscribunt pagani et infideles fortunae. sed nos, Christiani: *Tua Pater Providentia gubernat omnia.* Iamvero hoc anno praeservavit nos Dominus a terrae motibus, quibus regio ista quondam erat multum infesta, (*Patres... narraverunt nobis*)... hoc ipso anno variis in regionibus strages ingentes, *(Respicit terram et facit eam tremere)*... nos praeservati. Dein ab inundationibus aquarum; a peste, quae hoc ipso tempore inde a pluribus mensibus in Hispania furit; a fame, a bello, quod quidem prope erat... In vicinia si incendium est, vicini non sunt tuti; haec nostra erat condicio hoc anno, sed Deus avertit.

A particularibus. - Quot miseriae sunt in mundo, quot lacrimae miserorum hominum... Hic orba vidua, hic egestas extrema, hic morbi et dolores innumerabiles... Hac ipsa hora quot sunt, qui... Quodsi a terra descendimus ad purgatorium, ad infernum... O quae et quanta mala! -

Ecce ergo, et nunc et quovis momento per decursus huius anni tot a Deo beneficia accepimus, quot sunt miseriae in mundo, quot morbi ac dolores, quot poenae etiam in purgatorio et in inferno... Nos autem vivimus, et infernum ac purgatorium, licet meriti, evadere etiam possumus... Vivimus bene valentes, rebus necessariis instructi... O si videremus daemonum circa nos machinationes, qui ut *leones rugientes*..., et quomodo sancti Angeli iussu Dei circa nos excubant in millenis periculis, quae nunc ne advertimus quidem...

2. *Bonis nos cumulavit.* Omitto iam temporalia... ad spiritualia venio. Hic ipse locus sanctus, haec domus Dei quot et quanta Dei beneficia revocat... Hae arae, in quibus quotidie totum opus redemptionis renovatur... haec confessionalia, in quibus toties Sacerdotes Dei, levantes manus super vos,

Christi Iesu sanguinem ad emendationem animarum vestrarum effuderunt... Haec mensa caelestis, ubi toties Angelorum pane refecti, ubi terra vobis in caelum conversa...

Quid vero dicam de particulari huius anni beneficio Exercitiorum in hac Ecclesia, quibus Domini misericordia tanta mirabilia operata est!... Nihil hic, ne minima pars ulli homini adscribenda... Iniuriam Deo facit, qui alii... quam Dei benignitati, quam Iesu Christi sanguini, quam Cordi Eius amantissimo...

Ecce ergo tot beneficia, quae strictius enumeravi... Quis non exlamet: *Confitemini Domino, quoniam bonus,...* Quis non cum eodem Davide sibi quaerat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?*

II. Sed quid retribuimus? *Quae fuit gratitudo nostra?*

Gratitudo tria complectitur, gratias habere, gratias agere, gratias referre. Primum *cordis* est, secundum *oris,* tertium *operis.*

1°. Quae fuit *gratitudo cordis* nostri pro tot beneficiis? An semper ea agnovimus? An intelleximus, quidquid nobis daretur dari gratis, non ex debito, non ex merito?... An non etiam inter vos aliqui, qui donis Dei utentes, et utentes usque ad luxum, vix umquam de Deo cogitent?...

Quam foeda haec oblivio!... Ut immunda illa animalia, quae glandibus sub quercu vescuntur nec umquam sursum respiciunt... Non videmus Deum, sed mente scimus Eum esse, et omnia nobis bona ab Eo venire. *Cognovit bos possessorem suum...*

2°. Quae fuit *gratitudo oris?* An quotidie gratias egimus? et quo fervore, quo amore egimus? Certe, si tota vita nil faceremus nisi gratias agere, non faceremus satis pro tot beneficiis... Quovis momento tot accipimus bona, ut illo ipso momento pro illis non satis grati esse possimus. Quid pro ceteris, praeteritis et futuris?

3°. Quae fuit *gratitudo operis?* Haec exhibetur *observatione mandatorum Dei* et *bono usu eius donorum.*

Quid minus facere possumus, quam eius *mandata servare?*... Dicit Dominus: Ego tibi haec... tu mihi ista... Et haec ipsa vult nobis bene esse futura! - *Haeccine reddis?...*

Bono usu dona Dei conservantur et augentur. In temporalibus: An bene fecimus? Tibi supra necessitatem dedi, ut aliis, quibus necessaria desunt, communicares... In spiritualibus: Qui fructus tot contionum, missarum, confessionum, communionum? Praesertim, qui fructus Exercitiorum (s. missionis)? Scio multos tulisse fructus uberes, multos lacrimis peccata eluisse,... sed annon sunt etiam, pauci, qui non sint usi..? *Vae qui spernis, nonne et ipse sperneris?... Cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Quam triste, quod quidam

nullis mediis incitantur...! Tot indulgentiae, tot festivitates, etiam extraordinaria auxilia...

Vos vero, qui tum adfuistis cum fructu, fuistisne constantes?... Damnastis impuritatem, cum quam abominabile, quam exitiosum hoc vitium esset audissetis. Damnastis alta voce, et hoc sacrum templum resonabat... Bene damnastis, ne illud vos damnaret, maledixistis ne propter illud audiretis: *Recedite a me maledicti*... An constantes fuistis? Non dubito quin multi etiamnunc damnent, sed an non sint etiam qui...? Bone Deus! Damnastis hic... Testis fuit Iesus Christus, testis B. V. Maria, testes hae arae, testes hi parietes... et iterum verbis, desideriis, factis vitium hoc abominabile, exitiosum committitis!... Si ita, certe gravissimam *ingratitudinem*... Deus condonaverat... et brevi post misericordiae Domini obliti tamquam *canis ad vomitum rediistis...!*

Utinam saltem nunc animum renovent, ingratitudinem detestentur et cum novo anno novam assumant (pietatem) erga Deum!

IN RENOVATIONE FORMULAE MARIANAE
(Die 2 Febr. a. 1822).

Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea. Ps. 65, 14.

Exordium. Quid potest esse gratius cordi christiano, quam videre tantam multitudinem convenisse, ut fidem suam erga sanctissimam Virginem testetur...

Non est quidem votum proprie dictum, nec nova contrahitur obligatio sub peccato... sed tamen cavendum, ne sit nobis inanis caeremonia. Nam si ita, quid sperandum haberemus...

Videndum ergo, et *quid hac formula promittamus,* et *quomodo hucusque servaverimus*... Ad hoc nihil aptius facere me posse existimo, quam ipsam formulam apponere... et deinde vobiscum examinare, quomodo hucusque...

Pars I. Ingressus. Habetis hic aliquod pactum, quod cum B. Virgine quisque vestrum iniit, in quo obsequium suum B. Virgini promittit et vicissim ab Ea sibi obsequia humiliter ac fidenter postulat. Sunt ergo *personae contrahentes,* sunt *promissa,* sunt *postulationes.* Singula considerate.

1°. *Sancta Maria, Mater Dei et Virgo,... Ego.* Vide, quam alloquaris, quacum agas.

Sancta Maria. Sancta et omnibus Sanctis et Angelis sanctior. Sancta in conceptione, in nativitate, in vita,... in omnibus factis, dictis, cogitatis, sancta in omnibus quae passa est, sancta in morte. Ob hanc eminentem sanctitatem... Regina Caelorum. Cogitate quanta Maiestas...! Apostolus docet, Angelos et Sanctos alios ab aliis differre claritate, ut stellas a

stellis vel etiam a sole... Et tamen quivis minimus Sanctus, minimus Angelus tantae est gloriae, ut potentissimus terrae monarcha dignus non sit qui ei famuletur... Iam cogitate quae dignitas Mariae, quae sola omnium Angelorum ac Sanctorum gloriam superat!

Mater Dei. Servum esse Dei, amicum esse, filium adoptivum... magna dignitas. Quid Mater Dei! Omnipotentis, aeterni, infiniti Dei... *Quem caeli capere non poterunt,...* cuius *gloriae pleni sunt caeli et terrae,...* cui omnes caeli principes *Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.* Hunc Deum portavit, hunc infantem genuit, hunc educavit, cum hoc et pro hoc passa est...

Mater Dei et Virgo, purissima... ita virginitatis amans, ut maternitatem divinam non fuisset acceptura, nisi... Exprimis his verbis ea, quae Virgini sanctissimae summo honori sunt, quae vere illam *Matrem admirabilem* demonstrant. Quidam (1) piissimus Pater, Moderator Congregationis, quodam die, cum Litaniae a sodalibus cantarentur, ad invocationem *Mater admirabilis* sensit quantopere hic titulus B. Virgini placeret... Itaque mox ter iussit repeti... et etiam post multos annos in illa Congregatione mos ille permansit.

Ego... miserabilis creatura, peccator, miserabilior et peior quam ipse capere possim; *ego,* cuius vilitatem nec angeli comprehendunt, cuius abyssum solus Deus metitur; *ego* ergo oculis tantae Reginae indignissimus... Compara te cum sancta Matre Dei... Tu non sanctus sed improbus, neque uno peccato, una passione foedatus sed multis... Tu servi nomine indignus, quia Dominum toties deseruisti, filii dignitatem toties perdidisti, ipsum Filium huius Matris toties crucifixisti... Tu quid coram Virgine purissima...

O quanta debet esse reverentia, quanta exinanitio, semper quidem cum ad illam oramus, sed potissimum in hac sollemnitate... coram caeli et terrae domina.

Attamen ut summa eius maiestas ita benignitas summa. Quo sanctior eo etiam benignior... Proxima Deo, qui ut infinitae Maiestatis ita et Misericordiae infinitae... Igitur cum *timore* et *fiducia*...

Sed iam videndum, quid ei dicamus... Displicet enim stulta promissio.

2°. *Promissa. Eligo te hodie in Dominam, Patronam et Advocatam.*

Explicentur singulae: *Domina... Patrona... Advocata...*
Firmiterque statuo ac propono...
me numquam Te derelicturum...

(1) Servus Dei Iacobus Rem S. I. (1546-1618) cultus B. V. M. in Germania egregius promotor.

Nec contra Te aliquid umquam dicturum aut facturum ... neque permissurum, ut a meis subditis aliquid contra tuum honorem umquam agatur ... Haec obligatio inculcanda. (Audi Apostolum: *Si quis suorum ... est infideli deterior*)...

Ad haec profiteor Tuam Conceptionem esse prorsus immaculatam et a labe originalis peccati penitus immunem ...

3°. *Postulationes. Obsecro te igitur,*
suscipe me in servum perpetuum ...
adsis mihi in omnibus actionibus meis ...
ne me deseras in hora mortis ...
Amen ...

Pars II. Quomodo promissis satisfactum?

1°. Felices illi, qui ... Vobis gratulor ... Quo plus fecistis eo plus sperandum circa postulata ... Cogitate saepe, an aliquid gratum, singulariter gratum, B. V. Mariae facere possitis ....

2°. Sed, itane omnibus gratulari possum? *Non omnis qui dicit Domine, Domine ...* Sunt qui se obtulerint *in servos perpetuos* et ... serviant carni, passionibus, daemoni ... mancipia inferni ... Promiserunt *se numquam derelicturos* et ... ita derelinquunt, ut se exponant separationi aeternae ... Promiserunt *se non permissuros* ... et ... facinus vel ipsis Turcis et paganis pudendum ... spreto timore Dei, conscientiae voce, fide, pudore, animas sibi commissas ... ad flagitia illicere ... non verentur ... Petiverunt a B. V. Maria ut *adesset* ipsis *in omnibus actionibus* ... Num in iniquitatibus, in iniustitiis, in compotationibus, in lusibus?

Amen denique quibusdam non est id quod significat, scil. *sit ita,* sed finem devotionis significat. Amen, devotio finita est, eamus et bibamus et ludamus et rixemus ... Quid? nonne praeterito anno, hoc ipso die, pudet me dicere, sed ..., nonne post peractam hanc sanctam caeremoniam quidam prius poti, dein in dedecus sanctae Congregationis ad Rhodanum pugnarunt ...?

Peroratio. Ah sodales, si ita vos ... quid speratis? Numquid Mariam vobis adfuturam? ... Quid si hic in isto Templo augusta Mater Dei de caelis descendens coram adstaret, quid dicturam existimatis ... Quid? Ego vos servos meos agnoscam, qui ... qui ... qui me et congregationem meam inhonorastis, sodales contristastis, Ecclesiam scandalizastis ...

Doleo quod tales exprobrationes facere debeam tali die, sed utinam illi qui rei sunt sibi ipsis has repetant, aemulentur...

O si omnes sodales facerent quae promittunt, quam pulcra esset facies huius Regionis ... Non esset sanctior, non esset beatior terra in orbe christiano.

Emendate ergo ... Tempus est ... Renovate hac renovationis formula devotionem vestram.

Oratio ad B. V.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE.
Arachni 1822.

Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum. Ps. 92.

Exordium. Ita David, cum Templum Dei nondum esset exstructum, sed solum tabernaculum, in quo quasi in diversorio, non in habitaculo suo, degebat... Quid nos, qui Templa habemus vere domos Dei. Aedificaverunt haec Templa homines pii et Deum quasi ad ea invitaverunt... Et Dominus descendit... domus consecrata est in perpetuum...

Merito illius consecrationis memoria sollemniter celebratur... et utilissima est nobis recordatio. Revocat... *reverentiam,* quam Templis debemus, et *curam animae habendam,* cuius Templum figura est. Itaque: I. *Templum est domus Dei, ergo sanctum.* II. *Anima nostra est Templum Dei, ideoque sancta sit oportet.*

Pars I. Quamquam Deus ubique praesens, quamquam Eum *caeli ipsi capere non possunt, pleni sunt caeli et terra maiestatis gloriae eius,* tamen semper ad cultum divinum... loca *peculiaria,* ubi Deus beneficiis... praesentiam magis... manifestabat... E compluribus, quarum mentio in S. Scriptura fit, nullum nobilius... quam Templum Ierosolymitanum. At memineritis, quidquid ibi sanctum fuisset nihil fuisse nisi umbram et figuram.

(Describenda forma, sumptus, exstructio, praecepta, festa).

Iam vero quid ibi erat? Attendite quam nihil... si comparatur cum eo quod in nostris Templis... Ante *Sanctum Sanctorum* ingens altare, in quo victimae cremabantur, in ipso ante velum aurea candelabra, mensa, ara, post velum Arca Foederis, in qua Tabulae Moysis. Nil aliud? Nihil... Immo in Templo posteriore ne hoc quidem inveniebatur... Et tamen ita sanctum erat Templum oculis Domini, ut in ultimo eius atrio vendentes eiecerit... quia *Domus Dei et Domus orationis...*

Quodsi Dominus illud Templum tam sanctum esse volebat, ob id solum quod destinatum erat cultui divino, quantam reverentiam exigunt Templa nostra, quae multo magis Domus Dei sunt?

Omitto consecrationem ab episcopo factam, praedicatum Verbum Dei, remissionem peccatorum, alia beneficia in eo homini collata... *Altaria* solum considerate...

Sacrificium.. miracula ineffabilia... ipse D. N. Iesus Christus victima et sacerdos... Eucharistia... effectus mirabiles...

Thronus Regis nostri, thronus gratiae et gloriae, ... *Dominus exercituum* ... *Rex Maiestatis* ... quem Angeli et Sancti adorant.

Non miror reverentiam maiorum nostrorum, ... S. Hieronymi, qui si vel invitus motus irae aliusve passionis sentiebat, Ecclesiam intrare non audebat; aliorum, qui intrantes se prosternere solebant; regum ... qui non nisi nudis pedibus, sine ullis insignibus ... At miror, nos, qui idem credamus neque tam sancti simus, saepe sine reverentia ...

Ipse conspectus Ecclesiae e longinquo praesentiam Domini in memoriam revocare deberet! ... At quot sunt, qui in proxima vicinia, sub ipsis Ecclesiae muris peccata cumulent... Unde hoc? Quia fides tepida, frigida, mortua ... Tandem aliquando ... Finem faciamus irreverentiis ...

Pars II. Nescitis, quia Templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?

Verba sunt Apostoli. Hoc Templum Christus Iesus aedificavit ... et consecravit, baptismo. Spiritus S. in eo ... ut in domicilio suo. Felices qui Eum conservant! Huius Templi *fundamentum* fides est; *muri* virtutes prudentiae, fortitudinis, temperantiae, iustitiae; *columnae* fiducia in Deo; deaurata *omnia* auro charitatis ... Ardeat in eo *ignis* sanctorum desideriorum, qui verbo Dei et oleo misericordiae sustentatur ... *Altare* humilitatis et adorationis ... *Honora animam tuam.*

Sed quot sunt, qui hoc Templum in se considerent? Quid factum est in nobis? ... Muri, columnae, ignis, altare, fundamentum ... Quibusdam totum in ruinam? ... Non iam anima eorum domus Dei sed daemonis ... In aliis daemon avaritiae, in aliis superbiae, in aliis multis voluptatis ... Ah fratres mei! *Domum Dei decet sanctitudo* ... Multi vestrum sacro missionis tempore Deo animam suam denuo consecrarunt ... Permansistisne fideles? ... *Domum Dei decet sanctitudo in longitudinem dierum.*

Conclusio. Ecclesia est vestrum asylum in ... vestrum solatium in ... Cor autem, anima ipsa decus vestrum est et felicitas. Sint ergo vobis curae ... Ita honorantes Templum tam visibile quam invisibile, intrabitis aliquando Templum Gloriae.

INSTRUCTIONES.

(Tempore Exercitiorum Spiritualium)

DOCTRINAE PRO STUDIOSIS

Potest alternis annis ita fieri, ut altero de confessione agatur, altero hae doctrinae explicentur, sed tum legatur de confessione fusius.

DOCTRINA PRIMA.

De tentationibus e concupiscentia carnis subeuntibus. Revocatur in memoriam prima meditatio... et fructus... Ad nihil aliud in mundo sumus... hoc maximum negotium, immo unicum... immo ab hoc nihil impedire potest nisi peccatum... Iam considerastis, quam magnum hoc sit malum... et adhuc magis considerabitis... Hostes nostri sunt diabolus (1), caro et mundus. Ipse diabolus non multum faciet sine carne et mundo. Itaque de carne.

I. Vitium carnis abominabile. In Apocalypsi sub figura bestiae cum decem cornibus, in qua meretrix in cuius manu calix aureus plenus abominationum... *Bestia* significat insensibilitatem ad res spirituales et sacras (vide de luxuria) ad violanda decem praecepta Dei. Primum, praeceptum, de amore Dei, frequentius violatur peccatis mortalibus, interdum saepius de die... Possunt et alia praecepta percurri, ad quorum violationem maledictum hoc vitium inducit... Cum spiritu luxuriae vere septem alii spiritus intrant, id est universalitas vitiorum. In iuvenibus praesertim: inoboedientia, pervicacia, durities cordis... Proximus gradus ad demissionem fidei ipsius. *Numquam perdes fidem, quamdiu eris castus:* hoc recordemini omnes. Nec dubitabitis umquam de fide, nisi prius... *Calix aureus:* verba blanda, iucundae societates, ioci, risus. *Plenus abominationum.*

Alia motiva ad cavendum. Facile peccatur... multipliciter... graviter... iactura irreparabilis... Nihil dicam de foedis morbis... Difficilis poenitentia.. difficilis emendatio... facilia et frequentia sacrilegia... obduratio... desperatio... Multi qui seipsos interfecerunt... Ultimis his annis aliquis, noster quondam discipulus... (nam etiam postquam a schola abieritis non abit a nobis cura et recordatio vestri) sibi ipse sclopeto mortem intulit... quamvis ex misericordia Dei aliquot etiam dies vixerit miserabiliter laniatus; sed saltem confessus est... Fortasse gratia concessa ob devotionem quam puer habuerat.

II. *Quaenam media?* Non possunt esse nimia. Si hoc vitium vitabis, facilius superabis alia; spero equidem omnes vos procul abesse ab isto vitio, utpote tali educatione fruentes tot mediis...

---

(1) De hoste salutis diabolo posset fieri separata instructio, ostendendo quam multum influat in nostras deceptiones dum stultos capit, et indicando principia diabolica, reddendo cautos et attentos ad cogitationes, quae principium habent a spiritu malo, tum ostendendo diabolum nil posse, non esse timendum, sed timendam nostram stultitam, quod fraudibus eius aures praebeamus et eius impulsus stulte sequamur . . .

Si adhuc mundi, vigilate et orate.

1°. *Vigilate.* Cavere... vitare... non fidere sibi: *si tibi fidis, peribis.* Custodire oculos, aures... fugere amicitias et familiaritates (pereunt iuvenes ut muscae circa candelam volantes primo e longinquo, postea proprius magis ac magis, donec tandem adurant sibi alas et pereant). Cavenda vitia quaedam, praesertim inoboedientia, superbia, otiositas; alia peccata cito hoc vitium inducunt, sic puniente Deo ut S. Paulus affirmat de ethnicis philosophis. In confessionibus ne minima quidem in hoc genere omittere.

2°. *Orate. Petite et accipietis.* Sine gratia Dei nemo manebit immunis... Constans devotio ad Dominum Iesum et ad SS. Cor Eius, ad B. V. Mariam, ad S. Angelum Custodem, S. Stanislaum, S. Aloysium.

Si tam infelix... terribilis status... Diabolus quasi obsessum tenet... Interea non est salus nisi vincas... *Mortificatio*... *Confessio* frequens apud stabilem confessarium... Nemo desperet... potuerunt isti et isti... Sed etiamsi maximi constaret, melius quam mitti in gehennam ignis, ubi maxime propter hoc peccatum...

Conclusio...

DOCTRINA SECUNDA.

De tentationibus e mundo provenientibus.

Quid hic intelligitur voce mundi... Iste mundus a Iesu Christo maledictus, excommunicatus, pro quo ne orare quidem dignatur, *non potest accipere Spiritum sanctum*...

Tria sunt in mundo.

1°. *Concupiscentia carnis* de qua iam dictum est... Id solum addam: innumera esse nunc incentiva... imagines... libros... colloquia... etc. O quam multi, olim angeli puri, facti sunt abominabiles, foedissimi.

2°. *Concupiscentia oculorum*... Cupido ditandi se... *Qui volunt divites fieri* (Vide: de Avaritia) In variis officiis et muneribus peccata ex cupiditate... ita mergunt sese semper profundius et non est salus nisi fiat restitutio. *Quid prodest homini?... Lapis de pariete clamabit... congregat contra se densum lutum.*

3°. *Superbia vitae*... Libertas... abicit iugum... religionem... sacramenta... Indifferentia vel etiam contemptus... libera principia... libri... societates (Ubi adsunt secretae societates et fraudes corruptorum, contra eas muniendi sunt... Si periculum perdendae fidei, monendi sunt de infelici exitu incredulorum, v. g. de Voltairei horrenda morte).

Quis vitabit omnes istos laqueos? humilis... *Vigilate et orate.* Contra pestem malorum exemplorum... nunc iam: *a*) Habere tales suspectos, quantumvis se fingant amicos... *b*) Fugere tales, nemo sibi fidat: *qui amat periculum*... Qui tractat picem inquinabitur ab ea... *c*) Si necessario cum talibus vivendum est: Stare firmiter nec tantillum recedere... Erit difficile initio, sed tandem victor evades... Orare ardenter Deum qui Loth inter pessimos cives, tres pueros in camino ignis servavit.

DOCTRINA TERTIA.

De eligendo vitae statu.

In omnibus rebus consulere mortem et iudicium oportet. Praecipue itaque in eligendo vitae statu, a quo dependet vita, a vita autem et mors et iudicium et aeternitas.

(Praeoccupatione uti quandoque necesse est; putant enim, cum loquamur de eligendo vitae statu, velle nos eos ad nostrum institutum attrahere. Protestandum est contra hanc opinionem, neque enim esse hominis sed Dei... Nec magnum fore obsequium, si quis ad religionem alliceret, ad quam Deus non vocavit).

I. *Quanti sit momenti.* Ipsi ethnici videbant absurdum esse, homines eligere, seu potius pati ea quae casus offerat... Quanto magis Christianus... Voluntas Dei, quies conscientiae, salus aeterna curam huius rei a nobis postulant.

1°. *Voluntas Dei.* Vocatio divina non solum ad vitam sanctiorem,... sed etiam in aliis statibus attendenda. Aliqui non possunt eligere statum, v. g. qui non sunt sui iuris; coguntur et eo ipso sunt in ordine divinae Providentiae. Sed iuvenes bene educati non caece agant.

Deus, sapiens paterfamilias, unicuique distribuit laborem... Mundus, magna domus... fabrica. Si non servatur ordo, fiet ut cum turri Babylonica... et quidem quo plures homines in una domo, in una fabrica, eo magis necessarius ordo... Quomodo igitur Deus esset indifferens.

2°. *Quies conscientiae.* Si molestiae et onera, solatium: sum in loco ubi me Deus voluit. *Similitudines.* Si venis in itinere in aliquam civitatem, non eligis hospitium, quod casus offert... emendae vestes, pileum, calcei, non emis quos casus offert... et tam stulte te geras in itinere *vitae?*

3°. *Salus.* Ubi pericula... semper gratiae necessariae. Num Deus dabit illi, qui... (Si dominus mittit servum in aliquam civitatem, dat pecuniae quantum satis est. Quodsi ille ulterius pergit, plus expendit, eius erit damnum).

Deus non mutabit ordinem suae providentiae iuxta nostram voluntatem. Ille Dominus et nos servi. Omnes status boni, sed non omnibus... S. Henricus volebat deponere coronam, sed prohibitus est ab episcopo. Deus volebat eum imperatorem... S. Nicolaus nolebat esse episcopus, Deus volebat... Canonicus quidam post mortem apparens amico haec dixit: si fuissem de numero praelatorum, essem de numero damnatorum. Exempla contemnentium vocationem ad statum sanctiorem. Ex Evangelio de iuvene... Qui cum vocatus a Christo tristis abiisset, Christus non conclusit: *o quam difficile est diviti* fieri perfectum, sed omnino *intrare in regnum caelorum*. S. Gregorius: Multi sunt qui nisi omnia deserant salvari non possunt.

Conclusio 1[ae] partis. *Unusquisque in quo vocati estis, sic ambuletis.*

II. *Quomodo agendum?*

1°. *Quid prodest homini.* Itaque non sequi motiva mundana... Hoc periculosum, etiamsi ad statum sanctiorem... Cogitandum de mediis vel periculis salutis... Sed quot ita faciunt? Cogitant solum... Si non vis salvare animam tuam, non indiges neque hac doctrina neque exercitiis...

2°. *Consulere,* quem?... Qui vult construere aedificium, non quaerit consilium a sutore, nec qui vestem vult facere a piscatore... Absurdum itaque quaerere consilium... qui nec de sua salute cogitant nec quidquam de re nostra intelligunt. Consilium petendum a prudentibus secundum Deum, praesertim a confessario.

3°. *Orare.* Ut cognoscas... et ut ad effectum perducas... Difficultates non excusant... Ad salutem actus heroici necessarii... in montem ascendere difficile, devolvi facillimum, sed et cervicem frangere... Vocat Deus ad altiora?... *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus... Non veni pacem mittere sed gladium*... Contemnis? vide ne contemnaris.

Conclusio: Unusquisque studeat vita bona et diligentia in studiis aptum se reddere ad ea, quae Deus intendit, nec ipse Dei intentiones impediat.

DOCTRINA QUARTA.

De confessione in genere.

In futurum tempus timendum ne, ut passim faciunt, 1°. raro confiteantur, 2°. sine praeparatione, 3°. eligant sibi confessarios, qui vel nesciant vel non curent.

Nunc monendi praesertim de humilitate necessaria in eligendo confessario... in audiendis monitis...

Malis difficilis est dolor ... Bonis difficilis confessio culpae, si quid accidit... Persuadet diabolus ut reticeant: *hoc nihil est, haec parva res est*... at quare minora dicis?

Insistendum praesertim integritati confessionis... necessitati veri doloris et propositi.

Aliquid pro illis, qui vivunt in habitu...

DOCTRINA QUINTA.

De sancto Timore.

I. *Quis habet timendum?*

Omnes, et ego et vos.

II. *Quis damnabitur?* Multi... Christus Iesus... S. Chrysostomus: Si dimidium, esset terribile... Ceterum nemo sine culpa sua... Alii ad omnia insensibiles... alii facient nunc bonam confessionem, sed postea... brevi... alii diutius... sed tamen... O quam multos novimus qui quondam pii... Ex vobis post unum aut alterum annum quam multi erunt mutati concupiscentia carnis et oculorum et superbia vitae... Multi in inferno, qui sicut vos, exercitia fecerunt et sodales fuerunt et meliores et ferventiores, et tamen... Lata est via... iuxta cursum fluminis... ceterum corruptio multorum confirmat veritatem Evangelii... sed nemo sine sua culpa...

III. *Quid maxime timendum?*

Praesertim peccatum habituale... A parvis incipitur... Insusurrat diabolus: *hoc nihil est,* et stultus iuvenis libenter credit... ut sequatur genium suum... Commendandum examen particulare ad exstirpandam malam consuetudinem, vitium quod gravius videtur, vel de quo saepius admoneris.

IV. *Quae via insidiosa ad infernum?*

Via iucunda, in qua religio ut merae caeremoniae, festa ad recreationem... nulla voluntati vis infertur: *est via quae videtur homini recta, sed novissima eius ducunt ad mortem.* Mereri caelum necesse est... ergo si difficultates, generosa victoria. *Regnum caelorum vim patitur....*

V. *Quaenam praecipua media?*

Deus vult salvare, tantum fecit et facit adhuc... Media: *vigilate et orate.* 1°. Quotidie orandum: *Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire!* 2°. Examen conscientiae quotidianum... dictum S^ae^ Theresiae de hac re. 3°. Devotio ad SS. Corda Iesu et Mariae *constans.*

Si media non vultis adhibere quomodo verum est vos velle salvari? In caelum evolare non est possibile, necesse est quotidianis actionibus, devotionibus quasi per gradus ascendere: « *qui creavit te sine te, non salvabit te sine te* ».

Conclusio.

MEDITATIONES ET INSTRUCTIONES PRO SS. MISSIONIBUS.

Iussu R. P. Nicolai Godinot, Vice Provinciae Helvetiae Praepositi, Servus Dei anno 1822 viam et rationem, quam in sacris Missionibus tenebat, litteris mandavit. Quem postea codicem Missionarii S. I. in Helvetia, Italia Septentrionali, Gallia, Galicia, Germania, Belgio, Neerlandia, tamquam ducem sequi solebant. Liber, cui titulus Meditationes et Instructiones compendiosae pro SS. Missionibus, a. 1879 Woodstock in lucem editus est.

Manuscriptum non iam superest.

MEDITATIONES

INSTRUCTIO PRAEPARATORIA

Ingressus potest vario modo fieri, pro circumstantiis temporis, loci, auditorum etc. Textus potest esse ex. gr. *Haec dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro;* vel: *Legatione pro Christo fungimur, tamquam Deo exhortante per nos... Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo;* vel simpliciter: *In nomine Patris et Filii etc....* non alium sumendo textum quam signum crucis, et haec verba, quae et contionanti fiduciam loquendi ingerunt, et populo necessitatem et utilitatem audiendi.

Ioel 2, 12
2 Cor. 5, 20.

Utile est contionantem in ipso ingressu dicere se, si se ipse respiceret, oportere potius ad pedes Crucifixi suorum veniam peccatorum exorare, sed cum Deo volente debeat alios ad poenitentiam exhortari, eius fretum auxilio et in peccatores misericordia, rem tantam auspicari etc...

I. SCOPUS MISSIONIS.

Num ut nova afferamus?... Nonnisi vetera, quae a multis annis prophetae, Christus, apostoli etc. praedicarunt. Quamquam fors multis, eheu,... nova vere... Num ut caput vestrum turbemus?... Immo ut rectificemus iudicia vestra... Num ut constristemus? Immo ut verum gaudium afferamus, pacata conscientia... O quantum erit gaudium!... Quamquam utique contristabimus primum, sed tristitia ad salutem, in qua lacrimae omni voluptate erunt dulciores... Num ut aliquot dies pietati... dentur? Ita... dedimus corpori menses et annos, demus animae dies, horas aliquot. Si non semper saltem saepe; si non saepe, saltem semel... S. Bernardus... Non tamen, ut solum aliquot dies pietati dentur, quamvis et hoc optimum; sed ut tota vita compo-

natur, ut totum salutis negotium ordinetur... Non ergo aliquot dierum negotium agitur, sed totius vitae, immo aeternitatis.

Quid vobis videtur? Parumne utile? Venite tantum. 1. *Ut intellectus illustretur,...* Sumus in tenebris... vivimus quasi in domo fumo plena, ut dicere solebat S. Petrus Apostolus, ambulamus quasi in nebula, in qua nec nos ipsos bene videmus, nec quae circa nos sunt, nec viam, qua incedimus... nec praecipitia... Fides lumen... sed dum non cogitatur, est quasi fax exstincta. Hinc licet peccatum tantum sit malum, tamen tot et tot illud *tamquam aquam* bibunt... licet status peccatoris... tamen ridet et iocatur... licet morientes
Deut. 32, 29 et mortuos videat, tamen... *Utinam saperent et intelligerent...* Propterea dilatavit infernus etc.... *quia nemo est, qui reco-*
Ier. 12, 11. *gitet corde.* Vivunt quasi nihil credant, nihil sciant, errabundi circumstant, eunt, veniunt, ludunt, donec prolapsi errorem sero cognoscant.

Quid vobis videtur? Eheu! intellectus est pro rebus terrenis, sed parum pro spiritualibus... Venite tantum, et cognoscetis, quid sit aeternum salvari, quid sit peccare, quid sit mors...

Si haec terribilia et tristia cogitatu, tanto magis necesse est, ne quando terribilius et tristius sit experiri... Discetis non solum quid sint ista, sed quomodo evadere possitis... Venite; velletisne, ut noctuae, lucem fugere?... *Nolunt in-*
Ps. 35, 4. *telligere, ut bene agerent?*... Vae! qui ignorat, ignorabitur...

2. *Ut voluntas excitetur*... Frigus, tepiditas,... iacemus, haeremus, amamus horrenda, horremus amanda... Veritates aeternae sunt ut granum sinapis, quod si totum deglutitur, nullam vim exserit; si masticetur, immo lacrimas exprimit:
Ps. 38, 4. *In meditatione exardescit ignis*... Venite ergo peccatores, iusti... O! omnes conversione indigent! *Converte nos Deus*
Ps. 84, 5. *salutaris noster*... Hoc etiam sanctissimi debent... (Ad pueros) Sunt ea tempora, quibus iam puerorum plurimi vere peccatores sunt, et conversione indigent.

3. *Ut conciliemini Deo*... Confessio bona... O quantum bonum, quanta securitas!... Exemplum officialis qui triginta sex annos servierat regi Galliae Ludovico XV., et post conf. gener. dicebat: *Se per tot annos numquam ita fuisse contentum... se feliciorem putare quam regem suum in omni sua gloria*... (in vita P. Bridaine). Ut bona fiat, non facienda nisi post... Habitus malus exstirpetur... Tum poterit dicere in morte: iam post illam Missionem non amplius... Nemo desperet de se... Miraculo opus est? sed talia miracula Deus saepe in Missione (Exercitiis) facere solet. Si nollet Deus, mi peccator, iam non esses hic!... Scandala tollantur... in

domibus... in locis publicis,... in tabernis;... ut haec novam induant faciem. Zelus excitetur, ne quisquam dicat post haec: quid ad me?... Uno verbo... conversio... emendatio... confirmatio in bono... assecuratio gratiae Dei et salutis aeternae... Venite solum...

II. MODUS MISSIONIS.

Venite... Audite... Silete... Orate...

1. *Venite,* ad omnes contiones; fors uni alligatae sunt gratiae primae necessitatis.

2. *Audite.* Et cur tandem veniremus, nisi ad audiendum? Sed est modus audiendi; audite ut verbum Dei *(pro Christo legatione fungimur),* veritates ex quibus nos praedicatores ipsi iudicabimur. Si nostra dicimus, liberum est credere, sequi vel non; sed si non nostra, verba autem Dei, doctrinam Christi ore praedicatam, eius exemplis et miraculis firmatam, eius sanguine subscriptam, eius morte obsignatam... iam non potestis sine vestro damno... Cogitate ergo... In nomine Patris... etc... dicite... audite ergo attente,... devote,... cum reverentia, applicata ad te non ad alios... alioquin iuvat ut medicina quam aegrotus ipse non sumit... *Tu es ille vir!*... Ceterum si quid ad te non pertineat, cum ad omnes dicatur, gratias age, quod nondum indigeas; ora ut numquam indigeas postea, ac pro aliis.

2 Cor. 5, 20.

2 Reg. 12, 7.

3. *Silete,* a negotiis... a sociis... a colloquiis... *fuge, tace, quiesce* (S. Arsenius). Cubiculum calidum, si porta aperta est, mox frigescit... Vinum, si vas non est clausum, acescit et gustum et nomen ipsum vini amittit.

4. *Orate.* Nihil iuvabunt omnia, nisi hic Deus... Opus est misericordiae... Hanc impendet... sed vult rogari. Orate, parentes, ne fructus ventris vestri pereat... Orate, liberi, pro parentibus vestris,... Orate etiam in via: *miserere mei Deus!... Virgo Maria!...*

CONCLUSIO.

Ergo *hortamur vos, ne in vacuum etc.... Ecce tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis...* *2 Cor. 6, 1.*

Ultima gratia pro multis... in vacuum recipere periculosum est... Verbum Dei non medicina, quae si non prosit, non obsit!... *Non revertetur ad me vacuum... Ut iustificeris in sermonibus tuis.*

Is. 55, 11
Ps. 50, 6.

Terribilis cogitatio! Usque ad lacrimas, commovebatur missionarius quidam (P. Bridaine) ante missiones, quia ad

resurrectionem quidem multorum, sed etiam ad ruinam multorum, etiam eorum, qui volunt venire...

Saepe fit, *ut qui iustus est, iustificetur adhuc... et qui*
Ap. 22, 11. *in sordibus est, sordescat adhuc...*

Ah! Christiani, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est,... in vobis crucifixus!... Oratio ad Crucifixum pro auditoribus, pro se ne sua peccata impediant,... potius omni alia poena vindicetur!...

MEDITATIO I.

DE FINE HOMINIS.

Ingressus. Cogitemus, ut est revera, Deum illum maiestatis, qui in caelo in throno gloriae suae ab omnibus angelis et sanctis humillime adoratur: *Sanctus, Sanctus*... hunc Deum de throno suo nos respicere, et ita de unoquoque nostrum cogitare, ac si nemo alius in mundo viveret,... illum intueri intima cordis nostri, immo peccata nostra omnia,... hic actu praesentem adesse... Adoremus et petamus.

Oratio aliqua, ut bene cognoscamus ad quid simus in mundo, et videntes quid facere debeamus, prompta voluntate in posterum id exsequamur.

Ad quid sumus in mundo?

Quivis etiam parvulus scit: *creatus est homo in hunc finem, ut Dominum Deum etc.*... N. B. Omnes ad hoc... Non dominus ad... rusticus ad... dives ad divitias... pauper ad miserias... non, sed omnes ad hoc etc... (Psalm. 38. pulcherrima in hoc argumento habet).

(In hac meditatione fundamentali possunt vitia in populo dominantia ingeri: an ergo ad hoc te Deus creavit?)...

Non unus vestrum sibi varia fingit, et proponit, ut postea vivat libere... iucunde... dives... honoratus... in commodis omnibus etc... Pulchra spes!... Ponamus ita succedere, ut nunc fingis, quamquam hoc rarissimum,... sed ponamus. te ita felicem fore... Ast num ad hoc es in mundo? ut edas? ut bibas? sed hoc possunt etiam bruta, tu habes intellectum... Ut divitias, honores... acquiras? Sed haec transitoria... omnia ut fumus, ut aqua in flumine, ut somnium iucundum, postea quid?... tu habes animas immortalem... Ergo ipsa ratio docet... Quid vero fides?... Omnes igitur ad hoc unice etc.... Scitis ab infantia... sed considerate diligenter, quae sint motiva, ut hoc, ad quod sumus in mundo, sectemur:

1. Iubet aequitas, 2. suadet utilitas, 3. cogit necessitas. (Ad communem auditorem de aequitate breviter, de utilitate fuse, de necessitate vehementer).

1. *Aequitas.*

Quid eras ante... annos? Deus te eduxit e nihilo. *Ipse fecit nos, et non ipsi nos*... Deus etiam conservat... sine illo nihil agere potes, nihil habes, nihil es... Ergo unusquisque vestrum totus Dei est, totus est semper... ut opus ad opificem pertinet ad Deum... Ergo omnes actiones, verba, affectiones, anni, menses, dies, horae, momenta omnia ad Deum... saltem ut illum non offendas, secus intolerabilis... *Ps. 99, 3.*

1. *Iniustitia.* Rex miserum aliquem rusticum extollit ad dignitatem principis, attribuit terras, opes, exercitum, arma, ea conditione, ut certis temporibus certum honoris tributum persolvat. Si iam iste homo non persolvit, sed cum hostibus regni conspirat, nonne iniustitia intolerabilis?

2. *Ingratitudo.* Quis tibi istam linguam, oculos, aures, manus, pedes? Quis intellectum, memoriam, voluntatem liberam dedit? An ergo non gratitudo exigit, ut lingua ista Deum laudet etc.... Si linguam aliquo casu vel morbo perdidisses, et Iesus Christus de caelo apparens loquelam per miraculum restituisset, hanc legem imponens, ut lingua numquam utaris ad... Si tu ita sanatus benefactorem tuum ista lingua blasphemares? Nonne esses monstrum ingratitudinis? Et nunc quid facis dum peccas? O quale est monstrum iniustitiae et ingratitudinis, si... *O Domine Deus meus, ego servus tuus et filius ancillae tuae,* et quomodo ita vivere potui, quasi ipse mihi Deus essem, nec Dominum te agnoscerem? Quomodo potui meam solum voluntatem, o quam malam et probrosam, sequi, et tuam negligere? Iniquitatem meam cognosco, et detestor ingratitudinem et iniustitiam... *Ps. 115, 16.*

2. *Utilitas.*

Facere voluntatem Dei cum bono nostro coniunctum. *Beatus es... et bene tibi erit*... Ut nihil Deus propterea fecit, ita nec hominen, unum ex praestantissimis operibus manuum suarum fecit ad hoc, ut miser esset. Si nunc miseri sumus, sumus quare? Adam perdidit se et nos... Paradisus perditus est, et frustra vellemus eum hic quaerere... Tamen non omnino abiecit Deus hominem, dat adhuc modum, quo possis ipsum laudare, eique servire... Hoc qui facit, beatus est in hac vita, quantum potest, et erit profecto in altera vita. *Ps. 127, 2.*

1. *In hac vita....* Time Deum et mandata eius serva, hoc est enim omnis homo. Frustra quaeres alibi requiem; bona terrena possunt aliquantisper distrahere, satiare non possunt. Fecisti nos ad te... S. Augustinus. Aviculam si includas cavea aurea, piscis si ponatur in lecto aureo, bovi si apponas carnes delicatissimas... quid? Non est ipsorum natura. Ita etiam homo... Ex propria experientia: omnia clamant... Non sum ego natus ut... Diabolus varia bona proponit, et dicit: Felix,
Ps. 38, 6. si... sed mentitur. David rex potentissimus: *Universa vanitas omnis homo vivens... Filii hominum, ut quid diligitis
Ps. 4, 3. vanitatem et quaeritis mendacium?...* Salomon: *Afflctio spi-
Ec. 1, 14. ritus...* Time Deum, disce ubi sit pax, ubi iucunditas. O mi Deus! quam saepe hoc expertus es? Quid tibi superest ex istis voluptatibus, ex illa libidine?... Quid tibi contra... quando aliquid boni fecisti propter Deum, quanta dulcedo? Norunt illi qui Deo serviunt. Nemo scit, nisi qui accipit, ut dulcedo mellis non potest verbis explicari, gustare necesse est.

2. *In altera vita....* Quam certum est nunc te esse in mundo, tam certum est, te postea futurum in caelo, si nunc Deum laudes... Nam ad hoc creatus es. (O mi Deus, quam dulcis cogitatio: post... ero in caelo). *Beatus, quem elegisti et as
Ps. 64, 5. sumpsisti, inhabitabit in atriis tuis...* Sed quid hoc: esse in caelo?

a) *Felicitas animae.* Comprehendere tam impossibile est, quam exhaurire maria. Etiam si mille annos cogitares, etc.... Ut Deus incomprehensibilis est, ita est ista felicitas... Desideria cordis humani sunt insatiabilia, tantum in caelo plena:
Ps. 16, 15. *satiabor cum apparuerit gloria tua.* Ipsum primum momentum, quo anima intrat in caelum, ita illam reddet beatam, ut mille anni dolorum nihil videantur. *Non sunt condignae pas-
Rom. 8, 18. siones huius temporis... Super pauca fuisti fidelis...* Dae-
Mth. 25, 21. mones non semel per energumenos professi sunt, se libenter passuros sua tormenta millies magis intenta, si unico momento benignam Dei faciem liceret intueri. Si damnati semel singulis mille annis possent... infernus non esset amplius infernus.

1 Cor. 2, 9. *b*) *Felicitas corporis.* Etiam ineffabilis... *Nec oculus vidit...* Quisque ibi rex... Saul, David, quod facti erant reges, non magis corpore valebant. Sed quid ista? Hic in terris omnia bona tantum sunt quasi picta. Vita, sanitas, divitiae, gloriae, deliciae non verae, sed quasi pictae imagines vitae...
Ps. 38, 7. *In imagine pertransit homo... praeterit figura huius mundi.*
1. Cor. 7, 31. In caelo vera gloria: *gloria et divitiae in domo eius...*

c) *In aeternum.* In mundo quam brevis omnis felicitas!
Ps. 111, 3. Ante annos... tot monarchae, qui quasi dii terreni... quid nunc sunt? Si non servierunt Deo, dicunt nunc: quid profuit? Sunt et nunc reges, imperatores, quid erunt post... Non talis est felicitas, quae et in caelo manet, si... Ibi aeterna... sem-

per... sine fine... Ideo S. Franciscus Assisi: Leve omne onus quod fero propter bonum quod spero. Ideo martyres... Ideo Christus ipse...

O quam ergo insanus es si negligas... si propter bona terrestria... propter... Deum perdis. Stercus sunt ista omnia... indigna, quae tu heres caeli secteris. Filius magni regis pugnat cum plebeculae infantulo de frustro vitrii, de asse... Dic cum S. Aloysio: quid hoc ad vitam aeternam?... Es pauper, ne invideas diviti; ne dicas: quam felix! Quid hoc ad... Paupertas non nocebit, immo proderit... Christus dicit: *Pauper sum ego, et in laboribus a iuventute mea*... Es dives... Non extollaris... Quid... ad... *Vae vobis divitibus*... hoc tibi profunde insculpe.. Et si pauper fuero gratiam Dei habens, dives ero; mecum est regnum caelorum... Dives, si non in gratia Dei sum, miserrimus: quid hoc ad...

Ps. 87, 16.
Luc. 6, 24.

3. *Necessitas.*

Omnino necesse est, ut Deum laudes... Nam si non, vae!.. horrendum vae!.. In caelum non ibis, quo ergo?... Deus infinite bonus in caelo remuneratur, iustus in inferno punit. Vide, Deus finem assequetur... sed tibi liberum reliquit utrum eligas... Laudabis Deum necessario in aeternum, vel in caelo, vel in inferno, si... In caelo laudabis eius bonitatem; si contra, praedicabis eius iustitiam in inferno. Imaginare tibi modo caelum supra te oriri... Ecce hic sancti angeli Dei, purissimis deliciis... tum vide sub pedibus aperiri infernum... Ecce hic damnati cum draconibus... Iam dic: en unum ex his duobus necessario mihi continget, medium non est. Mea anima vel cum angelis, vel cum diabolis. Meum corpus suo tempore vel erit ornamentum caeli vel monstrum inferni... haec manus mea, hi pedes, hi oculi, vel, vel...

An ergo non est insania extrema, vivere sine cura tanti negotii? Rem tantam quasi casui committere? Sed casui non committes; quod mereris, hoc tibi continget; quod tibi eligis, hoc habebis... Ne putes te posse vivere pro inferno et mori pro caelo, hoc nimis periculosum... non succedit... Illud vero certum: si non fias salvus, damnaberis.

Proice te in genua et dic tecum ipse:

O mi Deus, an ego salvus fiam? Terribilis quaestio! sed an fiam salvus? Sancti tremebant... S. Augustinus: Vae mihi misero nescio finem meum! nescio, tremens et pavens mortem exspecto, iram iudicis timeo, ne pro peccatis meis me mittat in gehennam.

Et quid ego? O mi Deus! an fiam salvus? nescio... Sed hoc scio me necessario debere salvum fieri. Si vero in hac

vita non laudem, non reverear Deum meum illique non serviam... Et quomodo possum hoc ego oblivisci, et tantum somniare de pecuniis, de honore, de iucunda vita?... Hoc scio etiam, nam tua est doctrina, Iesu Christe, viam ad caelum esse arctam et molestam... non obtineri caelum per liberam
Luc. 14, 27. vitam... per... per... *Qui non baiulat crucem suam, non*
Mth. 11, 12. *est me dignus. Regnum caelorum vim patitur.*

O mi Deus, quasi ad hoc... heu! quid haberem sperandum? Ah!... mi Deus, doleo iam... O quam male tantam vitae partem... tui oblitus sum et finis mei, itaque me periculo exposui; iam ex hoc momento recordabor... *Quid pro-*
Mth. 16, 26. *derit mihi si mundum universum...*

Haec tua verba sunt, Iesu Christe, per sanguinem, per cor tuum sacratissimum oro... Quid prodest mihi quod me creaveris, redemeris, sanctificaveris, si tandem...

O Mater misericordiae! tu sub cruce testis fuisti, quanti constiterit mea salus...

MEDITATIO II.

DE PECCATO.

Ex poena Angelorum et Protoparentum.

Ingressus. Considerato iam fine ob quem... debemus iam nunc... quid nos a fine isto avertat... Nihil potest impedire, quominus Deum laudemus... etc.... nisi unum aliquod. Non paupertas, non contemptus, non morbi, non mors ipsa, unum solum, id est peccatum.

Peccatum solum est, per quod nec Deum laudare, nec salutem nostram assequi possumus. Hoc ergo monstrum necesse est bene cognoscere, quam horribile sit, quam perniciosum, ut ab eo quasi a facie colubri fugiamus.

Quid est igitur peccatum?

Est malum horrendum, incomprehensibile. Cognoscet veritatem huius responsi tantum... qui sentit se reum peccatorum multorum, se constituat coram Deo tamquam malefactorem, catenis vinctum, exspectantem iudicis sententiam... Interea vide quam iustitiam Deus exerceat in puniendis angelis et primis parentibus. Hi e paradiso eiecti, illi ut fulmen de caelo praecipitati... et vide quid tibi pro peccatis tuis sit exspectandum nisi... Oratio ut cognoscamus quid sit peccatum... ut doleamus et in posterum...

Sedete modeste et audite.

1. *Peccatum est malum horrendum, incomprehensibile; ostendit hoc poena angelorum*... Revocemus hic in mentem ea quae docet fides de angelis reprobis, quos nunc daemones vocamus... Creati in statu felicissimo... Pulchritudo, potentia, sapientia, sine dolore, sine tristitia, habitatio eorum, dona supernaturalia... Cognitio Dei... amor Dei, promissio Dei fore ut brevi... sed peccavere, sola cogitatione, et statim Deus punivit: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum proiecit aeternum cruciandos.* O Deus!... Sed qualis haec poena?... O quam merito Christus dicit: *Pater iuste, mundus te non cognovit.* Solum bonum, misericordem volunt cognoscere, iustum nolunt; et tamen iustus etiam est Deus... Qualis ergo poena angelorum?

2. Pet. 2, 4.

Io. 17, 25.

a) *Spoliavit eos omnibus bonis.* Ex pulcherrimis facti sunt... ex filiis Dei... ex caelo sicut fulgur.

b) *Immersit eos in omnes miserias.* In inferno patiuntur... memoria, perturbatio in intellectu, desperatio... Creaturae sunt, quae nihil amare iam possunt (ut aliquando daemon ipse dixit)... *Ignibus uruntur ipsi spiritus miris modis sed veris.* (S. Augustinus).

c) *Poena sine remedio.* Ardebant iam miseri quatuor mille annos quando Christus venit. Quam terribilis haec tot annorum poenitentia! Sed quid? finis, remedium non est. Ille Iesus qui super impiam Ierusalem tantum lacrimarum fudit, nec unicam pro daemonibus fudit. Ille Iesus qui pro crucifigentibus,... pro daemonibus nec unicum gemitum. Peccatum duravit momentum, poena duravit iam... durabit... Sistamus hic paulisper... Ecce infernus sub pedibus nostris apertus... Quid videmus?... En monstra... habitatio... tormenta... Quid erant quondam ista monstra?... Spiritus nobilissimi, pulcherrimi, filii Dei, opus eximium eius onnipotentiae, ornamenta caeli. Quid ergo fecere? Una cogitatio, uno momento admissa, una inoboedientia, unum peccatum, et pro hoc uno peccato, sola cogitatione et voluntate, semel, unico momento commisso, ardent iam per sex millia annorum, et ardebunt etiam postquam totus mundus igne combustus erit, et omnes generationes exstinctae. Quis tale edictum edidit in eos? Deus... ergo vel Deus non est infinite iustus, non infinite bonus, non amat suas creaturas... absit! vel peccatum est horrendum, incomprehensibile malum.

O Deus! qualis terror! Si angelis peccantibus non pepercit, sed... quid tecum erit, peccator? Principes caeli... et tu vermis sordidus... illi semel... non viderant exempla

vindictae... non conculcaverunt sanguinem Christi... non post obtentam veniam... Ah! videte quid sit peccatum; quod tamen tam facile, per risum, committitis, et dicitis, nihil est peccatum, nihil est.

2. *Peccatum est malum horrendum, incomprehensibile; ostendit poena protoparentum*... O quam erant illi felices!... Habitatio... Paradisus, ubi nec aestus... nec... ver perpetuum, amoenum, sine labore fructus... Dominatus in omnia animalia... Quoad corpus: sanitas, sine dolore, non noverant morbum, non obnoxii morti, semper in flore iuventae permansuri; quoad animam: sine tristitia, sine timore, sine sollicitudine, sine ira, sine odio, sine afflictione ulla; perfecti, contenti, cognitio Dei, amor, promissum fore ut sine morte... Sed etiam ipsi peccarunt, comederunt semel ex uno fructu vetito, et statim punivit Deus... et hic iterum, quali poena!

a) *Pro uno peccato felicitatem perdiderunt,* terra maledicta sine sudore vultus non profert nisi... Corpus infelix; anima infelix in intellectu, in voluntate, remorsus, tristitia; expulsi e paradiso in hanc lacrimarum vallem, poenitentiam egerunt nongentos annos... et deinde...

b) *Pro unico peccato, tota posteritas*... Quot milliones hominum vixerunt... ex tam multis nullus qui non mortem amaram, fames, pestilentias, bella, (horrores belli, ex. gr., in campo pugnae)... Quantum lacrimarum, tot miseri, in doloribus,... omnia haec effectus peccati Adami.

c) *Pro unico peccato, omnes infantes non baptizati*...

d) *Ob hoc peccatum longe maxima pars adultorum* non modo omnium in massa, sed ipsorum etiam fidelium ruunt in infernum... Quicumque damnatur ob indomitas passiones, vel superbiae, vel avaritiae, vel maxime luxuriae... et passiones effectus primi peccati.

e) *Ob hoc unicum peccatum Iesus Christus pati et mori debuit.* O miraculum divinae iustitiae! Iesus Christus innocentia et sanctitas ipsa... Deus condemnatur a Patre suo ad mortem. Petit liberari: *Pater si possibile est*.. non est possibile, vindicta sumenda est, aspicite Iesum in cruce ob hoc unicum peccatum Adami.

Mth. 26, 39.

Non obstante hac tali morte Filii sui, non cessat Pater punire hoc peccatum Adami in nobis, miseris eius posteris. Paradisus perditus est, et nos infelices erramus in hac valle lacrimarum; vita plena amaritudine et tristitia et afflictione ab ipsa pueritia... mors plena horrore, salus incerta, et ad caelum nonnisi per lacrimas, per afflictiones, per poenitentias.

Quaeritis quis talem poenam pro tali culpa inflixerit? Deus! Ergo iterum vel... vel... Deus bone! quid est peccatum? quis hoc comprehendat? Si videremus principem ali-

quem filium suum olim dilectissimum ad mortem crudelem vel ad carcerem perpetuum damnare, et insuper totam eius posteritatem... diceremus: vel iste princeps est tirannus, vel filius iste horrenda scelera... Ecce Deus non est tirannus (absit vel cogitare), est pater amantissimus; ergo peccatum debet esse horrendum et incomprehensibile malum.

O peccator, quanta tibi causa tremendi! Angeli, genus hu manum, multi milliones hominum in inferno... Filius Dei in cruce ex decreto Patris caelestis... Et haec omnia ob peccatum, et proprie ob unum peccatum, ob violationem divini praecepti in una re, per se, ut videtur, non adeo gravi. Proditores ergo sunt qui dicunt: nihil hoc! nugae! O mendaces! O falsi! O quam aliter Deus et homines!

Provoluti in genua ante Deum cum tremore faciamus hic brevem reflexionem super nos ipsos: ...

a) Si unum peccatum tam abominabile est Deo, quid debet esse anima tua, o peccator? Si semel peccasti, peccasti toties quoties diaboli peccarunt; si semel peccasti, tam abominabilis es quam unus diabolus; si centies, ut centum diaboli. Si unum peccatum habes in anima, odit te Deus ut unum diabolum; si centum, ut centum daemones.

b) Si unum peccatum meretur infernum, o quantas Deo gratias debes! Si semel peccasti, es tam dignus inferno quam quisque diabolus; si saepius, magis dignus inferno; quare vero non es tu ibi?

c) Si Deus unum peccatum tam horribiliter punivit in angelis et hominibus, quantum tu timere debes! Tot angeli pro un peccato sine remedio... Si tu etiam semel peccares...

O Deus meus, o horrendum momentum quo primum peccavi! O si numquam fuisset illa hora! O utinam in terra primo computruissem! O Deus si tunc mecum ita egisses ut cum angelis, iam essem in inferno... et si nunc etiam vel semel peccarem...

Nunc cognosco quid sit peccatum; ex poena angelorum et protoparentum, ex passione Christi, agnosco peccatum esse horrendum.

O mi Iesu, miserere, remitte; *quae utilitas in sanguine* *Ps. 29, 10.*
tuo, si... sed non vis mortem peccatoris, vis ut in vulnera tua defigam oculos... O Iesu, non audeo oculos attollere... Nunc ad pedes tuos imploro misericordiam tuam; iam nunc malo in accensum rogum... hae enim, dummodo me a peccato praeserves, gratiae erunt et miserationes; da vitam qualem tibi placet... felicem vel infelicem, in divitiis vel in paupertate, dummodo a peccato...

O Mater Dei, passa es cum Filio tuo, et per dolores cordis tui, etc....

MEDITATIO III.

DE PECCATIS PROPRIIS.

Ingressus. Aliqua recapitulatio brevis eorum, quae de peccato iam dicta. Nunc iterum considerabimus, quid sit peccatum... Cogitemus ergo viva fide, Deum nos respicere, qui penetret intima cordis nostri, et omnia peccata ad unum perspecta habeat... cum pudore et tremore... ut staret coram monarcha proditor, convictus de crimine laesae maiestatis, catenis ligatus, et sententiam exspectans.

Provoluti in genua... gratiam agnoscendi malitiam peccatorum nostrorum efflagitemus, ut detestemur... ut de praeteritis sinceram agamus poenitentiam... ut in posterum diligentius vitemus... Sedete modeste...

Quid est peccatum?

Est offensa Dei, et maxima hominis miseria.

I. *Peccatum est offensa Dei*... cito dicitur... cito committitur... Sed an bene umquam perpendistis qualis offensa Dei sit peccatum?... O si semel perfecte intelligeres!... Deus iubet... homo negligit... Deus vetat... homo tamen... hoc est peccatum. Est ergo offensa Dei, est contemptus Dei. (Peccator dicitur contemnere Deum in Sacris Scripturis non solum de contumacibus, sed maxime de iis qui ex fragilitate, ex. gr. David...) Sed qualis contemptus? Pater filium iubet... et filius... est contemptus patris... Dominus servum iubet... et servus... est contemptus, offensa domini... bene hoc intelligis... ipse si servum haberes, et ille... quid si filius coram patre... servus inspectante domino?... Ecce Deus Dominus dedit mandata... nosti quae... quid praecipiat... quid vetet... nosti... cum tentatio animam pulsat, cor tibi dicit... sub poena perdendae gratiae et amicitiae illius... Scio, dicis, Deum hoc nolle, sed ego volo. *Quis est Dominus, ut audiam*
Ex. 5, 2. *Ier. 2, 20.* *vocem eius? Confregisti iugum meum*... Et tu quis es, et quis Deus?...

1. *Deus infinita bonitas.* Maximus terrae monarcha comparatus uni angelo chori infimi, quid est? Minor est... Angelus vero quid comparatus Deo?... Omnes angeli simul
Is. 40, 17. nihil: *quasi nihilum et inane reputata sunt omnia*...Tu vero quid fuisti? quid es?... eris?... Fuisti... nunc... quoad corpus, es saccus stercorum, etsi illud ornes, tamen non nisi sordes... brevi, vermes... quoad animam, nihil boni ex te... ignorantia et stultitia... malitia... et talis cum esses, ausus es contra Deum agere... Aspice in caelum! Ecce hic Deus

sedet in maiestate, innumerabilis exercitus angelorum et sanctorum laudat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus;* et videntes se digne non posse laudare eius sanctitatem, velant facies suas;... interea homo, velut turpis aliqua rana e luto suum erigit caput... ego non curo te, nec mandata, nec minas, nec promissa tua...

O Deus! O angeli! O sancti!... quomodo potuistis... (Applicatio verbi quod dicebant servi David, cum Semei ei malediceret: *quare maledicit hic canis mortuus Domino meo regi?*) *2. Reg. 16, 9*

2. *Deus supremus benefactor*... quid habes quod non a Deo?... Totus... es donum Dei et misericordiae eius... quot capillos geris in capite... toties te ille... quovis momento... quod vivis, quod sanus es... quod non caecus es... et haec nonnisi particula beneficiorum eius... Ubi eras ante quinque mille annos?... et tamen iam tum creabat caelum pro te Deus... et in illo pulcherrimo palatio, cum illud conderet, iam destinabat locum pro te... Ante annos... ubi eras? et iam tum Deus in cruce pro te... et tu talem benefactorem... in eius exsistens, abutens ad eius offensam et contemptum ipsius donis... illis manibus... oculis... illa lingua... illa voluntate...

3. *Deus supremus Dominus tuus*... An vero non semper es in eius potestate? *In manibus eius sortes meae*... in manu eius omnes nos... ab illo pendet et vita et mors tua... ab illo omnes successiones et actiones tuae... ille potest permittere ut tegula ex alto decidens caput diffringat... ut in aquis... in igne... ut a latronibus... a fera... ut canis rabidus... ut te hac nocte daemon, cui per peccatum servis... suffocet... et tu tamen, cum totus a Deo... offendis eum audacter et contemnis... Nonne stolida insania? nonne temeritas?

Et propter quid denique? Si tibi mora, tormenta intentata fuissent, non debuisses nec ad momentum dubitare, sed dicere: malo... ut SS. Machabaei:.. *melius nobis est... malle se praemitti ad infernum*...et tu propter quid? O mi care!... an tibi minae intentatae... Ecce unum foedum desiderium... una libido tibi tam cara fuit, ut propter hanc Deum offenderes... et mortaliter!... Nec pro totius mundi salute mentiri oportet per iocum (S. Augustinus); quanto minus facere malum ob leve gaudium!... Iudas Christum vendidit triginta argenteis; tu quantum lucratus es?... quantum?... tristitiam, remorsus, mare amaritudinis, pro una guttula voluptatis... Satis tibi erat quod Deus hoc prohibuerit ut ob hoc ipsum tibi placeret... *2. Mac. 6, 23.*

Et si hoc tantum semel!... quamvis etiam tum... sed quoties fortasse post obtentam veniam... Deus te ex inferno eripuerat, et tu denuo deridens et tua promissa et Dei mise-

ricordiam... in contemptum sanguinis Christi, quo eras ab-
Hebr. 6, 6. lutus... O malitiam!... *Rursum crucifigentes*... quid iam amplius dici potest? Tam gravis est haec offensa Dei, ut nulla umquam creatura satisfacere possit... etiamsi omnes homines... et angeli omnes simul... nec pro unico peccato... Ad delendum vel unicum peccatum, sanguine Christi opus est.

Deinde, tam gravis offensa, tam gravis malitia, ut si omnes angeli centum millia annorum caelestes suos intellectus intenderent, numquam tamen ex aequo possent... Infinita est maiestas offensa!...

Vide ergo quid sit peccatum... quod tam facile... O mi Deus! quomodo omnis creatura peccantem sustinuit?... quomodo angeli tui, iustitiae tuae gladium portantes, huic tali monstro adhuc pepercerunt?... quomodo terra non aperuit os suum dehiscens, ut... Vere, mi Deus, non sum dignus aere quem respiro, non aqua quam bibo, non pane quem... indignus quem terra sustineat, quem sol illuminet, quum omnium creatorem impudentissimus ego tam proterve ausus sim contemnere...

II. *Peccatum est maxima hominis miseria.* Peccator odit
Ier. 7, 19. animam suam, hostis est animae suae... *Numquid me ad iracundiam provocarunt, dicit Dominus.* Malum in vobismetipsis... miseros fecit angelos... protoparentes... et tu etiam infelicem vitam, mortem aeternitatis gustans... per totam...

Effectus peccati, ecce: 1. Qui sentiuntur remorsus, timor, inquietudo... Fingis te hilarem, simulando, sed non... Men-
Is. 57, 20. tiris, si dicis te contentum, dum es in statu peccati... *Impii*
Ps. 13, 3. *quasi mare fervens,.... contritio et infelicitas in viis*.... Haec prima statim merces peccati..... Adam, Cain..... Iudas... tu ipse tibi testis... praeterea, frequentes poenae divinae, ruina fortunae, sanitatis, abbreviatio vitae... longa series miseriarum... et hi quidem saepe amari fructus peccati in iuventute. (Ad iuvenes) Iuvenis primitias aetatis suae Deo consecrans... benedictio, ... contra... maledictio... gladius vindictae divinae evaginatus post te, semper te sequitur... semper inveniet.

2. Effectus invisibiles in anima, sine comparatione peiores. Non sentis illos, sed certos reddit fides, nam:

a) Perdita gratia sanctificans, inaestimabilis thesaurus, ad quem nobis acquirendum Iesus Christus e caelo venit, sanguinem suum profudit usque ad ultimam... Pro qua patrimonia, regna reliquerunt sancti, et mille mortes subire erant parati... O iactura immensa!... Gratia sanctificans est vestis nuptialis, qua induti admittimur ad nuptias agni, Filii Dei etc.... qua exuti mittimur in tenebras...

b) Perdita omnia merita... etiamsi immensa fuissent...

uti Beatae Virginis... *Omnes iustitiae eius quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18, 24.

c) Perdita omnis pulchritudo animae... Anima in gratia Dei angelo similis... Contra, anima in peccato et diabolus sibi simillima sunt monstra. Si scires te, commisso peccato, habiturum caput retortum, os hians, linguam exsertam... ita ut omnes te tamquam monstrum horrerent,... caveres... Nunc quod anima foeda sit, non curas... Sed veniet tempus, cum illa foeditas etiam in corpus...

d) Perditi habitus supernaturales virtutum. *Vae, vae, civitas illa magna, quae amicta erat bysso et purpura... quoniam una hora destitutae sunt tantae divitiae... una hora desolata est...* Ap. 18, 16.

e) Perdita capacitas nova merita acquirendi... Peccator non amplius vivum membrum Iesu Christi, palmes inhaerens viti... Radix eorum exsiccata est, fructum non ferent... nisi ad summum temporalem aliquem... *Exinanite,* sibi invicem inclamant daemones, *exinanite usque ad fundamentum in ea* (scil. anima peccatoris)... O vere miseria! Ps. 136, 7.

f) Perditum caelum... hereditas... O iactura immensa!... Israelitae privati terra promissionis... civitate Ierusalem... in captivitate Babylonica... quantum dolebant! Sed quid sunt haec in comparatione iacturae caeli? Quid iactura paradisi terrestris in comparatione?...

g) Sub potestate daemonis... miseri obsessi... sed peius... captivi apud Turcas miseri... sed... (Exemplum P. Lanuzae, in cuius vita narratur quomodo alicui ridenti ipsum, cum hoc ei diceret:... *Respice modo,* inquit, *et videbis.* Respexit ille, et vidit monstra teterrima sibi adesse.)

h) Exosi fiunt Deo. Ineffabile odium Dei in peccatum... *Similiter autem odio sunt Deo, impius et impietas eius...* Sap. 14, 9.
Deus necessario odit peccatum, et quemadmodum non potest cessare esse Deus, ita non potest non odisse peccatum... *Perfecto odio oderam illos...* Ps. 138, 22.
Ecce tale obiectum odii divini est anima tua, si vel semel peccasti... quid, si saepe?... Et hanc abominationem oculi Dei semper intuentur... Et adhuc dicis: *Peccavi, et quid mihi?...* Eccli. 5, 4.

Provoluti in genua... O mi Deus, si unum peccatum... quid tam multa?... quam abominabilis coram oculis tuis est anima mea!... Cum omnia in me plena peccatis... cum nullum in corpore membrum... nulla in anima facultas... non foedata peccatis... si me noscerent homines... et viderent... Et ego interea sine pudore... coram Deo et angelis eius... et non curabam... Cum essem... ut cadaver carnis... ut ulcus de quo continuo sanies... O mi Deus, quam infelix!... Quid si in tali statu me vocasses ad tribunal tuum?... O Iesu,

tua haec misericordia... fructus tui sanguinis, quod adhuc ultimato non perii... Sed tanto magis doleo... offendi patrem qui me plus amavit, quam tot angelos... Qui cum posset... O si possem revocare annos illos... percurrere illa loca... o si vel sanguine meo delere possem!... Sed quid meus pollutus sanguis!... Tuus, o Iesu... Sed postea quid?... Contremisco, Deus meus... possum denuo peccare... expositus tot periculis... (apud iuvenes haec praesertim urgenda)... a pravis sociis... libris... et quomodo evadam?.., O Deus, tolle me prius ex hac vita... nunc in his sacris diebus... finem impone vitae meae!...

MEDITATIO IV.

DE MORTE.

Ingressus. Vidimus quid sit peccatum; iam magis particulariter et singillatim de sequelis peccatorum, quarum prima est mors. Sed prius provoluti in genua ante Dominum qui omnia momenta vitae uniuscuiusque nostrum numerata habet, petamus ut bene cognoscamus quid sit mors et tempestive nos ad illam paremus.

Sedete modeste.

Is. 38, 1. *Dispone domui... Statutum est...*

Hebr. 9, 27. I. *Quid est mors?...* Est omnium terribilium terribilissimum, dicebat quidam philosophus (Aristoteles)... et verum dicebat, inquit S. Chrysostomus, et magis verum quam ipse putabat... Proponite vobis imaginem moribundi. Vidistisne aliquando? Ecce iacet immobilis nisi quando identidem... si gravi dolore convulsus... Oculi rigidi, os foede hians, distortum, nigrescens, sudor frigidus, anhelitus gravis, manus et pedes ut stipes... Patet, finem non longe abesse. Sic et vobiscum, cum unoquoque aliquando erit... nisi repentino casu, quod etiam terribilius...

1. *Mori est deserere corpus....* nam est proprie separatio animae a corpore... Fiet haec separatio aliquando et pro te, nam *statutum est omnibus* prorsus *hominibus*... Dicetur aliquando et tibi: *Dispone domui tuae, quia morieris tu,* (*Ez. 7, 2.*) *et non vives ulterius... Finis venit, venit finis... Iam non poteris villicare...* (*Luc. 16, 2.*) *Egredere, anima Christiana, de hoc mundo, de hoc habitaculo corporis...* Quid tum fiet de corpore tuo? ... In foedum cadaver, in pulverem convertetur, in putredinem. *Putredini dixi: Pater meus es, mater mea et soror mea, vermibus....* (*Iob. 17, 14.*) Qualis pater, mater, soror! *Subter*

sternetur tinea, et operimentum tuum erunt cermes. Esca erit corpus vermium... *Ecce quem* (Deum, quale idolum) *colebatis!* ita poterit tunc Deus verus, iudex supremus, Iesus Christus, dicere adoratoribus cuticulae suae, hominibus voluptuosis... uti olim simile quid dixit interne S. Margaritae Cortonensi, videnti cadaver foetidum amasii occisi... S. Francisco Borgiae videnti cadaver imperatricis Isabellae... An non ergo stultitia est, adeo incumbere huic sterquilinio, uti vocat S. Bernardus corpus nostrum... et interim negligere pretiosissimam, immortalem animam?... Deum?... O mi Deus! utique stultitia est. (Affectus, applicatio, proposita). *Is. 14, 11.* *Dan. 14, 26.*

2. *Mori est deserere omnia huius vitae bona*... domos, agros, honores, amicos, parentes... omnia prorsus. Utique velis nolis, debebis aliquando omnia deserere... et utinam non graviter gemebundus, cum animo cogaris exclamare cum Agag: *Siccine separat amara mors!* Quod ne fiat, iam nunc fac tempestive moriaris rebus omnibus, ut dicere queas cum Apostolo: *Quotidie morior*... vel sis ex illis, de quibus dicit idem Apostolus: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*... *Divitiae si affluant, nolite cor apponere*... Non es creatus pro istis... dic cum S. Stanislao Kostka: *ad maiora natus sum*... cum S. Aloysio: *quid hoc ad aeternitatem?*... Noli saltem bona huius saeculi praeferre caelestibus... aeternis... propter illa perdere ista, Deum offendendo, uti Iudas, propter triginta argenteos... Quin potius omnia cum apostolo arbitrare *ut stercora, ut Christum lucrifacias*... Etiamsi tam pauper vivere debeas quam Lazarus, quid interest, modo post mortem, ut... ipse in sinum Abrahae transferaris a Sanctis angelis. Recogita saepe: *quid prodest homini*... *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!*.. O mi Deus!.. *1 Reg. 15, 32* *1 Cor. 15, 31.* *Col. 3, 3.* *Ps. 61, 11.* *Phil. 3, 8.* *Mth. 16, 26.* *Eccli. 41, 1.*

3. *Mori est transire de tempore ad aeternitatem.* Utique separata anima a corpore tempus non erit amplius, nullus proin locus poenitentiae, meritis... *Venit nox in qua nemo poterit operari*... *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum*.... Si nolumus... damnum erit irreparabile, et imprimis tristissima sors nostra, si in peccato gravi moriemur, nam *statutum est*... *Io. 9, 4.* *Gal. 6, 10.*

II. *Semel tantum mori.* Semel tantum; si igitur bene, in statu gratiae mortuus fueris, felix, aeternum felix eris; sin autem male, in statu peccati... vae tibi, aeternum infelix, supra modum infelix eris... Malum numquam poterit reparari... *Sit ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.* In hoc saeculo infortunium si quid accidit, iterum reparari potest, at in altero non.... Itaque omnis cura impendenda est, ut semper pa- *Eccli. 11, 3.*

ratos nos exhibeamus ad transitum illum tanti momenti... eo magis quod singulis momentis potest locum habere. Omni loco, morte naturali vel violenta... et quin praemoniti simus, qua hora non putamus, filium hominis venturum esse sicut furem... Onan... Holofernes... Immo accidit quotidie... Semper in statu gratiae vivendum est... S. Thomas Aquinas non intelligebat, quomodo quis tranquille dormire posset in statu peccati mortalis. Et tamen tot homines ita vivunt... dormiunt... per menses et annos saepe... Et ego, o mi Deus!... quoties... *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Etiam Christus, B. Virgo debuerunt mori. Mors certa est, sed circumstantiae... quando, ubi, quomodo, incertae sunt... ad nostrum bonum, ut semper parati simus... *Latet ultimus dies ut observentur omnes.* (S. Augustinus).

Discrimen inter bonam mortem et malam.

Ps. 115, 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius... Mors peccatorum pessima.*

Ps. 33, 22. I. *Mors peccatorum pessima, sive praeterita, praesentia et futura inspiciamus.*

1. Praeterita si spectentur, videt peccator tot peccata commissa, tot occasiones salutis neglectas, et cogitur exclamare
1 Mac. 6, 12. cum Antiocho: *Nunc reminiscor malorum, quae feci...*

2. Praesentia iterum tristia occurrunt; deserendum corpus, mundus, bona, quibus adhaeret. *Siccine separat... O mors, quam amara est memoria tua homini.* Si vel ipsa memoria... quanto magis mors ipsa...

3. Futura si... occurrit terribile iudicium, infernus, aeternitas... Supra ipsum, Deus iratus, caelum clausum... infra se, infernus apertus... retro se, mundus fugiens... ante se, peccata... ad latus, daemones... intus, vermis conscientiae... Ah! quocumque se vertit, non videt nisi tristia, et experitur illud:
Am. 5, 18. *Dies Domini ista, tenebrae et non lux; quomodo si fugiat vir a facie leonis, et occurrat ei ursus, et ingrediatur domum (conscientiam), et innitatur manu sua super parietem, et mordeat eum coluber* (vermis conscientiae)...

Quam illibenter talis homo audit illa verba Ecclesiae: *Proficiscere, anima christiana...* S. Hilarion, qui septuaginta annos servierat Deo maximo cum fervore, trepidabat ad aspectum mortis... Quantus debet esse tremor peccatoris, qui totam fere vitam impendit in offendendo Deo! O mi Deus!...

II. *Pretiosa e contra mors sanctorum. O mors, bonum est*
Eccli. 41, 3; 14, 14. *iudicium tuum. Non defrauderis a die bona; ante obitum tuum, operare iustitiam. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*
Ap, 14, 13. Opera ad maiorem Dei gloriam peracta, in statu gratiae:

Opera tua sumus, non te deseremus, dicunt quasi ad hominem (S. Bernardus). Pretiosa etiam mors sub omni respectu, sive praeterita, sive praesentia, sive futura spectet.

Si praeterita, videt tot bona opera... peccata quidem vel nulla, uti Aloysius, vel... fors etiam... sed expiata... uti Augustinus, operibus poenitentiae.

Si praesentia, nil cui male adhaereat, quod nolit deserere...

Si futura, Deum amicum... Potest cum S. Theresia di-
cere: *Non timeo mortem, quia iudicem habeo unicum et ve-
rum amicum meum... Ecce sponsus venit... Amicus autem* Mth. 25, 6.
sponsi... Videt cum Stephano *caelos apertos, et Iesum stan-* Io. 3, 29.
tem cum corona in manu iamiam ipsi imponenda... Itaque Act. 7, 55.
secure potest cum eodem clamare: *Domine Iesu, suscipe spi-
ritum meum!...* Cum tot sanctis: *Laetatus sum in his quae...* Ps. 121, 1.
Veni, Domine Iesu... etiam venio cito. Amen. Ap. 22, 20.

Quam libenter audit talis: *Proficiscere, anima christiana,
de hoc mundo...* Ah! libenter, inquit, proficiscor de hoc mun-
do corrupto, quem non amavi... Et si absque sacerdote illi
moriendum sit, uti S. Francisco Xaverio, adest illi Crucifixus,
supplens vices sacerdotis... Crucifixus, quem devote cordi ap-
primit, osculatur... lacrimis irrigat... O mi Deus! *Moriatur
anima mea morte iustorum, et fiant novissima mea horum* Num. 23, 10.
similia!... Ut autem id fiat, cavebo in posterum ab iis quae
possunt mortem mihi reddere amaram, et faciam quae pos-
sunt eam reddere suavem. Da gratiam...

Quam felix ille qui cum Salvatore dicere potest in articulo
mortis: *Consummatum est* totum, quod mihi impositum fue- Io. 19, 30; 17,
rat. *Opus, quod dedisti mihi, consummavi...* Nunc venio ad 4; 16, 28.
te... *relinquo mundum et vado ad Patrem,* qui me amat,
cuius unice gloriam quaesivi... Ah! talis merito etiam dicere
potest: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;...* Luc. 23, 46.
vel cum S. Stephano: *suscipe spiritum meum...* Bene exci-
pietur semper talis spiritus... *Ubicumque habitabant filii* Act. 7, 58.
Israel, lux erat... sic etiam quocumque se vertent servi Dei...
(veri filii Israel), lux eis apparet, laetum quid recreans, Ex. 10, 23.
consolans...

MEDITATIO V.

DE IUDICIO PARTICULARI

Ingressus. Statutum est hominibus semel mori, post hoc Hebr. 9, 27.
autem iudicium... Proponamus Iesum Christum nobis in throno ignoto (ad significationem irae imprimis), vultu severo et valde terribili... Ipsi coram hoc tribunali, prout multi con-

specti sunt sancti, trementes ad appropinquans iudicium suum... Oremus, ut cognoscamus severitatem iudicii ... et tempestive ...

Sedete modeste.

Quale erit illud iudicium post mortem? Erit terribile ex omni parte, nam:

1. *Reddenda ratio totius vitae.* Eodem momento, quo anima a corpore ... et eodem in loco ... sistetur coram ... Hoc momentum deberet nobis semper praesens ... Aperietur liber conscientiae ... quaeretur autem, non an dives, honoratus ... nisi ad gravius iudicium ... sed quomodo vixeris ... Ibi videbit unusquisque ...

a) *Omnes gratias et omnia beneficia,* quoad corpus et quoad animam ... universalia et particularia, et quomodo illis sit usus ... Omnia commemorare est impossibile; aliqua saltem ... Unde hoc, quod e nihilo eductus, a tuis sollicite educatus vivas? Sanitas, vires, lingua, oculi, aures, manus, pedes? Non est dies, non hora, non momentum ullum quo non ... Omnia haec concesserat Deus, ut ... (ex fundamento)... nunc iubet
Luc. 16, 2. reddi rationem de omnibus. *Redde rationem!* Putaveras haec omnia tua esse ... non ita. Dei haec erant, tu villicus eras, non dominus ... Quid vero vocationis gratia ad fidem, doctrinae, exempla, sacramenta, inspirationes, ... haec ipsa exercitia vel missio? Atque haec omnia pretium sanguinis Christi... in omnibus sanguis Iesu Christi, ut gemma pretiosa splendens ... Si his usus non sit, vel abusus ... o qualis horror invadet! Sanguis Iesu Christi magis clamabit quam quondum sanguis Abel ... haeccine reddidisti? ... *Exspectavi, ut faceret* ... maledicta terra, quae culta ... semine condita, pluviis irrigata, tamen nihil refert ...

b) *Omnia peccata venialia et mortalia* ... propria et aliena, quorum fuit particeps, ... et opere et verbis et cogitatione commissa ... et omissiones ... O quanta multitudo peccatorum ... quae per crassam ignorantiam ... putabat esse levia ... atque dicebat quando mordebat conscientia vel alii admonebant: Quid hoc? quale hoc peccatum? ... Quam multa
Ezech. 7, 9. quae putabat esse remissa... *Finis super te; et immittam furorem meum in te, et iudicabo te iuxta vias tuas, et ponam contra te abominationes tuas, et non miserebor, et scies quia ego Dominus percutiens* ... O quantus pudor! ... Nunc si quaestio institueretur in aliquo gravi facinore ... quantus etiam timor! Nunc horres et pigritaris te examinare (quamvis
Ps. 37, 5. ut sodalis deberes quotidie), sed ibi etiam nolens ... *Iniquitates supergressae sunt capillos capitis mei ... super numerum*
1 Cor. 11, 31. *arenae maris ... Si nos ipsos iudicaremus, non iudicaremur a Deo.*

c) *Etiam bona opera*... laetaris interdum si quando aliquid boni fecisti et bene,... sed tamen... *Ego iustitias iudicabo*... omnes cordis recessus... Examinabit Deus bonis in operibus intentiones, affectus, an in statu gratiae, an propter ipsum... an bene... si quid bonum deerit... O quam multa inutilia apparebunt!... Orabas, sed... laborabas, sed... eleemosynam dabas, sed... An his speras Caelum!... Tamen ut malum, ita et bonum si in statu gratiae... magnam dabunt fiduciam; praesertim ea bona opera, pro quibus in vita nihil accepisti laudis aut mercedis, aut pro quibus etiam passus es... Ps. 74, 3.

2. *Reddenda ratio strictissima;* sunt enim variae circumstantiae:

a) *Nihil poterit celari,* excusari, defendi... Iudex terrenus non potest semper... patronus saepe elevat... Non ita coram Deo iudice... Nihil est occultum... *Omnia nuda et aperta oculis eius*... Anima sibi relicta, accusata... Ita clare convincetur,... angelus, daemon... Nunc expedita lingua nosti te excusare,... quod non de industria... quod non putares esse malum... interdum etiam in confessionali... sic... sed ibi fateri cogeris, te hoc et illud deliberate... ex malitia... O quam stulti, qui tenebras quaerunt,... modo nemo videat!..

b) *Sine respectu personarum* illud tribunal, non quale in terris iudicium... immo ditior, officialis... gravius iudicabitur... *Cui plus datum est*... Gravissimum iudicium his qui praesunt... Luc. 12, 48.

c) *Nulla defensio,* nullum praesidium, deprecari frustra,... tempus misericordiae praeteriit... Sancti non defendent... Ipsa Mater misericordiae...

3. *Reddenda ratio iudici iustissimo, severissimo, supremo.*

a) *Iustissimo*... Ergo si bonus es,... sin malus,... Dubia causa tua... nescis... Hoc scis, te peccasse... et nescis an placeas...

b) *Severissimo*... Nunc agnus mitissimus... parcit propter poenitentiam... et vos etiam, peccatores, beneficiis accumulat... Sed ibi leo... *Amodo videbitis*... O proterve peccator... modo vivis libere... iudicabit... unum peccatum mortale, unum veniale vel minimum... Ipsis sanctis severus. Mth. 26, 64.

c) *Supremo*... Appellationi locus non erit... Mutatio decreti non speranda... causa cadit... Sors tua determinata, vel regnare vel ardere... *Non intres in iudicium*... Ps. 142, 2.

4. *Sine mora exsecutio.*

a) *In malos: Discedite a me*... statim Deus recedit... angelus custos... et daemon rapit miseram animam... atque ita a lecto in infernum... Qui sensus animae!... *Cum venerit iudicium tuum, noli me condemnare.* Mth. 25, 41. Iob. 10, 2.

b) *Pro bonis: Venite benedicti*... *Euge serve bone*... statim daemon fugit... Et Angelus custos... Comparate.... Mth. 25, 34; 25, 21.

Quid desideratis? Quid speratis in hoc statu conscientiae... Quid ingereret fiduciam, quid terreret?

Provoluti in genua.

O mi Iesu, tunc erit serius, tunc me iudicabis, qualem inveneris. (Verba ex traditione servata): qualem te inveniam, talem iudicabo... Ergo nunc... adhuc es Salvator, nondum iudex...

O Mater misericordiae, nunc dic Filio... me indignum servum... sed tamen servum... iam dolere, iam emendationem promittere... Impetra mihi...

MEDITATIO VI.

DE IUDICIO UNIVERSALI.

Ingressus. De iudicio particulari brevis recapitulatio. Sed non sufficit particulare. Iustitia exigit, ut quod privatim actum est fiat etiam propalam, et cognoscat totus mundus qualis quisque fuerit... Quasi audiremus iam terribilem tubae clangorem et archangeli vocem: *surgite, mortui, et venite ad iudicium* (exemplum S. Hieronymi). Sed imprimis oremus.... *Confige timore tuo corda nostra... ut iudicia tua salutariter timeamus...*

Ordo huius iudicii.

1. *Resurrectio mortuorum. Credo carnis resurrectionem...* Veniet ille dies cum omnia igne consumentur, et animalia et homines omnes morientur... Dein canet tuba, et animae omnes, ubicumque fuerint, ad corpora sua, quomodocumque perierint et consumpta fuerint, revertentur... *et mortui resurgent...* Sic necessario fieri debet, ut appareat iustitia Dei. Nam in hac vita... *Credo...* (ad hanc vocem debent surgere omnes) Audite nunc illam vocem Dei: *surge qui dormis....*

1 Cor. 15, 52.

Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur! O quantum discrimen! quam longe diverso affectu animae ad sua corpora revertentur!... Iustorum quidem cum gaudio, gratulantes... Impiorum cum tristitia, desperatione... maledicentes!...

Eph. 5, 14. *1 Cor. 15, 51.*

Videte ergo non de anima tantum agi, quando agatur de animae salute, sed etiam de corporis bono externo. Vultis omnia habere pulchra, domos, vestes... animam solam foe-

dam? Ergo veniet et tempus quo ista foeditas in corpus redundabit... Nunc abscondita est foeditas et pulchritudo animae... ideo iustus saepe contemptus, centonibus coopertus, dum peccator in honore est, speciosis indutus vestibus... Sed veniet dies, qua omne quod nocet animae nocet et corpori. Qualis anima, tale corpus... Amas terram, terrenum accipies.... caelum... caeleste accipies! .. Visne ita amare corpus tuum, ut illud postea per totam aeternitatem odio habeas? *Qui amat animam suam*... *Io. 12, 25.*

2. *Veniet Iesus Christus* (postquam omnes homines congregati sunt) in nubibus, in maiestate... inter turmas angelorum omnium... Crux (bonis, impiis) thronus... vulnera... vultus... Beata Virgo ad latus eius; sic reparabitur ignominia passionis eius... Et omnes... etiam ipsi daemones iudicem vivorum et mortuorum proni adorabunt... Gaudium de Christi triumpho... O utinam hunc trimphum laete spectemus...

3. *Separatio.* Nunc mixti boni cum malis, hirci cum agnis, palea cum tritico... Sed veniet dies, qua unusquisque obtinebit locum suum... Simulationis tempus non erit amplius... Iusti ad dexteram cum angelis... in aere elevabuntur... damnati ad sinistram cum daemonibus... O quanta rabie hi videbunt illos... quos in vita deridebant, ut viles et stultos... se vero... in extrema ignominia... ut monstra infernalia... ut pestem mundi et faecem generis humani... Quam aliter incipient de rebus iudicare... *Nos insensati*... Quo abibit superbia et proterva libido... et derisio rerum sacrarum!.. Pudore obruti, terram aspicientes, seipsos miseros, probrosos, ut malefactores in crimine deprehensos!... *Sap. 5, 4.*

Quo igitur oculo respicienda est nunc immodica libertas?.. iucunditates humanae, libidines, potentia malorum? *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, et qui contemnunt me, erunt ignobiles.* Quam grave erit... Dominus damnatus videbit servos suos... parentes a liberis... liberi a parentibus... unus fratrem... alter condiscipulum... Ex nobis hic praesentibus alii... alii... Cogitet unusquisque in quam partem nunc abiret, si nunc separatio fieret inter nos... in quam partem ducant societates suae... Ne dicas: quamvis nunc... sed... Ni cito emendes... eris... Utrum es nunc hircus an agnus? Audisne vocem pastoris, superioris? Utrum mitis, patiens, humilis?... an contra... quasi cornibus... vel, si factis non potes, saltem verbis?... vel, si hoc non potes verbis, saltem cordis aversione... odio?... *1 Reg. 2, 30.*

4. *Aperientur et revelabuntur scelera*... in oculis totius mundi... cum quanto pudore occultissima crimina... hypocrisis... simulatio... impudicitiae... stultissime occultae... quam multa secreta... iniustitiae... fraudes... turpitudi-

nes... Nunc horres accusare, et sincere coram uno... *Denu-*
Is. 47, 3, *dabo turpitudinem tuam et revelabitur ignominia tua...*

Nunc quidam gloriantur in rebus pessimis, coram suis similibus iocantur... sed agnoscent tunc peccati turpitudinem
Luc. 23, 30. et ignominiam... *Montes cadite*... Sed occultare sese impossibile... ostendere intolerabile... Si publica afficereris ignominia... si in Ecclesia, e suggestu, vel per plateas civitatis promulganda essent tua crimina!... Quid, coram toto mundo?... Qualis abominatio sanctis!... qualis derisio daemonibus!.. Tu talis fuisti?.. habuisti tot opportunitates salutis! (Exemplum illius qui vidit in somno matrem sibi exprobrantem)...

Contra bona etiam opera, praesertim ea pro quibus mercedem nullam recepisti, pro quibus passus es... bonae inten-
Mth, 6, 3. tiones... eleemosynae in quibus *nesciebat sinistra quid fa-*
1 Cor. 4, 5. *ceret dextera... Tunc laus erit unicuique a Deo.* Videte ergo... Nunc potest unusquisque in conscientiae suae libro scribere
Mth. 10, 26. quae vult... sed *nihil est opertum quod non revelabitur.*

5. *Sententia duplex.*

Mth. 25, 34. a) *Facie plena mansuetudinis... Venite, benedicti...* Audistis cum vocarem ad patiendum, ad... Nunc ergo venite non iam ad... sed... Quanto gaudio!.. Quibus gratiarum actionibus... quidquid fecerunt et passi sunt videbitur nihil...

Mth. 25, 41. b) *Minaci vultu... Ite, maledicti...* recedite hinc in aeternum supplicium... maledico vobis... ite ubi dominus vester, cui servire voluistis potius quam mihi... Eius carcerem meo caelo praeposuistis... Quid ipsi facient ad tale fulmen?... Hic Iesus in mortali vita... in passione sua, unico verbo: *Ego sum* prostravit... Quid ergo nunc iudex in gloria?... Quam illi cadent! Quam desperabunt flentes... rugientes... ululantes...!

Mth. 25, 46. 6. *Exsecutio. Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.*

a) *Mali*... Aperietur terra sub pedibus... et omnes alius super alium ruentes... rabido clamore... extrema desperatione, a caelo, et hoc aeternum, separati... sibi ipsis maledicentes, in apertum ignis abyssum demergentur... et mox terra recludet os suum, et miseri, maledicti, corpore et anima... in horrendo hoc carcere ... Tum demum agnoscent
Ier. 2, 19. *quia malum et amarum est reliquisse...*

b) *Iusti*... Caelum aperietur... et... inter cantica... benedicentes... Post hosce dies breves... et noctes... unus dies... una nox... dies gaudii... felicitas vitae... Nunc tempus probationis... terra... locus medius inter caelum et infernum... Alterutrum elige... vis damnari..? Facile est, via lata... vis salvari..? Angusta est porta...

O Bone Iesu!... O Mater misericordiae!...

MEDITATIO VII.

DE INFERNO I.

Ingressus. Iam multa cogitatu tristia consideravimus, restat etiam tristius... Amara sunt... ita, sed salubria... Hodie vobis descendendum est in infernum... Descendant in infernum viventes, ne post mortem...

Sed primo prostrati oremus... ut cognoscamus quid sit ille infernus, quem per peccata promeriti sumus... quem adhuc promereri possumus... immo quem non evademus nisi magna Dei misericordia... et nisi a liberiori vita ad maiorem curam salutis transeamus.

Quid est infernus?

I. *In genere...* Quid docet fides de illo?... Fides... a Christo Iesu, qui non venit ut homines terreret, sed ut salvaret, et tamen... *ita dico vobis... timete...* Consideremus... *Luc. 12, 5.* ut aliqua saltem idea de illo nobis formata, ad solam eius mentionem exhorrescamus... Ante omnia, id bene cognoscamus, quidquid de inferno dicere, quidquid cogitare possimus, parum fore. Nam, ut de caelo: *Nec oculus vidit...* ita de inferno: nec oculus... quae praeparavit Deus contemnentibus se... *1 Cor. 2, 9.*

Infernus est aeternus carcer, igne et innumeris tormentis horrendis repletus, ubi a Deo iusto punitur quisquis vel cum uno peccato mortali ex hac vita discessit... Locus tormentis repletus... angustus... *terra tenebrarum et operta mortis caligine... terra miseriae...* *Iob. 10, 21.*

Imaginare tibi... ac si in obscura nocte, in monte aliquo consistens, videres infra terram aperiri... et per hunc hiatum vide infernum daemonibus et damnatis hominibus repletum... Aspice illas victimas irae iustae Dei... ut gemunt, ululant... desperabundi... *Ibi erit fletus et stridor dentium...* *Mth. 22, 13.*

Infernus est locus ubi essentialiter ista duo sunt: privatio omnis boni et accumulatio omnis miseriae. *Ibunt in supplicium aeternum...* Ut in caelo omnis felicitas, nullus dolor... ita contra in inferno... Esse in inferno... esse damnatum significat nullum habere bonum, nullum habere solatium, pati omne malum...

1. *Nullum bonum...* Quidquid potest esse gratum, ibi deest. Lux, horti, agri, amoenum ver, flores, fructus, cibus esurienti, potus sitienti (una gutta negatur), somnus fatigatis, divitiae, honores, ludus, colloquium cum amico, cantus... Cogita quidquid tibi gratum est, vel esse potest, et dic: hoc non

erit in inferno!... Quantopere hoc solum horrendum...! Quando nobis unica res deest, iam videtur saepe intolerabile... To-
Iob. 5, 12. bias caecus: *quale mihi gaudium esse potest?*... Saepe murmuras, si quid tibi deest in cibo, in potu, in vestibus, in commodis... Omnia haec in inferno... (Mortificatio hic commendari potest).

Deut. 32, 23. 2. *Omnia mala... Congregabo super eos mala*... Mente percurre quidquid vel ipse passus es aliquando, vel audisti, et dic: haec omnia in inferno et infinities plura et maiora, et graviora... Nam quidquid hic pati possumus, et parum est et breve... Ipsae vires fatiscentes dolorem minuunt.... praesentia amittitur... sed hic... Paupertas, miseria, fames, sitis... Sola fames tam horrendum malum, ut aliqui membra propria lacerent... sitis omnium dolorum gravissimus, ut ex omnibus, qui in istis suppliciis moriuntur, constat... Etiam Christus in cruce... In inferno haec omnia... Dolores capitis... dentium... aurium... torsiones... febres; quodlibet ex his suppliciis interdum tantum est, ut homo insaniat... Haec omnia in inferno... Ideo morti comparatur... *haec est*
Ap. 20, 14. *secunda mors*... Tormenta... tiranni figebant palis... membratim dissecabant, ossa comminuebant, comburebant lento igne... in inferno haec omnia... *Supplicium aeternum.* Dedecus, ignominiae, contumeliae, derisiones, maledictiones... omnia haec in inferno... Omnia ergo mala in inferno... Sed ita ut quae hic sunt, quasi depicta solum sint... *in imagine*
Ps. 38, 7. *pertransit homo,* ut bona, ita mala huius vitae... et momentanea, mixta bonis... interrupta... quo graviora, eo breviora... et certe cum morte finienda... ibi vero horrenda et sine fine... transibunt anni mille, supererunt mille milliones annorum, et iterum... initium... Cain iam fere sex millia annorum... ut si inciperet modo...

Quam hoc re vera horrendum!.. Hic unus morbus... una miseria... unus dolor..! Si esses in domo aliqua ubi commoda omnia... tantum ut quotidie per quadrantem deberes esse ludibrio... caedi... Nolles... et tamen si tale quid haberet damnatus... infernus non esset... Minimam nunc ferre molestiam non potes,... vel non vis... et tamen meruisti... Quid faceret damnatus, si liceret hisce temporalibus infernum redimere?... *Quidquid non est infernus, est mera gratia*... (S. Fr. Borgia)... *Qui murmurat, nescit quod supplicium debeatur voluntati quae ausa est Deo resistere* (S. Bernardus)...

II. *In specie*... aliqua saltem...

1. *Socii*... Nulla ibi ratio habetur humanitatis, nobilitatis, prudentiae, consanguinitatis, amicitiae, etc.... immo sunt ibi varii generis et conditionis... Quidam angeli fuere... archangeli... caesares... reges... principes... Alii docti, philosophi, oratores... Alii aulici, politici, liberales, vana hone-

state et moralitate... Alii parentes, liberi, socii, amici,... Quum primum in infernum, omnia cessant... *Nullus ordo*... Omnes statim capitales inter se hostes... rabido odio... alter alterum pati non potest, nec verbum suave ad solatium proferre... Parens filium... servus dominum... maxime qui in vita se mutuo amarunt male, et amicitiam habuerunt non secundum Deum... Ex hoc ipso maximum odium ibi, et furor quod illuc simul pervenerunt... Dives ille epulo nolebat fratres suos illic pervenire... Cur?.. Quid sentient domini cum servis?.. Quam grave... esse cum iis qui tibi detrectant, te oderunt... tibi maledicunt,... et non posse te ab iis separare... scire te semper cum iis manere debere, cum iis invitum... nec gratiam inire posse, et habere neminem qui conciliet... qui soletur... qui vel commiseratione moveatur.

2. *Tortores.* *a*) Alius damnatus tortor est alii... verbo, opere, ipso motu suo... Ideo ille epulo nolebat fratres venire...

b) Daemones viribus ad torquendum, facta a Deo potestate, pollentes... ingenio, monstris, tormentis...

c) Vermis conscientiae... ipsi sibi intolerabiles... Exprobrant sibi ipsi insaniam... Audi nunc vocem conscientiae...

d) Manus Dei invisibilis, omnipotentia sua puniens... et semper persequens... O quam *horrendum est incidere in manus Dei viventis*... *Hebr. 10, 31.*

Procide in genua... Recapitulatio de inferno... Quantum malum est peccatum, pro quo Deus damnat creaturam suam ad... An hoc credidisti? Sed id ipsum auget malitiam... scivisti, et tamen...

O Deus, quid mihi iam restat!... Quidquid constiterit, solum Deum meum in caelo possidere debeo... Peccavi.... sola mihi restat sincera poenitentia... O utinam numquam... Sed factum est... revocari non potest quod peccatum est... Sed doleo... et hunc dolorem toties renovare volo, quoties spiritum duco... Tu, o Iesu, supple quod deest... in manus tuas in hac cruce extensas me proicio... Sed an suscipies tot peccatis inquinatum..? Ita suscipies poenitentem... scio...

O Mater misericordiae!...

MEDITATIO VIII.

DE INFERNO... II.

Ingressus. Iterum de inferno. Utinam bene et profunde imprimatis menti... (Potest narrari exemplum alicuius contionatoris in Germania qui, cum se pararet ad contionem de inferno habendam, legens auctores putabat esse exaggerata...

Tamen ea dicenda sibi proposuit... et cum diceret, energumenus qui erat in Ecclesia ad singula, quae dicebat, repetebat cum gemitu: Ah! sic est, sic est... Deus remuneratur ut Deus munificentissimus, sed punit etiam ut Deus severissimus). Oratio aliqua...

Quid patiuntur damnati?

I. *In anima*... 1. *Memoria* ubique invenit tormentum... Voluptates praeteritae: ego quondam bene... commode... iuxta ingenium meum... iocis et ludo... ibam quo volebam... in iucundis societatibus... Ubi nunc...? Maxime vero illae voluptates quibus peccatum... O quam infelix sum... pro vanis... in illa societate... cum illis... Quam grave
Sap. 5, 3. erit meminisse hoc!.. *Poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes*... Occasiones ad bonum... Ah! quam fui demens!... habui tantum temporis... instructiones... media... inspirationes et gratias... O si usus essem illo tempore... si obsequutus essem... si illis occasionibus... si... si... Nunc parvi pendis gratiam Dei, veniet tempus quando summi aestimabis: *Poenitentiam agentes, et prae angustia*... Annon ita gemeres, tu catholice... sodalis...

2. *Intellectus. a*) Quod perdiderit... Deum, eius amicitiam et protectionem (nunc ista non intelligis, sed tunc...) sanctorum societatem, caelum eiusque delicias...

b) Quod venerit in iram Dei implacabilem... in odium ac detestationem omnium Sanctorum... in societatem daemonum et damnatorum... in tormenta saevissima...

Haec solum cogitat damnatus, nec potest se distrahere... Nunc taedet cogitare de salute... de anima... de Deo... Veniet tempus quo haec sola cogitabit... per totam aeternitatem...

3. *Voluntas*... ira, furor, deprecatio... Si in morbo, in miseriis, mendicans auxilium... a nemine acciperes nec solatium nec commiserationis signum.... si omnes contemnerent te, insultarent, dolentia membra etiam vulneribus accumularent... qui sensus esset?... Damnatus rugit, ululat... lamentatur ita, ut saxa commoveri debere videantur... tamen Deus implacabilis... Vellet fugere... vitare, iugum deicere, abscondere se... se interimere... sed non... *Quid horribilius quam velle semper id quod numquam erit, et nolle illud quod semper erit?* (S. Bernardus)... Haec poena effrenatae libertatis.

II. *In corpore*... Nec oculus vidit etc....

Oculi, monstra infernalia, horrores (S. Cath. Sen. semel diabolum viderat... Quid dixit?) haec merces aspectuum... *Aures*, lamentationes, ululatus, maledicta, insultationes, iura-

menta ... Ecce quo deducant sermones, iuramenta, maledicta, cantilenae, insultationes ...

Lingua, sitim, famem, amaritudinem intolerabilem, fel aspidum ... Haec pro loquela, pro excessu in ...

Manus ligata, nunc iungere in oratione piget ... extendis ad ...

Odoratus, foetore tot cadaverum ...

Tactus, exquisita tormenta ... praecipue vero igne ... De igne saepe Christus ... *Ubi vermis eorum non moritur, ignis non exstinguitur* ... Non in uno loco ... aliquoties repetit: *Crucior in hac flamma* ... et in parabola: *in caminum ignis* ... et praesertim de iudicio: *in ignem aeternum.* *Mrc. 9, 43.* *Luc. 16, 24.* *Mth. 13, 42.*

Ignis iste est universalis ... cruciat totum hominem, totum corpus... totam etiam animam... Iacet damnatus in inferno ... eo loco quem illi assignavit iustitia divina ... totus immersus igne ... ut piscis in ... nos in aere . .. Caput, oculi, os, crura, brachia, pedes ... dorsum, pectus ... locus, cibus, potus, aer ... omnia ignis, non tantum exterius, sed interius, in capite, in cerebro, in dentibus, in lingua, in gutture, in visceribus, in venis, in ossibus ... *Omnis victima igne salietur.* - *Ipsa anima miris, sed veris modis* (S. Augustinus). Si esses obligatus altera manu in fornace ardenti ... Haec recogita in tentationibus ... proba vel uno digito in flamma candelae ardentis ... *Mrc. 9, 48.*

Ignis iste multo terribilior quam noster ... Hic terrenus solum umbra ... Quare? hic beneficus, donum benigni Dei; ille vindex, instrumentum Dei irati ... Ecce si scires, te ob hoc vel illud crimen morte puniendum, per carnificem comburendum lento igne ... immo si totum offerretur regnum ea lege, ut per dimidiam horam in fornace arderes, Deo per miraculum vitam conservante, nolles ... An non potius omnia patienda, ferenda, quam ... Tu vero pro qua re te resolvis ad ... ? Putas Deum esse bonum, patientem, remissurum ... Sed ita impossibile cavere ... Horres vigilias et ieiunia ... *haec levia sunt meditantibus poenas inferni* (S. Bernardus). Ignis iste urit pro ratione peccatorum ... pro duobus duplo magis quam pro uno, ... pro decem ... pro centum ... Ne putes idem esse damnari pro uno ac pro multis ... Iustitia Dei exigit ...

III. *Aeternum.* Hoc est omnium quae sunt in inferno terribilissimum ... Damnatus exsulat a caelo, in aeternum ... ardet in inferno, in aeternum ... Sed quid est aeternitas? Potest dici quid non sit, sed non quid sit ...

1. *Sine fine* ... Haec illa veritas, ad quam tremebant ipsi sancti ... Veniet dies extremi iudicii ... peribit hic mundus ... reprobi descendent ... et Deus omnipotenti sua manu carcerem illum aeternis repagulis occludet ... Dum alii cum sanctis in caelo ... quamdiu Deus erit Deus ... eodem tempore dam

nati... Transibunt milleni anni, millena saecula... semper aeternitas manet eadem... Sume manum plenam arena.... quam multa ibi granula!... Quantum esset, tot annos, tot saecula, tot millena saecula!... Quid si omnis arena!... quam innumerabilis series!... et tamen post tot etiam saecula, manet adhuc aeternitas tota... O aeternitas! veniet eo usque ut peccator, pro uno quoque peccato centum milia annorum iam arserit, et adhuc... Et damnatus hoc scit... et quovis momento totum pondus aeternitatis eum obruet...

2. *Sine interruptione aut refocillatione*... Exiguum esset solatium, si quovis millesimo anno daretur horula unica ad quietem, et haustus aquae... Mille anni, et una hora!.. Sed neque hoc... Ibi nullum solatium... semper et sine intermissione... semper, numquam... numquam, semper...

Provoluti in genua.

O Deus, nunc intelligo, quid sit infernus... quid sit aeternitas... quid sit damnari... Damnari est... est... et hoc ego promeritus sum... Iam nunc essem... nisi... O bonitatem!... Iesus dilexit... Sanguis Iesu... Cor Iesu... alioquin essem... Ergo ita Deum offendi, ut si mortuus essem... et ob quid ita offendi?... An promissum mihi fuit?... An non minae intentatae?... Ah! tu scis, Domine... et ego scio... et nunc poenitet... pudet... O Deus meus, doleo... et spero... Sed possum denuo peccare... O Iesu, memento sanguinis tui, cordis tui... misericordiae tuae... memento huius tantae bonitatis, qua... An haec omnia peribunt?... Hic... ure... modo in aeternum... O Mater misericordiae... O felix Maria... tu Mater Dei... tu Mater rei...

Paraphrasis verborum: Discedite a me...

Discedite a me (poena damni) qui creavi vos pro me, ita ut non esset vobis felicitas extra me... a me, fonte aquae vivae, sine quo numquam sitim vestram verae felicitatis restinguere poteritis... a me, patre vestro.. Ah! infans... (comparatio infantis a matre in mare ignis... Absalon... discipulorum S. Pauli)... His in terris non intelligimus quid... sed...
Gen. 27, 30. Esau... *An nullam benedictionem pro me?*... Clamor... Oh quantum!... A me, et eo ipso a SS. Matre, s. angelo custode, sanctis, caelesti patria... Salutare a longe... *sed non tran-*
Deut. 34, 4. *sibis*... Quantus dolor pro Moyse!... *Discedite a me*... Quomodo in vita vestra vos vocavi ad me... ad S. Eucharistiam... ad crucem... non voluistis... *Quis est Dominus*
Ex. 5, 2. *ut audiam vocem eius? Nescio Dominum*... Nec *ego vos*

cognosco ... *nescio vos* ... Ah! S. Maria Magdalena de Pazzi vix non ... cum Christum suboffensum ... Aliquis apostata in Perside ... solo ... o Deus ... ergo non amplius Pater! ... *Mth. 25, 12.*

Sed non solum a facie ... insuper maledicti ... maledicti... O quantum hoc ... Maledicti a Deo omnipotenti ... qui amorem suum spretum vindicat ... *effundam iram* ... secundum misericordiam suam ... Maledicti a Deo Filio, qui crucifixus... Quid hoc? .. Maledicti in omnibus facultatibus corporis et anima ... in ... in ... quia abusi sunt ad offendendum .... beneficiis ... Merito igitur maledicti ... Et qua poena? ... Oculi nihil videbunt ... nisi ... daemones deceptores ... Intellectus: *peccator videbit* ... Memoria ... *nunc reminiscor* ... Voluntas ... *mea culpa* ... Aures nihil ... nisi ... Vix in nosocomio ... matres ipsae vix ... Odoratus ... Antiochus ... Gustus... lingua .. exardescet .. sitim .. famem .. guttulam .. et non .. epulo .. Tactus .. ignem .. et qualem? .. *Spiritus ardoris* ... Ignem creatum ad ... aeternum, addit Salvator (Adhibe hic comparationes varias), semper ... semper ... numquam ... numquam ... pendat horologium ... aeternitas (P. Bridaine)... O hic vix ... digitus in igne ... quomodo? .. Quid ex vobis ... An tu ... tu ... ne in molli quidem lecto ... S. Liduina ... Illa poena oculorum ... pro obtutibus ... pro ... Ille ignis ... pro igne voluptatis ... Ah! quam terribilis ... *Qui paratus est diabolo et angelis eius.* En societas! .. Quia mali ... mores eorum ... superbiam imitati estis ... etiam sortem ... qualis societas! .. *In caelo quot socii, tot gaudia* (S. Augustinus ... In inferno autem quot, ... tot tormenta (P. Segneri) ... His in terris intolerabile ... in societate ... quid erit in ... ubi omnes hostes infensissimi? Erit haec poena eorum qui hic societatem malorum praeferunt societati Dei ... servorum Dei... qui hos spernunt, ... qui ... Tunc ... *Nos insensati* ... *inter filios Dei* ... *Ergo erravimus!* ..

Ez. 7, 8. — *Ps. 111, 10.* — *1 Mac. 6, 12.* — *Mth. 25, 41.* — *Sap. 5, 4, 6.*

En poena ... Vae quibus haec prius experienda quam credenda sunt ... Si vos creditis ... uti reipsa credere debetis, si christiani ... Oh! tempestive ...

CONCLUSIO MISSIONIS.

(Imprimis promulgandae Indulgentiae Missionis et Crucis .... et benedicuntur rosaria vel cruces, omnibus elevata tenentibus).

Deinde ... Ergo finitum est hoc sacrum tempus ... et ut in nomine Patris et Filii ... initium, ita et in nomine... finem hodie ... An fructum cepistis? Spero equidem multos ...

immo testes illae lacrimae... illae sollicitudo bonae confessionis faciendae... illa frequentia... Ita, multi sine dubio... sed tamen timeo ne sint etiam de quibus ab initio dixi... quibus nulla media prosunt, quia nolunt... *in sordibus sordescunt adhuc*... Deus avertat! Quem veritates aeternae ita propositae non corrigunt, hunc nec ipse corrigeret infernus... Certe non potestis dicere: Nescivi... *Si locutus non fuissem*... ita Salvator... *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae in te factae sunt, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent ... ideo tolerabilius erit in die iudicii*...

Ap. 22, 11. *Io. 15, 22.* *Luc. 10, 13.*

I. *Veritates aeternas audivistis*... (Recapitulatio brevis praecipuarum veritatum)... Vidistis vos esse in mundo, non ut libere vivatis... ut... ut... sed unice ut...; hoc esse negotium maximum et unice necessarium... Vidistis quid sit peccatum... detestati estis...; et in particulari abominabile illud ac teterrimum vitium impuritatis, quod tantas heu! strages edit et tot animos aeternum... Vidistis quid sit mors illa, quae omnes monet... iudicium... infernus...

Nunc ergo in quo statu est vestra conscientia?.. Suntne adhuc aliqui impoenitentes? Ah! miseri, quid ergo facitis? quid exspectatis?.. Quam tristis vobis cogitatio: Ecce tot alii cum Deo nunc reconciliati sunt et dulci pace gaudent... et ego in meis sordibus... in statu aeternae damnationis!... O utinam vel haec ultima verba, quae ad vos ex intimo cordis sensu profero, nonnisi ex amore vestrae salutis..., effectum sortiantur!..

Interea quid iam nobis restat, nisi ut eos Christo Iesu et eius misericordiae commendemus, ut aliquando tandem... depulsis crassis tenebris... resipiscant... O utinam! utinam! alioquin... Vae!.. Vae!.. Vos autem qui fructum.., id quod certe de longe maxima parte confido,... dicite nunc, dilectissimi, an non gaudetis? Poenitentia vestra gaudium angelis in caelo... et vobis ipsis... O quam suaves erant lacrimae quas pro peccatis vestris ad pedes crucifixi, et ad pedes eius ministri... fundebatis, cum deponeretis onus conscientiae!... Quanto suaviores illae lacrimae iis gaudiis, quae in satisfactione cupiditatum vestrarum quaesieratis... Interea nolite credere iam totum esse factum... Bona confessio non est nisi initium... Nunc sollicite custodite gratiam... ne fidatis vobismetipsis... Qui ex loco calido in frigidum... cito frigescit... ita post exercitia vel missionem... peccatorum vestrorum nolite oblivisci... Haec memoria vos humiles et patientes reddat... Cogitate misericordiam Dei erga vos... Eadem reddant cautos in futurum... secus redibit *immundus spiritus cum septem... et fient novissima*... Quid vero proderunt vobis omnia, si in statu peccati mortalis vivatis?.. quid proderunt rosaria cum indulgentiis?..

Luc. 11, 24.

II. *Ecce discedimus iam ab invicem*... ibimus alii alio, et numquam amplius ita simul conveniemus... Sed quid dico? Immo conveniemus aliquando... ita, in magno illo die stabimus omnes simul, et rationem reddemus, nos de iis quae diximus, vos de fructu percepto... Conveniemus, et cognoscemus invicem, unusquisque vestrum me... an... an?.. et *vae mihi, si non*... Et ego unumquemque vestrum cognoscam .. an... an... an... et etiam vae illi qui.. Nunc omnes permixti, sed tunc fiet discrimen... separatio... O fratres mei, quantus ille dies erit! (Hic brevius vel longius de iudicio universali, scilicet, de orbis ruina, de resurrectione diversa... de separatione malorum a bonis... et si, ut saepe fit, habetur haec conclusio in coemeterio vel prope ossuarium, locus ipse dabit occasionem ita dicendi, ut deinde recordentur se aliquando ex hac ipsa terra in qua quieverint surrecturos...) Quid ibi cum unoquoque nostrum fiet? Quo loco erimus?.. Interea certum est, unicuique fore pro meritis... locus singulis paratus et in caelo et in inferno... A vobis hoc pendet.

1 Cor. 9, 26.

III. *Interea dum magnus ille dies venerit... valete in Christo Iesu.* Valete (ad sacerdotes praesentes) animarum curatores, quibus commendatur custodia animarum iam per poenitentiam mundatarum (et commemoretur modeste grandis ratio reddenda)... Valete (ad magistratum... qui laudandus de zelo et bono exemplo, si dedit... et adhortandus ut cum ecclesiasticis ad bonum animarum conspirare pergat)... Ingens negotium est salus animarum, scandala tollere, pondus est ingens, quod uno brachio non potest tolli. Utrumque necessarium est, scilicet brachium potestatis saecularis cum brachio potestatis ecclesiasticae simul. Valete... ad omnes... patres, matres... curam gerant de liberis... ceteri omnes.... Potest hoc loco etiam modeste peti venia, si... si... Verbum quod praedicavimus... erat Verbum Dei, sed nos qui... eramus homines... itaque si quid vel nimium... vel parum... diximus, si ulla re offendimus... condonate nobis pro amore Iesu Christi, illud scientes, noluisse nos quemquam offendere, sed solum desiderasse salutem vestram, ut et nunc facimus et faciemus, dum vivemus, orantes pro vobis... Valete... et pro nobis etiam orate... Valete, in iudicio Dei nos videbimus...

Denique in memoriam... 1. *Mortuorum ossa,* quae praesentia semper habetis... Interrogate saepe ista arida ossa: *Bonum est, o mors, iudicium tuum*... licet muta, ipo silentio suo clamant... alii ex his... in inferno... alii... in purgatorio... alii... in caelo... omnes id clamant quod nos missionarii clamavimus: Vanitatem esse omnia, praeter solum divinum servitium...

Eccli. 41, 3.

2. *Crucifixum*... Eius aspectus a peccato avocet... confirmet in bono...

3. *Imaginem Beatae Virginis*... Haec cohibeat etiam a scandalis, praesertim ab infando impuritatis vitio... Valete...

In fine dici potest cum populo *Pater* et *Ave* ad lucrandas statim indulgentias crucis, pro animabus eorum quorum corpora hic sunt... et discedens missionarius, si ipsi videbitur, iubere iterum potest ut alta voce peccata abominentur... Tum mox discedant.

N. B.... Gratias oportet agere unicuique classi hominum... efflagitare benedictionem Dei super... promittere preces in futurum et petere pro se... commendare ultimo iudicio... Si Crux erecta est, loqui de quatuor novissimis, de cruce in ultimo iudicio... de pretio animae... de amore Dei...

INSTRUCTIONES

I. — DE EXAMINE CONSCIENTIAE.

Si nosmetipsos diiudicaremus . . . Scrutemur vias . . . Recogitabo tibi omnes . . . 1 Cor. 11, 31.

Ingressus. Necessitas instructionis: ignorantia est prima causa malorum . . . ut si primaria rota in horologio sistit . . . praesertim vero ignorantia circa Sacramentum Poenitentiae... Sacramentum summe necessarium . . . a diabolo praecipue impugnatum . . . Maxima in poenitente requiritur dispositio . . . . Debet esse difficile . . . quia post naufragium . . . O utinam qui innocentes sunt... Hinc Sancta Theresia ad contionatores... et post mortem apparens . . . Haec una est ex praecipuis causis, cur *multi vocati, pauci vero electi* . . . Scilicet absolvuntur coram hominibus, sed coram Deo . . .? Itaque . . . et propria experientia doctus . . . Thr. 3, 40. Is. 38, 50. Mth. 22, 14.

Propositio materiae.

Tantum valet bene confiteri, quantum salvari . . . Venenum hausisti, nisi antidotum . . . Examen conscientiae est diligens perquisitio . . . ab ultima confessione rite facta . . . et est valde necessarium, ne sit confessio vel nulla vel sacrilega . . .

I. *Orandum,* ut . . . .

II. *Diligentia* . . . Raro confitentur, et quam citissime se expediunt . . . Incuria de salute animae . . . Si pecus aegrotat . . . anima vero . . . Non sentiunt onus . . . alias ut baiulatores quaererent se exonerare . . . Raro accedunt ad confessionem, et tunc quam citissime . . . (ut vir cum uxore litigiosa) . . . Sed ista excusatio nulla: oblitus sum . . . ut in morte tuti sint . . . (Ne tamen anxiae sint bonae animae) . . . Negligi solent:

1. *Circumstantia* . . . in uno peccato saepe duo vel plura... ex. gr., maledicta in parentes . . . maledicta parentum . . . cum scandalo . . . impura verba coram . . . similitudo cadaveris foede lacerati . . .

2. *Numerus*... Non addunt quoties... tamen necessarium... Non possunt... fortasse possent maiori conatu... circiter... interrogati respondent quod in mentem venit...

3. *Peccata omissionis*... obligationes status... Patres familias... (modo serviant sibi... an serviant Deo non cogitant); parentes: non dant educationem... non puniunt, non praeveniunt occasiones peccati... Horribile malum, origo peccatorum... scandalorum... itaque damnationis... et haec omisso non erit peccatum?.. Et tamen quando de his se accusant?...

4. *Peccata cogitationis*... nec dimidium peccatorum suorum dicunt... quia solum opera... sed cogitationes... interdum decem, triginta,... peccata cogitationum, antequam unum opere...

a) Quando cogitatio mala peccatum est: (tria requiruntur... etiam, si occasio datur voluntarie...).

b) Quomodo nos gerere cum malis cogitationibus... In examine conscientiae inquirere, postea confiteri distincte; non sufficit dicere: habui malam cogitationem, sed dicendum, an voluntarie, et qualem...

c) Cavendum ne multiplicentur huiusmodi peccata. Nam est periculum damnationis maius, quo plura committuntur peccata... Cymba, quo magis oneratur, eo propior demersioni... et damnatio gravior... Ut in hora mortis possint resistere... Sunt, qui libere... nulli suggestioni resistunt, in somno etiam... delectantur... sed et daemon... Quomodo ergo talis in morte..? Erunt tunc tentationes gravissimae, descendet... *habens iram magnam*... tentabit cogitationibus... (*Ap. 12, 12.*)

Conclusio... Adhortatio ad exercitia frequentanda...

II. — DE DOLORE.

Cor contritum et humiliatum... *Sanat contritos corde.* (*Ps. 50, 19; 146, 3.*)

Ingressus. Multi, examine facto, de dolore non cogitantes, ad sacrum tribunal accedunt...

1. *Necessitas*... Corpus sine anima... baptismus sine aqua... Deus non condonat sine dolore... etiamsi solum venialia... dolor semper necessarius... Propterea salutare consilium, ut qui saepe confitentur, et nonnisi quotidiana habent, aliud quid addant ex praeterita vita, de quo certe dolent...

Interea tamen, ad quietem animarum, dicatur non requiri ut sit sensibilis. Exemplum Davidis: *Peccavi*... non legitur tunc lacrimatus fuisse... quamquam de morte filii ploravit multum... (*2 Reg. 12, 13.*)

2. *Qualitas* ... perfectus ... imperfectus ... clavis ad caelum ... similitudo servi et filii ... Si quis apoplexia ... videte quanti momenti ... similitudo ferae in corde vulneratae ... vel in pede etc. ... Sed non in hoc consistit, ut verbis recites ... alias *times ardere* ... *et non times peccare* ... Exemplum Saulis, Antiochi, Iudae proditoris ! ... (Imprimant animo bene doctrinam de dolore imperfecto et perfecto ...).

3. *Media. a) Oratio* ... Potes te ipse occidere, sed vivificare non potes ... opus est omnipotentia Dei ... Quanta negligentia eorum, qui non orant ante confessionem! .. quanta praesumptio! ... Quasi Deus teneretur dare ... vel quasi in ipsorum potestate esset ...

b) Consideranda: natura peccati ... effectus ... poena infinita quam ...

c) Frequens usus ... Omnes artes exercitatione discuntur ... devotio vespertina commendetur ... solvendum duplex debitum, gratitudinis et deprecationis per actum doloris .... Parentes praecedant exemplo ...

4. *Indicia doloris* ... Signum defectus doloris, peccare libere in spe confessionis ..., licet non tam explicite, ex. gr. quando .. ? hodie, nam debebam ire ad confessionem ... Admonitus corrigit se ... sed labitur tandem ... lapsus semel, iam libere peccat ...

Impudicus, ut audaciam sibi ingerat: Quid? confiteberis ... et si ille confessarius non vult absolvere, inveniam qui absolvat ... peccatum confessum est peccatum remissum ... et ad quid confessio? etc. ...

Tales ergo in magno periculo ... nam videntur nescire doloris necessitatem ... Quando! Postea dolebo! ... Similitudo iuvenis, qui nuberet ... postea dolebo ... Ergo si non insanis, certe ...

Error eorum qui putant omne malum confessione tolli ... Omitto posse fieri, ut male confessio fiat ... omitto quod remaneant effectus peccati ... ut, ex. gr., post hostem ruinae, ... post febrim debilitas ... ita etiam post peccatum remissum ... praesertim habitus mali ... unde:

a) Facilis relapsus ... quia minus horret, ut qui cum diabolo ... experientia ... Comparate facilitatem peccandi in qua nunc estis, cum horroribus quos olim sentiebatis ...

b) Difficilis conversio ... murus exsiccatus ... fluvius formatus ... Hinc quidam numquam emendant sese ... quibusdam occisus ad ipsorum latus socius ... et tamen ... fors et in his exercitiis aliquis conteritur corde, et tamen his ipsis diebus ... Habitus vere catena ferrea ... exemplum mortuorum quos Christus Dominus suscitavit, et inter eos Lazari ... Vade nunc et dic: Confitebor ... interea ... ut aqua per tectum stil-

lans ... Quo plus peccatorum, eo plus virium habet daemon ... Exemplum habituati in morte ... Panis est durus ... sed ...

Conclusio ... Adhortatio ad frequentanda exercitia ...

III. — DE PROPOSITO.

Ingressus. Brevis recapitulatio: Peccata omissionis ... parentum ... cogitationum ... laquei daemonis ... Contritio .... repetitur consilium de excitanda contritione singulis vesperis.

1. *Necessitas propositi* ... Non omnis dolor salutaris ... exemplum Iudae proditoris ... hoc solum ut agnoscatis non omnem dolorem esse verum; debet adesse propositum numquam amplius ... Natura ipsa docet ... puer placaturus offensum patrem, semper promittit ... sed Deo promittere verbis non sufficit. Deus intuetur cor. Debet ergo adesse vera resolutio, numquam omnino ... Forsan non unus vestrum miratur ... putabat totum in hoc consistere quod certis temporibus numerum peccatorum suorum exponeret confessario ... Impuritas ista a quanto iam tempore? ... Tot sunt anni; sed semper confessus sum ... Quid? ... valde me angit ... semper confessus es! .. sed an semper habuisti propositum numquam ..? Vos ergo putatis sufficere si rationem peccatorum exhibeatis identidem, ut ea confessarius deleat, et vos tum nova congeratis! .. si impletum peccatis saccum evacuetis iterum impleturi! .. Putatisne confessionem esse aliquod tributum pro peccato solvendum, nihil plus? ..

Non ita est. Confessio bona non est sine conversione ad Deum ... Talisne vestra semper fuit? .. Tamen potest esse propositum bonum cum timore relapsus. Qui ex gravi morbo convalescit, timet relabi ... habet tamen certe voluntatem non relabendi ... Sic et peccator potest timere et tamen bonum habere propositum ... Immo vos habituati peccatores praesertim, timete! .. Sed quid facit convalescens qui timet relapsum? .. Cautus est ... vitam ... servat praescripta medici; sic ergo et vos facite ... et propositum, licet cum timore coniunctum, erit tamen bonum ...

2. *Signa* ... Non omnis relapsus signum est defectus propositi ... Quando videlicet non tam saepe ... non tam facile ... non statim ... non sine resistentia facta, et adhibitis mediis ad non relabendum ... bona spes ... Sed qui aeque saepe, vel etiam saepius ... si media non adhibeantur ... etiamsi millies dicat se nolle amplius, non credam ... Quare? .. Domus ardet, et dominus domus sedet quietus, et ad ignem ardentis domus se calefacit: an credis eum velle ignem exstingui! .. Ecce .. Mulier vidua brevi post funus mariti ad alteras transit nuptias; putabisne eam valde tristem fuisse?.. Ecce, peccatores, vos sta-

tim reditis ad priora, quae modo deflevistis... nec remedia adhibetis... Propterea communis opinio, malas confessiones praecipue fieri ob defectum propositi...

3. *Qualitates*... Debet ergo esse propositum:

a) *Verum*... Numquam... Putant aliqui, sicut *omnia tempus habent,* ut ait Sapiens, ita peccatum habere tempus *Eccl. 3, 1.* suum, ex. gr., in Paschate, in bacchanalibus... in nuptiis... non... non...

b) *Universale*... Nullum peccatum grave... Quidam alia corrigunt, sed unum, non... est ipsorum praedilectum peccatum... At unum peccatum sine altero non remittitur.... Si de uno gravi non vis te emendare, nullum condonatur: *Qui offendat in uno, factus est omnium reus*... *Iac. 2, 10.*

c) *Absolutum,* non conditionatum... si habeam modum vivendi, si nemo cogat... Dicis: malo millies mori, et postea non potes vel gravem vultum ferre... minima times... De pane sollicitum esse et propterea peccare... hoc est confidere daemoni plus quam Deo... *Quaerite primum regnum Dei*... *Mth. 6, 33.* Ille qui pascit corvos num te deseret? praesertim lucra mala ob eius servitium deserentem?.. Sed quomodo potero promittere ego, me numquam illud peccatum grave amplius commissurum? Quomodo hoc possum sperare?... Si tuum hoc esset solius... sed non tu, *gratia autem Dei tecum*... S. Augustinus *1 Cor. 15, 10.* potuit... S. Magdalena, S. Margarita de Cortona... tot alii etiam non tam extraordinariis gratiis... Norunt hoc confessarii... habete spem, fratres mei peccatores... cum bona voluntate, cum consilio directoris, et praesertim cum gratia Dei, quam per bonam confessionem acquiretis,...

Conclusio... *De respectu humano.*

1. *Est crimen*... quia servus Domino praefertur.

2. *Damna*... Perdit famam, est vir sine charactere. Est servus omnium... non dicit, ut S. Paulus: *Domine, quid me vis facere,* sed cuivis hoc dicit... Se damnat... *Act. 9, 6.*

IV. — DE OCCASIONIBUS PROXIMIS.

Ingressus... per aliquam recapitulationem de peccatis omissionis, praesertim parentum... scandali... De dolore perfecto saepe eliciendo... De proposito universali, ut numquam...

Nunc ergo dicet aliquis: dolore necesse est, doleo; proponendum serio, propono... Ergone aliquid ultra requiritur? Haec est materia huius instructionis, quae concludet praeparationem ad confessionem...

Non sufficit ergo propositum generale vitandi peccatum,

sed hoc propositum se extendere debet ad occasiones peccandi... Nisi hoc fiat, nec verum erit propositum... itaque dolor etiam fictus, et confessio fiet nulla vel sacrilega... Attendite ergo bene, non solum qui indigetis iam, sed etiam qui non indigetis, ne umquam indigeatis... Ergo...

1. *Occasio duplex* est: remota et proxima... Remota in qua raro... proxima, in qua saepe peccatur... Explanatio per exempla: ex. gr., conversatio, domus, ludus, taberna, societas... si raro, occasio remota; si saepe aut fere semper, occasio proxima.

2. Iam de occasione *remota,* consilium est vitandi... deserendi... Quare?... praesertim ne tandem fiat proxima... Sed de occasione *proxima,* praeceptum est vitandi... deserendi... Quare?... quia qui talem occasionem non vitat, eo ipso vult peccatum... Temeraria est praesumptio qua promittit sibi se non peccaturum, cum toties expertus sit nihil iuvare propositum... Tali homini ergo non sufficit proponere sibi non peccare, sed proponere debet se deserturum illam occasionem et, si in eius potestate est, debet prius deserere; nam manere in occasione, iam per se est peccatum.

Mira caecitas!.. Equus et mulus prudentiores sunt ad conservandam vitam, quam homines multi in vita animae servanda... Equus et mulus si transeuntes per fractum pontem ceciderint, numquam amplius volunt transire, nisi prius refectus sit; quo magis urgeas, percutias, eo magis retrocedunt... at homo toties expertus... tamen... Talis stultitia in rebus salutis solum... Si per viam aliquam periculosam vel per scalas ascendens prolapsus esses, et crus vel brachium tibi fregisses, non hoc faceres propositum, non amplius te velle cadere, sed illud non amplius illuc ascendendi, si vel ascendere non sit necesse, vel alia via, aut gradus alii commodiores vel tutiores sint... Sed in rebus salutis solis mira stupiditas...

Exempla: ...vir... iuvenis... puella... femina.. (de singulis dicendum qua in occasione sint et maneant peccantes) interea confitentur et pergunt peccare, et si inveniunt semper confessarios, qui dent absolutionem... O confessiones!.. O absolutiones!...

Dicet aliquis:.. fortasse verum est quod dicis... sed tamen valde severa est haec doctrina. Ego semper confessus sum, nec a me quidquam aliud requirebat confessarius, quam an dolerem... et ultra nihil... et absolvebat me: ergo quae dicis de occasione, videntur esse scrupulus... Audite ergo non esse scrupulum, sed doctrinam Ecclesiae... Damnata est ab Innocentio XI propositio: *Posse absolvi, qui sit in occasione proxima, qui cum possit eam deserere, nolit, immo eam quaerat potius.* Exemplum: Iuvenis frequentat... posset illam deserere... nam si...

Puella servit alicui domino ... et ... Posset deserere ... nam, si male tractaretur ... non solveretur, certe desereret ... illa vero non vult, manet ...

Vir habet ad servitium suum aliquam viduam, .. Posset eam expellere ... nam si illa furaretur ... si damnum in re familiari faceret, certe ...; ille vero non vult, retinet ... (Alia exempla possunt addi, prout exigunt circumstantiae auditorum) Videtis ergo non esse scrupulum ...

Quomodo ergo *tales absolvuntur?* Duae causae, altera contra me, altera contra vos:

1. *Non omnes confessarii faciunt officium suum.* Sunt, qui nihil umquam interrogent, nihil examinent, ... Sic non cognoscunt statum poenitentis ... Medicus quam multa solet interrogare ... certe si nihil interrogaret, putaretis non esse aptum, qui vel equum curaret ... Ecce confessarius medicus spiritualis est, debet saepe interrogare ... Itaque hoc non sit vobis grave ...

2. *Poenitentes non clare dicunt statum suum.* Quae ex habitu, quae ex occasione proxima acta sunt, dicunt quasi accidissent casu, et quaerunt semper alium et alium confessarium... (Monita hac super re ... et ut stabilem habeant confessarium. Simile medici stabilis praesertim in valetudinario ... vel graviter aegrotanti ...).

Itaque unusquisque priusquam ad confessionem ..., inquirat apud se, sitne in occasione ... quae causa sit ... *Si oculus ... si manus scandalizat te* ... (explicandum hoc praecep- *Mth. 5, 29.*
tum Christi ... in hoc consistere illam victoriam sui: *regnum* *Mth. 11, 12.*
caelorum vim patitur, etc.).

Sed ego non possum, sum filius, filia ... domum deserere non possum, personam illam removere non est in mea potestate. Ergo mihi non erit salus?

a) Tristis conditio! sed quis in culpa? Si non fuisses tam liber ... si ... non esses nunc tam infelix ... Videte vos, qui nondum estis in occasione, vel qui solam occasionem remotam habetis, et vobis cavete ...

b) Quid tamen tibi faciendum? Curandum ergo ut ista occasio ex proxima fiat remota ... (Media ad hoc proponantur).

Concludatur gravi exhortatione, ut vincant se occasionarii, quia, nisi ..., nihil iuvabunt omnia ... Confessionem facient malam... et in ipso hoc tempore salutis, ipsi damnationem ...

V. — DE CONFESSIONE.

Ingressus ... per recapitulationem: 1. Dolor perfectus ... in mortis articulo ab omnibus procurandus, sed sine frequenti usu quasi impossibile ... 2. Occasiones ... multae confessiones

malae ob huius rei defectum... Nunc de ipsa confessione, sive de accusatione sui. O quam multi iterum errores in hoc...

Confessio debet esse integra, sincera, humilis, expedita.

I. *Integra*... Consistit in hoc, ut omnia peccata mortalia, et de quibus dubitatur an sint mortalia... Non exspectandum donec confessarius interroget, sed ipse poenitens debet dicere... Notum est... matres puerulos suos hoc docent... Sed quam multi ob pudorem fuere qui peregrinationes instituerent, ut alibi confiterentur, et tamen non..., fuere, qui aliquoties moribundi... non tamen dixerunt... ut quidam Romae, qui duodecies extremis Sacramentis fuerat munitus, et semper sacrilege!... Estne inter vos aliquis qui talem pudorem..? Quid ergo?... vel confitendum, vel ardendum... Non vis confiteri, etiamsi... non est tibi salus, peribis... ut mulier parturiens, nisi pariat, perire debet... ita tu nisi... Et quare pudet confiteri uni homini, peccatori, qui forte plus peccavit, certe peccare potuit, qui multa iam peiora audivit... Nonne vides meram esse diaboli fraudem? Non puduit peccare... Tunc dicebat: nihil est... nunc exaggerat..., et tamen confiteri ignominia non est, immo gloria, etiam apud confessarium... Non mirantur aliquem peccasse,... norunt quid sit caro, et quam boni Domini vices gerant...; nihil illis iucundius quam magnum peccatorem posse cum Deo reconciliare... Denique vel vis aliquando, vel numquam... Si aliquando, cur non potius nunc?... Si differs, si retices, erit postea difficilius... Quaere confessarium, cui sis plane ignotus; dic statim: Pater, habeo... sed non audeo... Ora Beatam Virginem, ut det tibi hanc fortitudinem... O quam eris contentus!... (Haec acriter, vehementer, simul ostendendo magnum amorem et commiserationem.., ut intelligant se benignissime exceptos fore).

Addenda etiam hoc loco duo monita:

1. *De peccatis pueritiae*... Ignorantia non semper excusat. Ipsi pueri bene sentiunt non licere, ideo se abscondunt... Puer octo annorum damnatus... Consilium est ut semel nunc confiteantur... eo ipso quod recordentur, fundatum est dubium de sufficienti cognitione...

2. *De confessione generali.* Haec quibusdam est noxia, quibusdam utilis, quibusdam denique omnino necessaria...

a) *Noxia* illis qui numquam sunt quieti, licet iam fecerint, et non semel fecerint, et confessarius dicat non esse necessarium; volunt tamen semper... Debent oboedire... alias numquam habebunt pacem... illas inquietudines repellere, ut alias malas cogitationes... nam a daemone...

b) *Utilis* multis ad securitatem, ad emendationem.... Sicut qui novam vestem induit... contra qui in laceris vesti-

bus incedit, nihil curat... ita... Opportuna etiam ad verum dolorem, quia tam multa peccata simul valde movent...

c) *Necessaria* male confessis, habituatis, qui non deserunt occasiones, non restituunt cum possint,... semper eadem spurcitia... eadem scandala... easdem inimicitias... His dicam sine haesitatione, et non errabo: non habuistis dolorem. Quid ergo erant vestrae confessiones?...

II. *Sincera*... Quorumdam tota praeparatio in hoc consistit, ut quam optime peccata verbis involvant... Quae facta sunt ex habitu, dicunt quasi rara... quae ex plena malitia, quasi casu accidissent... quae gravissima, uno verbo innuunt, et sub uno verbo longas peccatorum series... (Exempla: Fui in occasione... et nihil de pravis desideriis, de conversatione inhonesta... de... de... Iocatus sum, et nihil de... Fui vana in ornatu.. et nihil de scandalis, de intentione... Immodestus in ecclesia, et nihil de turpibus aspectibus, cogitationibus... Habui dubia de fide, et nihil de pravis colloquiis, de libris... Non curavi bene educare filios, et nihil de scandalis, de licentia quam dat liberis...) Videtis ita facillime fieri, ut confessarius non intelligat... nam non est propheta... et si non intelligit, et vos de industria sic... quid talis confessio?... Ergo, prout in corde sentitis, sincere... Confessarius iudex est, medicus est; non potest... nisi bene cognoscat...

III. *Humilis*... Ut rei venire debent...

1. *Aliqui se laudant*... virtutes dicunt... cum debeant dicere peccata... veniunt ornatae... ante alios primum locum appetunt... Etiam qui non habent gravia peccata, debent et dolere et audire patienter et humiliter monita...

2. *Accusant se quasi nullo sensu*... O quantum tormentum! Non peccata angunt confessarios, sed quod talia peccata sine humilitatis ac doloris sensu proferantur, quasi historiae indifferentes...

3. *Defendunt,* excusant, proiciunt culpam in alios, mulier in virum, vir in mulierem, parentes in liberos, servi in dominos, aliqui in naturam suam, et quodammodo in Deum... veri filii Adam, qui etiam in uxorem quam a Deo... Mea culpa, dicere debetis (Bene quidam confessarius mulieri: pro peccatis tuis ter Pater et Ave Maria, pro peccatis mariti, duodecies ieiunabis)...

IV. *Expedita*... 1. Ut non omnia exquiri debeant a confessario... Quoties?... an deliberate?.. An habuisti complacentiam?.. ipsi dicite... 2. Ne dicant: semel sic... et postea iterum... iterum... etiam... Sed simul numerum dicant. Toties... 3. Ne dicant circumstantias inutiles... peccata dicenda sunt, aliud nihil... 3. Incipiant a gravioribus, ut et diabolum vincant, ne umquam vel spem habeat illuden-

di... et leviorem faciant rem confessario, qui ab initio confessionis minus fatigatus est... (Hoc praesertim de confessionibus generalibus).

Conclusio huius doctrinae de confessione: ergo conentur nunc talem facere confessionem, ut postea possint dicere: feci omnia quae sciebam Deum requirere... O quantum solatium!.. Omnia quae possunt impedire absolutionis beneficium removeant, inimicitias, bona aliena, occasiones...

VI. — POST MEDITATIONEM DE INFERNO.

Ingressus... 1. *Quis ex nobis potest damnari?*... Omnes, nisi misericordia Dei et conatus serius... Nec ego nec vos tuti... Christus iubet Apostolos timere... Apostoli ipsi et Sancti etiam timebant... Nemo est qui non possit... angeli in caelo... homines in paradiso... Peccasti, peccare adhuc potes... mox... tam facile... Ergo *cum metu et tremore*...
Phil. 2, 12. *sollicitus ambulare cum Deo tuo*... *beatus homo qui semper*
Mich. 6, 8. *est pavidus... stultus transilit et confidit*... Ille maxime timere debet qui meruit... et tamen non timet...

Prov. 28, 14; 14, 6. 2. *Quis ex nobis damnabiur?* *a*) Satis non est, bonum habere nomen, bene natum esse... Sed iam scitis... *b*) *Multi*
Mth. 22, 14. *vocati*... hinc maior pars adultorum... certe magna pars... Si dimidium esset damnandum... si unus ex nobis (S. Bonaventura)... felix nuntius si non pro me (S. Simon Stylita)...

3. *Quid ergo nunc, cum non unus, sed plures?*... *a*) Multi etiam nunc insensibiles... *b*) faciunt bonam confessionem sed brevi... *c*) diutius quidem, sed... *d*) pauci constantes... Multi in inferno nunc, qui et recollectiones fecerunt et ferventius quam vos... et confraternitatibus adscripti... et tamen....
Mth. 7, 13. quia *lata porta et spatiosa via*..., cursum fluminis secuti sunt... Ceterum, peccator, quantumvis magnus, numquam desperet... nec iustus qui sibi videtur... praesumat... De reliquo, nemo nisi ex sua culpa peribit... Deus vult omnes... tanta fecit... nec ideo pauci electi, quia Christus praedixit, sed ideo praedixit quia...

4. *Qui damnabitur, pro quo peccato damnabitur?* Varia quisque committit... damnabitur quisque pro suo peccato...
Io. 8. 21. *In peccato vestro moriemini*... si grave... si leve... si libere... si voluntarie, semper periculosum valde (S. Theresia)... Excessus habitualis in potu licet exiguus... inoboedientia... occasiones...

5. *Qua via in infernum?*... Non loquar de aperta... de evidenti via perditionis... loquor de via occulta, insidiosa, perfida... Sibi satisfacere, iucunde... Ergo victoria sui... heroicis actibus, si quid difficile occurrit.

6. *Qua via hactenus ivistis?* Nisi ad praxim... nihil iuvat considerasse... Gradibus in caelum ascendendum est... qui te creavit sine te non salvabit sine te... Non tam facile... Vive cum paucis, si vis regnare cum paucis.

VII. — PRO IUVENIBUS ET PUELLIS.

Ingressus... Quis ex vobis non habet officia?..

1. *Erga Deum... Memento creatoris tui in diebus iuventutis tuae*... Facile obliviscuntur... et tamen in diebus iuventutis ponuntur fundamenta felicitatis vel infelicitatis temporalis et aeternae... *Deum time et mandata eius observa: hoc est enim omnis homo*... *Eccl. 12, 1.* *Eccl. 12, 13.*

2. *Erga parentes vel dominos*... *a*) Erga parentes: amor, reverentia, oboedientia... maledicto Dei vel benedictio... saepe cum ad certam aetatem pervenerint iuvenes et puellae, existimantes se patri, matri nec reverentiam nec oboedientiam amplius debere, verbis, factis parentes offendunt... Sed heu quanta Dei maledicta sibi attrahunt!.. Exemplum Esau... et illius, qui cum patrem suum Noë... Exemplum boni filii, Tobiae, Raguelis,... etc.... (Vide haec omnia in libro Tobiae)... *b*) Erga dominos: fidelitas... ne furta committant..

3. *Erga seipsos*... praesertim de castitate... de occasionibus fugiendis... de vestitu... Puellae, iuvenes, ... tales... ut daemones horreant... Exemplum ex libro Tobiae... Ex peccatis ante matrimonium commissis infelicissima matrimonia...

VIII. — PRO MULIERIBUS.

Erga maritum: fides coniugalis et oboedientia... patientia in eius defectibus... *sui corporis potestatem non habet.* *1 Cor. 7, 4.*

Erga liberos. Liberi finis matrimonii... Contra eos qui timent paupertatem et ideo... Gravidae quid observandum... Quid cum parvulis, ne suffocentur in lecto... ne defectus acquirant... cura pro salute animae et corporis... S. Monica... patientia... puniendi pueri, non maledicendi... Maledictio matris quam funesta... Exemplum ex S. Augustino... de filiabus praesertim cautela circa vestes... laqueos animarum...

IX. — PRO VIRIS.

Erga uxorem... Viri, diligite... patientia... Iob... (non omnia licere in matrimonio... Ex S. Brigitta... multos esse damnatos coniugatos...) *Non habent potestatem sui corporis* *Eph. 5, 25.*
In absentia uxoris quid?

Erga familiam... Ne potando, maledicendo... pravis exemplis noceant... Ne cupiditate colligendi pecunias maledicta in domum inducant...

Erga liberos... Liberi finis matrimonii... Contra eos qui impediunt conceptum... qui male tractant mulieres gravidas... Educatio... Exemplum Patriarcharum... Tobiae...

PARABOLA FILII PRODIGI...

Nota in ista parabola: 1. Malam agendi rationem filii prodigi... 2. Miserias, in quas inducit... 3. Modum, quo conversus est... 4. Modum, quo receptus fuit... Vel: 1. Unde discessit.. 2. Quo.. 3. Quare... 4. Quo devenit.. Vel: 1. Statum peccati... 2. Statum poenitentiae... 3. Statum reconciliationis..

INSTRUCTIONES CIRCA MANDATA

EXPOSITIO PRIMI MANDATI

I. - DE FIDE, SPE, CARITATE.

Ego sum Dominus Deus tus... non habebis Deos alienos
Ex. 20, 3. *coram me...*

Dominus habet dominium plenum in rem suam... Deus est ens primum a quo omnia... Reverentia et oboedientia ei debetur ab omnibus inferioribus... Creator iure exigit servitium, etiam nulla proposita mercede. Sed Deus non hoc rigore nobiscum egit... Pater est... vult diligi filialiter. Si diligimus vere, omnem legem implevimus... Ideo primum mandatum est amoris super omnia... hinc:

1. *Prohibet* omnem idolatriam proprie dictam... improprie dictam, scilicet omnem adhaesionem cordis cuipiam creaturae, ita ut haec a nobis Deo praeferatur... Prohibet proin superbiam qua nosmetipsos Deo praeferimus aut aequales ponimus. (Peccatum Luciferi. Peccatum impii qui se a Deo ponit independentem... ut finem creaturarum, referens omnes ad se, quin se ipsum referat ad Deum). Avaritiam, *quae est*

idolorum servitus (S. Paulus). Intemperantiam... *quorum Deus venter est* (S. Paulus). Amorem sensualem et lascivum proximi... quo Dei locum in corde amantis occupat vilis creatura... Gal. 5, 20. Phil. 3, 19.

2. *Imperat* cultum veri Dei... cultum mentis et corporis... internum et externum. Finis enim Religionis est agnoscere et profiteri supremum... Dei in res omnes dominium... Quia homo in praesenti statu prodit interna per externa... quia interna per externa nutriuntur... (ideo qui cultum externum contemnunt, nec internum curant...) quia societas humana etiam ut societas debet cognoscere Deum ut suum Auctorem ac Dominum per cultum socialem, qui externus est... (digressio in curam templorum... ordinis publici et politicae religiosae...) Anima autem cultus externi est interna sincera devotio, quae se potissimum exserit per actus virtutum theologicarum... Fidei... Spei... Caritatis.

a) *Fides* virtus est qua firmiter credimus vera esse omnia quae nobis a Deo per Ecclesiam Catholicam revelata sunt, *Sine fide impossibile est placere Deo*... Ratio est, quia sine subordinatione primae in nobis facultatis, quae omnes alias dirigit, non possumus recte dirigi a Deo ad finem...; quia maxime iniuriosum est Deo ipsi credere nolle... Hebr. 11, 6.

Excludit proin non solum haeresim, sed omnem voluntariam dubitationem. Peccant igitur qui se exponunt periculo erroris aut dubii contra fidem... conversando cum haereticis... incredulis... legendo malos libros, negligendo doctrinam christianam... nimis fidendo sibi et scrutando mysteria.... Norint nos tum solum de Deo recte sentire, cum credamus Deum esse supra id quod de eo cogitatione assequi possimus (S. Thomas). Eum multo plura et altiora facere posse quam nos possimus intelligere (S. Augustinus). Haec porro fidei simplicitas est omnino rationabilis; nam certitudo omnium dogmatum Catholicorum huic innititur argumento. Quidquid Deus revelavit verum est; atqui revelavit singula quae Ecclesia Catholica credenda proponit, ergo ea omnia vera sunt... Maior est evidens... Minorem probant Theologi quoad singula puncta criteriis irrecusabilibus, quibus omnia facta historica probantur... Haec porro fides est summe utilis... Haec.... orbem terrarum mutavit (Potest comparari coram doctis status praesens generis humani cum eo qui fuit ante Christum)... Haec docet singulos, qua via ad Deum tendere debeant... (comparatio hominis in hac vita cum homine viatore, qui de nocte in silva longinquum conspicit lumen)... Haec docet Deum esse nostrum principium, nostrum finem, nostram unicam veram beatitudinem... res creatas esse tantum media... omnes habere tantum pretium quantum nos iuvent... tribulationes esse summi pretii... Haec nos docet quanto amore

nos Deus prosequatur... qua Providentia nos curet... Haec viatori praemonstrat patriam in caelo... militi coronam.... *Hebr. 11, 1.* *Fides enim est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

b) *Spes* virtus est qua impellimur ad tendendum ad Deum, ut nobis aliquando possidendum, et qua ab eius fidelitate et bonitate, propter Christi merita, firmiter exspectamus gratias et auxilia ad id necessaria...

Excludit praesumptionem... desperationem... Spes autem recte ordinata docet contemnere mundum mundanaque omnia... Intime persuadet nos *non habere hic manentem* *Hebr. 13, 14.* *civitatem, sed futuram inquirere*... Solatur nos in miseriis praesentibus affectu futurorum bonorum... Vires dat ad currendum alacri passu, quia anhelat possidere bonum summum *Rom, 5, 5.* in caelo... *Spes autem non confundit*... neque iustum, qui filius Dei est, ac proin heres per repromissionem... promissiones autem Dei firmae sunt... neque peccatorem, quia Deus pater infinite bonus... Hunc amorem monstravit: creando... licet praevideret omnem creaturarum abusum... peccatoris ingratitudinem; redimendo... licet praevideret omnem abusum bonorum redemptionis; conservando, ad hanc usque horam, non obstante peccatoris obstinatione in malo. Deus promisit veniam omni poenitenti... promisit se peccatorum tuorum obliturum in aeternum... ipse pater filii prodigi est... ipse bonus ovium pastor... ipse pepercit Petro... Magdalenae.... adulterae... tortoribus... latroni... ipse pro te exspiravit in cruce sitiens tuam salutem.

c) *Caritas* virtus est qua Deum ut summum bonum super omnia amamus (bonum summum sive in se, sive relate ad nos: si ametur ut est in se summum bonum, est amor purae benevolentiae; si ut summum bonum relate ad nos, est amor concupiscentiae; si ut summum bonum et in se et relate ad nos, est amor amicitiae)...

Excludit proin tum odium formale Dei (quod est peccatum diaboli)... tum odium relativum et secundum quid (quod facit peccator vehementer addictus passioni,... horret Deum ut oppositum passioni suae... ut obtentu arduum... ut vindicem... et proin optat Deum non esse... *dixit in corde suo: non est Deus,* quia scilicet peccator *abominabilis factus est* *Ps. 13, 1.* *in viis suis*... hinc communis origo incredulitatis)... tum odium materiale (quod in se includit quodvis peccatum, utpote aversio a Deo et conversio ad creaturas... impedit adhaesionem cordis... desiderium illum possidendi... praeferentiam super omnem creaturam)...

Motiva sunt infinita Dei in se perfectio, quae fons est omnis boni... pulchri... veri in creaturis... omnis amabilitatis... Dei infinita in nos bonitas qua nos creat... confert

omnia quae habemus ... conservat ... laborat in toto universo pro nobis ... redemit ... *se nascens dedit socium ... convescens in edulium ... moriens in pretium ... regnans in praemium ...*

II. - DE ORATIONE.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil... Io. 1, 3.

Deus omnia operatus est per Verbum suum, quia in ipso cognoscit se et omnia reliqua ... Illo Verbo prolato exterius in creatione condidit caelum et terram, et constituit novum rerum ordinem, ordinem supernaturalem ... Verba autem prolata a Verbo Dei ad creaturam optime applicari possunt verbo prolato a creatura ad Deum; videlicet orationi, per quam creatura obtinet a Deo omnia, et sine qua nihil ... Itaque videbitis:

I. *Necessitatem* ... De fide est nos sine gratia nihil posse aeternae vitae meritorium operari ... *Sine me nihil potestis facere ...* Io. 15, 5. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est ...* 2 Cor. 3, 5. *Palmes nisi in vite manserit, nullum potest ferre fructum...* Io. 15, 4. Atqui succus circulans inter vitem et palmitem, atque hunc fecundans, est gratia Dei; eius vero canalis est oratio hominis ... quia gratia, sine qua nihil possumus, providentia ordinaria statuitur a Deo danda tantum oranti ... *Petite et accipietis ...* Io. 16, 24. Ergo per accidens fit quod quis accipiat quin petat ... inveniat quin quaerat ... Salutem suam casui fortuito committere, est temerarium ... contrarium caritati quam nobis debemus ... contrarium fini creationis nostrae, qui alius non est quam salutem nostram operari ... Servus qui nonnisi fortuito praestat quod sibi commissum est, gravem meretur poenam ... Ideo monet Christus: *Oportet semper orare ...* Luc. 18, 1. Gratia proin orationis semper adest, quia Christus impossibilia non iubet ... Praxis autem orationis continuae haec est, ut pura intentione servemus mentem nostram semper unitam Deo ... et hanc puram intentionem eliciamus mane ... renovemus per diem ... foveamus per orationes iaculatorias ... omnia demum in nomine Iesu Christi faciamus.

II. *Efficaciam* ... Per orationem omnia obtinentur; nam:

1. *Oratio* per se et *directe salutem obtinet,* et implet finem hominis ... In ea enim agnoscimus Deum ... eius attributa... veneramur ... laudamus ... servimus ... per eam unimur Deo, ut instrumentum artifici ...

2. *Operatur indirecte,* obtinendo gratias et perseverantiam finalem ... Deus enim tenetur:

a) *Ex fidelitate,* quia promisit: *Petite et accipietis ....*

b) Ex iustitia, quia Christus promeruit: *Quodcumque*
Io. 14, 13. *petieritis Patrem in nomine meo...*

Luc. 11, 13. *c) Ex bonitate,... Si vos cum sitis mali...* Bonitas Dei non resistit orationi (Exemplum Dei deprecantis Moysen, ne oret pro populo). Oratione Iosue sistit sol... oratione S. Gregorii Thaumaturgi transfertur mons... Deus exaudit *pullos*
Ps. 146, 9. *corvorum invocantes eum...* providet omnibus creaturis.... Quomodo ergo nos non exaudiret?..

III. *Conditiones... Petitis et non accipitis, eo quod male*
Iac. 4, 3. *petatis...*

1. *Petimus saepe noxia* saluti nostrae... divitias... sanitatem... honores... Sed non petitur in nomine Salvatoris quidquid est in detrimentum salutis (S. Aug.). Misericordia est in talibus non exaudiri... Tunc nobis dat Deus contrarium iis quæ petimus... (Mater ita agit cum filio aegrotante)...

2. *Volumus obtinere bona modo nobis contrario...* Vellemus salvi fieri, sed sine labore; quasi Elias curru vehi in caelum; vellemus esse casti, licet immodesti, licet occasiones frequentemus... id demum est tentare Deum... Fac quod in te est, et quod non potes a Deo pete... non tu, sed gratia Dei tecum...

4. *Qualitates* sunt quatuor:

a) Humilitas interior... exterior... luxus in vestibus... mendicus ad ianuam... pharisaeus et publicanus...

b) Attentio... saepe nos non audimus... circumspicitur, crisis exercetur in alios...

c) Fiducia... Nostra diffidentia iniuriosa est fidelitati Dei et meritis Christi...

d) Perseverantia... Vult Deus nos aestimare gratias... promereri oratione... nostram salutem operari orando... Delectatur nostris precibus, ut mater precibus filii...

Petamus spiritum orationis, eum foveamus... Preces matutinae... vespertinae... iaculatoriae... Visitationes Sanctissimi... Rosarium etc...

III. - DE VERBO DEI AUDIENDO.

Luc. 5, 1. *Cum turbae irruerent in Iesum, ut audirent Verbum Dei...*

Pulchrum contemplari turbas tam avide audientes Iesum, ut ipse debuerit ascendere naviculam... Pulchrum contemplari Iesum solum in cymba, littus et montem refertum audientibus et aegrotis... Pulchrum videre turbam, omnium immemorem, sequentem Iesum in desertum per plures dies. *Non*
Mth. 4, 4. *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Digni tales qui miraculose reficiantur cibo corporali.

sed hodie, quae tanta frigiditas ad verbum Dei? Nonne idem est, nonne et eadem indigentia, nonne et eadem eius efficacia? Immo eadem est dignitas, necessitas, efficacia.

1. *Dignitas. a) Ex eodem fonte manat ac praedicatio Christi.* Verbum Ecclesiae catholicae est aeque verbum Dei. Ipse enim Christus fundavit Ecclesiam et illi commendavit opus suum continuandum ac perficiendum. Pastoribus dixit: *Sicut misit me... euntes ergo... - Ecce ego vobiscum sum... - Qui vos audit, me audit... - Qui Ecclesiam contemnit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus... Qui non receperint vos... remissius erit Tyro et Sidoni... Sic nos existimet homo ut ministros Christi. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* *Io. 20. 21. Mth. 20, 20. Luc. 10, 16. Mth. 18, 17. Luc. 9, 5; 10, 14.*

b) Idem docet ac Christus praedicatio Ecclesiae Catholicae. Christus enim volens *omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire,* mandavit Apostolis et eorum successoribus, ut doceant omnes homines *servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Ergo debuit providere ut purum servaretur depositum. Et revera *ecce ego vobiscum sum...* per praesentiam... per Spiritum Sanctum qui cum Ecclesia *maneat in aeternum et doceat omnem veritatem...* ac proinde infallibilitatem donavit et *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* *1 Cor. 4, 1. 2 Cor. 5, 20. 1 Tim. 2, 4. Mth. 28, 20. Io. 14, 16. Mth. 16, 18.*

Ecclesia autem pascit ac tutatur particulares coetus per particulares pastores, quorum doctrinae invigilat, et qui invicem consentiunt in eodem verbo Dei nuntiando. Hinc praedicator nuntiat verbum Ecclesiae, Ecclesia Christi, Christus Dei... Quanta ergo reverentia!... Deus loquitur, et vermis timet ne audiendo cum plebe confundatur!... Deus loquitur, et ab histrione irridetur... Deus loquitur, et ut ad spectaculum accedit auditor, ut nova et delectabilia... ut videat et videatur... ut occidat immodestia, oculis, luxu... perdat animas coram Deo loquente et vidente... Deus loquitur, et auditur ut phraseologus... Deus loquitur, et exprobratur instrumento aliquis defectus linguae... Deus loquitur, et mundani qui suas passiones vel ipsi fonti omnis veritatis et sanctitatis probari cuperent, prae nausea et taedio exclamant: *Durus est hic sermo... Nolentes audire legem Dei,... et ad sua desideria coarcervabunt sibi magistros.* ... qui vos in errorem... Accedite igitur ad evangelicam praedicationem cum magna reverentia... submissione et studio... *Io. 6, 61. 2 Tim. 4, 3.*

2. *Necessitas. a) Cibus.* Vita in nobis duplex, corporis et animae.... nutrimentum corporis, materiale; cibus animae est verbum Dei. Bruto sufficit materiale... *homo non vivit in solo pane, sed...* Si tota hebdomada corpus nutrimus, numquid animae non saltem hoc tempore providebimus?... *Mth. 4, 4.*

b) Via. Finis huius vitae nostrae, quae est peregrinatio

paucorum dierum et malorum, est ut perveniamus ad vitam
Hebr. 13, 14. aeternam: *Non enim habemus hic manentem civitatem; sed futuram inquirimus.* Atqui *verbum Dei est lucerna pedibus*
Ps. 118, 105. *meis.* Eodem ergo studio, quo viator in patriam revertens sequitur lumen, ita et nos...

c) *Disciplina.* Vita praesens est schola praeliminaris, in qua ex fide debemus addiscere principia altissimae veritatis, nempe cognitionis Dei (comparatio cum puero sequente ma-
1 Cor. 13, 12. gistrum et illi fidente). *Videmus hic per speculum et in aenigmate*... Per fidem solam ambulamus... *Sine fide impossibile*
Hebr. 11, 6. *est placere Deo.* Iamvero fides ex auditu: *quomodo credent*
Rom. 10, 4. *ei quem non audierunt?* et quomodo placebunt si non credant?

Aliter quidem interdum evenit... sed haec est via ordinaria. Experientia constat, eos qui non frequentent contiones, licet alioquin doctos, scientiae maxime necessariae et excellentis prorsus esse ignaros. Hinc errores pessimi et turpissimi tamquam axiomata in mundo... Hinc impietas, incredulitas... plaga ignarorum aut semidoctorum... Hinc indifferentia, hominem bruto similem reddens et materiale cor, et cervicem ad terram flectens pronam. Vae tibi, *qui ignorat,* nonne etiam *ignorabitur?*.. Nunc proferte excusationem negligentiae vestrae: Satis instructus sum... non suppetit tempus... Omnibus simul dico, *qui ex Deo est, verba Dei audit*... *Oves Christi*
Io. 8, 47; 10, 3. *vocem eius audiunt*... *Propterea vos nos auditis, quia ex Deo non estis.* In silva de nocte si accendas ignem, venient volucres caeli lumine recreatae; sed aufugiet aper, noctua, lupus, vulpes... Ita bonae animae delectantur lumine veritatis, sed horret incredulus, luxuriosus, rapax, avarus, fraudulentus...
Ps. 33, 12. *Venite, filii, audite me timorem Domini docebo vos*... Accedite... Venite, languentes... Audite, mortui...

3. *Efficacia. a*) *Verbum Dei ex se facit quod significat.* Nam verbum Dei est expressio voluntatis eius;... velle autem
Gen. 1, 3. Dei, est efficere. Dixit: *fiat lux, et facta est lux*... *Verbo Domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eo-*
Ps. 32. 6. *rum.* Christus dicit leproso: *volo, mundare*... *et statim mun-*
Luc. 5, 13. *data est lepra eius*... Christus misit Apostolos praedicare verbum... Quae mutatio toto orbe terrarum!... Et hic et nunc missionarii... Quidquid est veritatis, civilisationis in mundo, huic praedicationi tribuatur. Verumtamen haec efficacia

b) *Non est per se nisi pro cooperantibus, aut saltem non resistentibus.* Docet quomodo utendum libertate... movet ad bene utendum... Sed non adimit eam. Itaque frustra audit qui non sibi, sed aliis... qui vim reprimit elidendo remorsus conscientiae... qui suffocat spinis... qui dat statim oblivioni... *qui similis est illi qui consideravit in speculo vultum nativi-*
Iac. 1, 23. *tatis suae, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Servus*
Luc. 12, 47. *autem ille, qui cognovit voluntatem Domini et non fecit,*

vapulabit multis. Simus terra bona, excipientes, foventes, colentes, et fructum trigesimum... centuplum referemus. Qui autem habet verba Dei *et spernit ea, habet qui iudicet eum in novissimo die... Sermo quem locutus sum, ille iudicabit... Qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Qui autem sine lege peccaverunt, sine lege peribunt...* nam *qui non crediderit* (proin qui non audierit), *condemnabitur.*

Io. 12, 40. *Rom. 2, 12, 13.* *Marc. 16, 16.*

IV. - DE CELERI CONVERSIONE.

Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem... *Eccli. 5, 8.*

Omnia invitant hominem ad perpetuo serviendum Deo... omnes creaturae glorificant Deum suo modo... semper servant ordinem a Deo praescriptum, et tamen nullam exspectant mercedem... Homo multo plura a Deo creatore accepit... redemptus a Deo..., pro eo omnia in ordine naturali et supernaturali fiunt a Deo..., in solo Dei servitio potest esse beatus pro tempore et pro aeternitate... Et ipse tamen differt de die in diem, non perpendens illud: *Subito enim veniet ira illius et in tempore vindictae disperdet te...* Differre poenitentiam est: *Eccli. 5, 9.*

1. *Iniustum. a) Erga Deum:* qui solus... te totum... pro se solo... pro toto existentiae tuae tempore... creavit... conservat... nutrit... Quid de servo qui vespere tantum, cum apud alios lucrari nequeat, Domino suo laborat?... Quid de villico qui paleam tantum dare vult?... Animam tuam, corpus tuum in mundi et passionum servitio detrita tradere Deo vis, cum ad aliud nihil amplius inserviant?... Deus habebit reliquias passionum... Satanae!... Os sine carne proicies Deo!... Tali pretio vis mereri aeternam vitam?...

b) Erga animam tuam, quam languere sinis in suis vulneribus, et torqueri remorsibus continuis... Aliter certe curas corpus tuum... tempus perdis lucrandi aeternas divitias..., mercator insanus omnia opera tua, omnes miserias vanas reddis et inutiles... iuxta praecipitium ludis?... Ad crastinum seria!....

2. *Stultum.* Conversio enim semper difficilior: quia passiones semper vehementiores... facultates animae debiliores... conscientia paulatim obmutescit... gratia minor..... praesumptio, abusus bonitatis Dei obturant fontem gratiae... Qui dicit: postea me convertam, dicit aequivalenter: mox ad pedes crucifixi me proiciam, petam veniam, dolebo, sperabo in eum,

amabo eum super omnia, sed nunc potius flagellabo, conspuam, crucifigam ... et ipse debebit esse contentus illa mea bona voluntate, debebit mihi dare gratiam extraordinariam!..

3. *Periculosum.* Potes te semper convertere dum vivis ... sed ...

a) An vives usquedum convertaris? ... An Deus tenetur, ad te evocandum e vita, exspectare usquedum tibi placeat? .. An subitanea morte mori non potes? ... Deus te capillo super abyssum suspensum tenet ... et tu pergis offendere!
Luc. 12, 40. Nonne dixit: *Qua hora non putatis ... veniet sicut fur .. ?*
1 Thess. 5, 2. Annon multiplicatio peccatorum urgebit eum ut te citius avocet? .. Si succidi iussit arborem non ferentem fructus, quid de arbore ferente fructus venenatos? .. Nonne dixit: pecca-
Ps. 54, 24. tores *non dimidiabunt dies suos?* .. Scisne numerum peccatorum quem Deus ferre decrevit? .. Caecus pergens ad praecipitium, ultimo passu, qui non est aliis maior, in illud ...

b) Sed lenta etiamsi morte sis moriturus, ante convertes? .. Nullus est in inferno qui non proposuerit se in hora mortis convertere; et tamen sunt in inferno ... An tu facies exceptionem? Fortasse! .. Poteris absolute, sed an posse tibi sufficit? .. Actu converti te oportet ... Potuisse et non conversum esse ... iusta sane puniendi causa ... Iam vero an te convertes? ... Ad conversionem requiritur ut peccator relinquat peccatum et actu et affectu, ut illud detestetur ex toto corde ... Quomodo tu subito habebis odio id, quod semper unice dilexisti? Peccatum te relinquet, non tu illud ... Vana conversio... Debet homo Deum amare... quomodo amet quem tota vita neglexit, crucifixit... Solus timor eum exagitabit, externa mere doloris eliciet signa, discessura si evanescat morbus ... Conversio Pharaonis ... Antiochi ... *Peccator videbit et irascetur...*
Ps. 111, 10. Iudae ... Quot mortes huiusmodi! .. Vocant sacerdotes ... confitentur, ut honeste sepeliantur .. ut non diffametur familia... Sed in corde ... Bellarmino respondit quidam: *Te vocavi propter uxorem et liberos; ego in infernum descendo* ... Quis nostrum vult ita mori? Ah! resipiscamus ... Aspiciamus Christum de cruce pendentem ... brachiis expansis nos invitat ...
Mth. 11, 28. *Venite ad me omnes qui laboratis* ... tanta pro vobis tuli ... quid mihi rependitis? .. *Quaerens vos sedi lassus ... tantus labor non sit cassus ...*

V. - DE RESPECTU HUMANO.

Gal. 1, 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem ...*

Christus et mundus sibi e diametro opponuntur ... in suis principiis ... in suis praeceptis ... in suis exemplis ... sunt

ergo duo domini plane sibi oppositi... quorum uterque tamen nobis dominari vult... Scimus autem *impossibile esse duobus dominis servire*... Oportet ergo alterutrum eligere, eique plane nos addicere, et in perpetuum... Abnegandus proin omnis respectus humanus: *Si dominus est Deus, sequimini eum... si autem Baal, sequimini illum*... *Mth. 6, 24.* *3 Reg. 18, 21.*

Nihil homini turpius quam claudicare in utramque partem... Nihil molestius... nihil Deo iniuriosius quam alternatim coli et postponi idolo... Ita etiam respectus humanus est:

I. *Homini ignominiosus*... Respectus humanus est inordinatum hominibus placendi desiderium, aut eis displicendi timor... quo impellimur ad bonum agnitum omittendum vel malum faciendum... Atqui...

1. *Verae hominis dignitati e diametro opponitur*... Haec enim consistit in morali libertate et independentia... quae cuilibet permittit suae conscientiae dictamen sequi... Quo quis firmius... quo magis intrepide quis exsequitur quod sibi sua conscientia dictat, eo plus animi et characteris habere dicitur.... eo magis etiam honoratur ab hominibus bonis et malis omnibus... Quis umquam irridere ausus est virum, qui intrepide explet suum officium?.. Quod si pravi homines exterius videantur irridere... num in corde non mirantur... non suspiciunt?.. Quis vero non ex toto corde contemnit vile mancipium, quod ad obtutum hominis nequioris se pallet et contremiscit... quod bonum occultat quasi crimen et malum, repugnante conscientia, aeque timide perpetrat..?

2. *Ostendit valde exiguum iudicium*... Quidquid enim feceris, homines de te male loquentur... Si parcus sis, avarus vocaberis... si sis liberalis, vocaberis prodigus... si condones iniuriam, ignavum te dicent... si vindices, superbum, iracundum, crudelem... si ieiunes, eris hypocrita... si epuleris, intemperans... Quid ergo... tu omnibus placere vis?.. Quare praecipue times displicere improbis?.. Num, ut placeas, tibi claudicandum est cum claudo, balbutiendum cum balbutiente? Ast quid dicent de me, si... si..? Quid dicent? Boni laudabunt ...mali ridebunt fors parumper, tandem tacebunt, mirabuntur... Ast quid dicet mundus?.. Numquid totus mundus sese occupat de te? Nemo cogitat nisi de te?.. O magnum virum! Proh... virum celebrem! Quid dicet imperator Sinensis? Quid cogitabunt Iapones? Quantum strepitum excitabit in universo orbe tua conversio?... Si illam familiaritatem deseras... si sacrum audias... ecce omnia folia publica spargent stupendam novitatem!!.. Oh! cordatum hominem! O virum fortem! Times irrideri ab uno aut altero nebulone, si officium tuum impleas... Id proinde sanae mentis est, ac si diceret miles: *Ego non vadam ad pugnam, sed redibo domum ad uxorem et dulces penates: quid enim de me dicerent hostes?*.. Dice-

rent me esse bonum v. g. Gallum, patriotam bonum, me regi esse fidelem... Absit a me tale dedecus! Reveremini, laudate talem heroem si potestis!... Ego pronuntio audacter, talem hominem esse ignavum et stultum... Insensatus ergo respectus humanus... Est insuper...

II. *Homini summe perniciosus.*

1. *Paci animae*... Miserum respectus humani mancipium caret consolatione virtutis et qualiquali gaudio vitii... Si male agat ad placendum aliis, stimulis conscientiae torquetur, si bene agat, timet videri et irrideri... Miser comparari potest mancipio, quod semper timet flagellum duri custodis, vel daemonibus, qui si mala perpetrent, plectuntur a Deo, si mala omittant, cruciantur a diabolo.

2. *Saluti animae*... Est certo certius maximum et generalissimum impedimentum salutis... Quot miseri peccatores lugent suum miserum statum, et vellent converti, nisi adamantina illa catena detinerentur!.. Quot bona opera omittuntur!.. Quare tot homines abstinent ab officiis divinis, a sacramentis?.. Quid permittit et fovet conversationes?.. detractiones?.. calumnias?.. Quid fovet pravas societates, choreas?.. Dic iuveni, dic puellae: fuge illam societatem, illam domum... esto modestior... Non audeo... quid enim dicerent?... (Pro loci opportunitate exemplum afferri potest de duello). Vanus iste hominum timor subvertit etiam firmissimam virtutem... Quis animosior Petro?.. Quis ardentius amabat Iesum?.. Quis firmius credebat?.. Quis maioribus gratiis a Deo ornatus quam Petrus?... Et quid illum subvertit? Vox ancillae!.. Quis debuit esse dolor cordis Iesu, cum se ter a Petro negari audiret?.. Quae indignatio Dei erga miserum respectus humani mancipium?.. Est enim praeterea...

III. *Deo summe iniuriosus*... Deus creator noster et Dominus... plenum et illimitatum dominium in nos habet et suo iure exercet... Ipsi subsunt omnia... voluntatem eius exsequuntur caelum et terra... Eius nutu contremiscit terra... fumigant montes, in conspectu eius silet mare... coram ipso procedunt Cherubim et Seraphim, alis faciem suam velantes... Deus imperat vermi terrae, vermis non audet oboedire ne perdat honorem suum... Ergo Deus imperat turpia?.. Deus imperat... caelum promittit... infernum minatur... homo recusat oboedire... Quare?.. Quid dicet iste et iste, si oboediam? Ergo peius est non oboedire homini quam Deo?.. Ergo maius damnum est perdere amicitiam alicuius hominis nequam quam perdere amicitiam Dei?.. Perdere caelum, mereri infernum... ardere in inferno per totam aeternitatem?.. Deus imperat... et nutus, risus, verbulum hominis nequam te retinet quominus oboedias?.. Ergo comparas Deum homini... Iesum Barrabae... et praefers hominem... Numquid peius facit

idololatra qui Deo praefert idolum? .. Fidem Christi amplexus es, iurasti te usque ad sanguinis effusionem eam retenturum, professurum ... non audes vivere iuxta fidem tuam ... fidem negasti ... tanto peior apostata illis qui coram tiranno in conspectu horrendorum tormentorum, vel per levem dissimulationem fidem suam negabant, quanto timori minori succubuisti... Dic te christianum in corde, quantum volueris, ... fidem coram hominibus negasti ... Christus te coram Patre et Angelis suis negabit ... *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam et ego* ... Ducem tuum quasi infamem erubuisti, quomodo te ut militem suum agnoscat? .. Timuisti irrisiones hominum, *ego quoque,* ait Dominus, *in interitu vestro ridebo, et subsannabo* ... *Luc. 9, 26.* *Prov. 1, 26.*

Eligite ... aut irrideri ab uno alterove nebulone per aliquot minuta, aut irrideri per totam aeternitatem a toto inferno ... Oh! quam pungent sarcasmi daemonum ... damnatorum ... quam acerbe mordebit vermis ... Contendamus intrare in caelum per angustam portam ... ne sequamur multitudinem ... ne sequamur consuetudinem ... Quaeramus placere Deo ... qui solus timendus est ... qui solus *potest et animam et corpus perdere in gehennam* ... audacter feramus insignia Ducis nostri Christi ... Non est quod erubescamus Illum ... Quondam apparebimus cum Illo gloriosi in nubibus caeli. *Tunc stabimus in magna constantia... et illi, qui nos aliquando habuerint in derisum et in similitudinem improperii, videntes turbabuntur timore horribili, et dicent intra se, poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes: Nos insensati! Vitam illorum aestimabamus insaniam ... ecce quomodo computati sunt inter filios Dei ..!* Tum Christus, quem confessi fuerimus coram hominibus, confitebitur et nos coram Patre, suo, ut fratres et coheredes regni sui sempiterni. Amen. *Mth. 10, 28.* *Iap. 5, 1-5.*

EXPOSITIO SECUNDI MANDATI

DE IURAMENTO ET BLASPHEMIA.

Non assumes nomen Dei tui in vanum ... *Ex. 20, 7.*

Sanctum et terribile Nomen Domini, ait Psalmista, nomen enim illius est qui solus est ab aeterno, immensus, omnipotens, sanctus, iustus, creator, conservator, Dominus omnium, coram quo *omne genu flectatur,* coram quo omnis creatura nihilum, homo pulvis et cinis ... Eius nomen Cherubim et Seraphim non audent pronuntiare nisi flexo poplite, velantes alis facies suas et praemittentes illa verba: *Sanctus, Sanctus,* *Ps. 110, 9.* *Phil. 2, 10.*

Sanctus, Dominus. In antiqua lege solus summus sacerdos deferebat in fronte insculptum aureae laminae nomen Iehovah, et nemo audebat illud pronuntiare. Mater nostra Ecclesia numquam illud usurpat nisi summa cum reverentia, et praemissis vel additis honorificis verbis... Eo nomine invocato eiusque vi impertitur omnes benedictiones... conficit omnia sacramenta... Ratio huius reverentiae est quod honor nomini exhibitus in nominatum redundat, sicut et irreverentia... quia nomen rei significat rem, et in mente loquentis rem supplet eius nomen, ut proin res et nomen in mente loquentis unum idemque sint... Uti ergo per primum mandatum ordinantur intellectus et voluntas nostra in Deum per fidem, spem et caritatem, ita per secundum mandatum ordinatur nostra lingua, quae est naturale et proprium instrumentum intellectus et voluntatis... Imperat ergo hoc mandatum, ut quotiescumque usurpamus Nomen Dei (etiam nomen Sanctorum et rerum omnium quae in arctiori nexu cum Deo sunt), id non fiat nisi reverenter et considerate... Peccant proin (licet non graviter) qui illud fere continuo in labiis habent ut meram trivialem exclamationem... Non sic auderent utique usurpare nomen terreni regis... Sed hoc mandatum praecipue prohibet positivam inhonorationem divini Nominis, quae fieri potest vel in iuramento vel per blasphemiam... Hinc videbimus seorsim:

I. - IURAMENTUM.

1. *Definitio.* Est invocatio Dei in testem veritatis nostrae locutionis. Fit vel immediate, sumendo Deum in testem... vel mediate, invocando aliquam creaturam in qua aliqua Dei perfectio speciali modo elucet.

2. *Species*... Assertorium... promissorium... imprecatorium vel exsecratorium...

3. *Conditiones: a) Iudicium,* ut fiat considerate, scil. ob necessitatem vel magnam utilitatem; *b) iustitia,* ut quod promittitur sit res iusta; *c) veritas,* ut asseratur verum aut quod creditur verum, aut, si agatur de promissione, sit sincerus implendi animus.

Si tres hae conditiones adsunt, iuramentum est non solum licitum, sed etiam meritorium, utpote actus religionis quo profitemur Dei omniscientiam, omnipotentiam, fidelitatem, iustitiam ac veritatem. Ast rarissime adsunt omnes, praesertim prima... Non enim pro qualibet re iusta et vera accersendus est Deus testis!.. Si pedissequi regis, chartis ludentes, singulis momentis inclamant regem arbitrum suarum litium, vapulabunt, et chartae proicientur in ignem... Facile datur scandalum, praesertim parvulis... periculum est ne frequenter

iurando aliquoties periuretur... Ast ni iurem, non creditur mihi... Tanto peius, signum est te non mereri fidem... Viro probo creditur simpliciter asserenti vel promittenti.

Peccatur defectu iudicii venialiter tantum per se; defectu iustitiae, semper mortaliter, sive promittas te malum leve sive grave patraturum, quia datur Deus ut fideiiussor mali perpetrandi, et gravis ei infertur iniuria, etiamsi leve tantum malum approbare censeatur; defectu veritatis, semper mortaliter, quia Deus vocatur in testem mendacii et implicatur ut complex... Periurium porro crimen enormissimum, utpote tollens omnem fidem mutuam, sine qua impossibilis evadit omnis societas humana... et reddens Deum complicem non solum mendacii, sed omnium criminum, ad quae homo adhibet periurium, fraudis, iniustitiae, etc. Periurans aequivalenter dicit: Mi Deus, adiuva me, iste homo novit me esse mendacem, non mihi credit: veni, mentire tu etiam mecum... Quid sentiret, quid diceret vir probus, si tali modo ad tale facinus invitaretur?.. Crimen istud tantum est, ut leges etiam humanae, praeter alias graves poenas, infamiam perpetuam ei annexuerint... Cum iuramento tamen confundi non debent dira verba... quae irae impetu proferuntur... Quaedam simpliciter dedecent virum ingenuum... alia christianum (ut exclamatio qua simpliciter profertur nomen diaboli)... alia vero imprecantur malum loquenti vel proximo... sunt contra caritatem, et si cum advertentia proferuntur, constituunt peccatum grave vel leve pro gravitate mali et animi perversitate... Imprecandi consuetudo est semper vitium detestabile, et non tam homini quam daemoni et damnatis proprium... Saepe perniciosum, praesertim si a parentibus in filios proferantur imprecationes, aut si inter duos mutuae sint. Id testantur plura facta omnino certa... *Quae homo seminaverit, haec et* *Gal. 6, 8.*
metet... in familia ubi seminantur maledictiones in invicem, quales benedictiones metentur?.. Ast huic praecepto maxime opponitur horrendum crimen

II. - BLASPHEMIA.

Scriptura sacra vix eam audet nominare proprio vocabulo... In libro Iob loco verbi blasphemare dicitur benedicere...

1. *Definitio.* Locutio inhonorans Deum (vel immediate et directe... vel mediate et indirecte inhonorando verbis rem sanctam, ut sanctam)... Communiter committitur potissimum exsecranda et maledicendo nomen Dei vel Christi, sanguinem vel mortem Christi, etc. (Orator petat veniam a Deo et audi-

toribus, et nominet tremens et pavens praecipuas blasphemias in regione usitatas, et explicet singularum sensum).

2. *Enormitas.* Blasphemia est, post deicidium Iudaeorum, odium formale Dei (quod solus fere daemon committere potest), et post sacrilegium contra Eucharistiam, communi theologorum sententia, maximum omnium peccatorum quae homo committere potest... quia

a) *Directe offendit obiectum altissimum*... alia vero peccata contra proximum, ex. gr., furta, homicidia etc., tantum indirecte (gravius est peccatum percutere patrem aut matrem vel ei maledicere, quam simpliciter non oboedire)...

b) *Est sacrilegium*... utpote profanatio gravissima rei sanctissimae...

c) *Est malitia pura,* quia nulli passioni per eam satisfit... Fures, luxuriosi,... habent saltem aliquod bonum, et ipsorum (passio) malitia non fertur in malum purum... sed blasphemus facit malum propter malum... Ideo.

d) *Est peccatum diabolicum*... Diabolus enim offendit Deum propter Deum... blasphemat ex odio, ex vindicta, ex impotenti rabie, ex sensu ineluctabilis miseriae... Ideo etiam eius peccatum est magis excusabile quam blasphemia hominis. quia hic nondum est extra omnem spem positus Dei aliquando possidendi... innumera adhuc quotidie beneficia a Deo accipit... Pro homine Deus homo factus, passus et mortuus est... Patet etiam eius gravitas ex

e) *Poena*... Israelita qui in deserto sub Moyse blasphemarat in rixa, ad Moysen delatus et in carcerem coniectus est. Deus a Moyse super eius poena consultus iussit illum duci extra castra et lapidari ab universo populo... Sennacherib toleratur a Deo quamvis idololatra, quamvis iniustus aggressor populi, quamvis violator iustae pacis... Vix autem protulit blasphemiam in Deum Israel, Angelus Domini percussit una nocte 185,000 viros exercitus eius, et Sennacherib profuga occiditur a propriis liberis... Herodes impius, impudicus, quamvis occiderit Iacobum, quamvis in carcerem coniecerit Petrum ut eum occideret, toleratur a Deo... sed Caesareae in consessu publico non reprehendit blasphematorem, qui ipsum ut Deum laudat, et statim Angelus Domini percutit eum horrenda plaga et a vermibus comeditur... Sic Deus... Ipse vero Nabuchodonosor, postquam vidit tres pueros in fornace servatos mirabiliter, edit decretum: *ut omnis populus, tribus et lingua quaecumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum*
Dan. 3, 96. *(Israel), dispereat, et domus eius vastetur.*

3. *Excusationes vanae*... Ast dicet quis, ego non credidi hucusque blasphemiam esse tantum malum. Nam *a*) *non intendo maledicere Deo*... Cur ergo maledictionem profers in Deum?... Si tu non intendis, intendit diabolus, et ore tuo

tamquam organo utitur, atque ita fis instrumentum diaboli et complex eius peccati...

b) *Blasphemo ex consuetudine*... Pulchra excusatio!... Occido ex consuetudin... furor ex consuetudine... ergo homicidium... ergo furtum meum... non est peccatum, aut non tantum peccatum, ac si illud una tantum alterave vice committerem... Utique si sincere retractes consuetudinem et serio tibi invigiles, et vim tibi inferas ad eam deponendam, si hinc inde nolenti ac non cogitanti elabatur, Deus non adeo graviter imputabit... sed quamdiu placet consuetudo, culpabilior es quam qui aliquoties tantum peccat... Et undenam hausisti consuetudinem?.. A iuventute didici a patre!.. Oh! miseram hereditatem!.. Cave ne tu filiis eam transmittas...

c) *Ast non blasphemo nisi ex ira*... Tanto peius! Tunc non unum committis peccatum, sed duo... Et unde tua ira?.. irasceris servo, equo, instrumento... et Deum blasphemas!.. a Deo vindictam petis!.. Si dum filio tuo laboras, filius tuus alieno animali iratus, ad te accurrat, tibi maledicat, te verberet... numquid excusabis?.. Reprime iram... si tamen verbis eam omnino exhalare vis, quare lingua uteris daemonum?.. Lingua hominis prodit eius patriam. Qui gallice tantum loquitur, Gallus esse censetur, qui italice, Italus.. tu, blaspheme, linguam loqueris daemonum, daemon es: *Vos ex patre diabolo estis!*.. Opificium hominis prodit eius conditionem... *Io. 8, 44.*
qui vestes facit, sartor est... qui calceos, sutor... Tu, blaspheme, peccatum facis diaboli, diabolus es!.. *Vos ex patre diabolo estis*... Linguam inter christianos loqueris extraneam, opus exerces extraneum, extraneus es, ex infernorum regione ad nos venisti... ad tempus, brevi reverteris ad tuos!... Linguam filiorum Dei ignoras, non conversaberis cum illis in regno Patris... caelum eorum est qui nomini Dei benedicunt... infernus maledicentium! ... Utique, Domine, sicut tu declarasti per os Balaam de populo tuo Israel, a fortiori de te: *qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit,* *Num. 24, 9.*
in maledictione reputabitur. Verumtamen, Deus infinite bonus et patiens nondum exsecutus est in vos hoc decretum... adhuc reliquit tempus poenitentiae... fere aeque rei estis ac Iudaei deicidae... Ast iisdem etiam verbis solari vos possum quibus S. Petrus solatus est eos: *Scio, fratres, quia per ignorantiam* *Act. 3, 17.*
fecistis... non apprehendistis totam malitiam... *poenitemini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra*... Facite bonam confessionem... invigilate vobis... fugite lusus... cauponas... Si aliquando ex prava consuetudine relabimini, petite statim veniam a Deo... dicite: *Gloria Patri, etc.*.... Osculamini terram... date pro singulis lapsibus aliquam eleemosynam pauperibus. Invigilate aliis... ne timeatis severe punire, ubi monitio non sufficit... *Manum tuam percussione*

sanctifica, ait S. Chrysostomus, *daemonem eice e domo tua, ut cum ipso exeat maledictio* ... Parentes liberis ... hic opportune adhibentur virgae ... Amici amicis ... moneant, ostendant foeditatem ... si non prosit, deserant illorum societatem. Nec obstat respectus humanus; filius enim bonus non suffert maledicta in suum patrem, subditus bonus in regem, miles generosus in imperatorem ... Omnes demum tum exemplo tum monitione opportuna impediamus horrendum crimen, fontem multarum calamitatum publicarum ... Efficiamus ut omnes laudent nomen Dei in terra et in caelo ...

In fine potest cantari Psalmus: *Laudate pueri Dominum...*

EXPOSITIO QUINTI MANDATI.

I. - DE DILECTIONE INIMICORUM.

Mth. 5, 41. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros* ...

Lex christianae caritatis praecipit, ut diligamus Deum super omnia, nos ipsos et proximum sicut nos, propter Deum, et ut hic proximi amor prodeat in opus ... amice et affabiliter agendo ... bona optando ... beneficia exhibendo ... pro illo orando ... atque haec omnia sine distinctione amici vel inimici: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem* *Mth. 5, 46.* *habebitis ... Diligite inimicos ... benefacite et orate ... ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est, qui solem* ... Hoc praeceptum nonnisi a Deo dari potuit ... et debet esse argumentum veritatis nostrae religionis ... *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis* ... Orat Christus ut simus unum sicut ipse *Io. 13, 35; 14, 31.* et Pater ... *ut cognoscat mundus quia tu me misisti.* Est ergo stricta obligatio diligendi inimicos ... condonandi iniurias ... sed dura ... Videamus ergo quam sit honorificum, iustum, necessarium, diligere inimicos.

I. *Honorificum.* 1. *Plebecula dicit:* Turpe est non vindicare iniuriam ... In cuius oculis turpe est? .. Dei? .. Angelorum? .. Sanctorum? .. Proborum hominum? .. Daemonum? .. Improbae vilisque plebeculae ...!

2. *Fides et ratio dicunt:* honorificum est condonare iniurias. Cur? Quia *a*) si iniurias vindicare gloriosum esset, bestiae ferocissimae gloria superarent homines, heroes omnes .. Vindicta signum est debilitatis. Nam inter animalia debilissima (vespae, apes, parvuli canes) sunt maxime vindictae avida ...

Inter homines idem obtinet... Infantes et feminae nihil condonare possunt... Ad vindictam desiderandam nihil aliud opus est quam magna sensibilitate et animi impotentia... Fatetur ipse vindicativus: non possum tolerare iniuriam... *Pusilli hominis et miseri repetere mordentem. Ille magnus et nobilis, qui, more magnarum bestiarum, latratus parvuli canis securus exaudivit* (Seneca)... *Sicut debilis stomachi est duriorem cibum non posse concoquere, ita pusilli animi est verbum duriusculum non posse sustinere.* (Aristoteles). Qui vindictam quaerit, fatetur se superatum (comparatio inter duos luctatores). *Ultio doloris confessio est* (Seneca)... *Noli vinci a* *Rom. 12, 21.*
malo, sed vince in bono malum. Fructus laedentis in laesi dolore est. (Tertullianus). *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; hoc enim faciens carbones ignis super caput eius congeres.* *Rom, 12, 20.*
Sic superavit Saulem David in spelunca ei parcens, et coegit dicere: *Fili mi David, peccavi!.. Apparet quod stulte egerim et ignorem multa nimis... Benedictus tu, fili mi David!* *1 Reg. 26, 21.*

b) Quidquid potens et forte est, ostendit fortitudinem in perferendo... Quis potentior Deo? Et tamen quanta patitur ab hominibus!.. *Deus volens notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum....*
Condonatio peccatorum Dei opus omnium praeclarissimum... *Rom. 9, 22.*
Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maxime et miserando manifestas (Domin. X. Pentecost.)... *Misereris omnium, quia omnia potes...* Sed, inquies, ex Dei misericor- *Sap. 11, 24.*
dia nemo suspicatur impotentiam... ast si ego parcam, credent id fieri ex impotentia... Sed Christus numquid non illudebatur... non dicebatur: *Seipsum non potest salvum* *Mth. 27, 42.*
facere?.. Et tamen quomodo egit erga Iudaeos?.. Malchum?.. milites se conspuentes?.. coronantes?.. flagellantes?.. crucifigentes?.. Erga Pharisaeos blasphemantes? Audesne id Christo probro vertere?.. Ast Christus erat sanctitas ipsa, ego homo debilis... Ergo fateris vindictam esse animi impotentis. Sancti vero, numquid non erant homines?.. Qua tamen caritate vel maximos inimicos amplexi sunt? Ioseph patriarcha... David erga Saul et Semei... Stephanus... martyres omnes... numquid sunt propterea infames?.. Ast hi erant sancti... Quare non tu?.. Ipsi te pagani confundunt... Lycurgus obtinuit suis precibus impunitatem homini qui ei in publica contione oculum excusserat... Cato censor alapa in loco publico accepta ne verbum quidem dixit... Socrates, ad mortem inique damnatus venenum hauriens, orat pro iudicibus suis... et tu Christianus!... Attamen habeo ius petendi vindictam... Nequaquam nam...

II. *Iustum* est condonare, sed est iniustum quaerere vindictam; quia qui per se... ulciscitur, violat:

1. *Ius privatum.* Iustitia vult ut maneat cuique suum et facta laesio reparetur perfecta aequalitate rei ad rem... Hoc ius violat vindicativus... Passio exaggerat iniuriam... Pro verbo iniurioso mille reddit... pro una detractione millies detrahit... pro sinistro obtutu plures annos irascitur... negligit officia urbanitatis... caritatis...

2. *Ius publicum,* quod vult ut iustitia administretur per magistratus ad id constitutos... Secus quae pax... qui ordo... quae securitas?... Ubi erit societas si quisque sit in propria causa accusator, iudex et exsecutor?... Atqui quod tibi competit, competet et aliis omnibus...

3. *Ius divinum.* Deus reservavit sibi vindictam: *Mihi vin-*
Rom. 12, 19. *dicta, et ego retribuam*... Hoc tibi ius arrogare vis... prae-
ripere Deo supremum dominium... et potestatem iudicialem.
Mth. 5, 44. Iubet ut condones... ut diligas inimicum: *Ego autem dico*
vobis: diligite inimicos vestros... Dei detrectas imperium?.. Audes dicere: *non serviam,* probosum est quod praecipis... Deus tot tibi condonavit peccata... tam patienter tuos multiplices relapsus tulit... Nonne aequum est, ut et tu amore Dei condones? Immo vero est

III. *Necessarium.* Parabola servi cui Dominus dimisit omnia debita... *Sic et Pater vester caelestis faciet vobis... Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et Pater cae-*
Mth. 6, 14. *lestis delicta vestra.* Quantum gaudium illi qui dimittit! Pi-
gnus habet remissionis suorum peccatorum... securus accedet ad eum iudicem qui dixit: *dimittite et dimittemini*... Ast:
Luc. 6, 37. *si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet*
Mth. 6, 15. *vobis peccata vestra*... Nulla ergo secus remissio... nec in
confessione... nec in morte... nec in iudicio... *Iudicium*
Iac. 2, 13. *sine misericordia illi qu non fecit misericordiam... Qua*
mensura mensi fueritis, remetietur vobis... Idem peti-
Mth. 7, 7. mus in oratione dominica: *dimitte nobis*... Quid significant
haec verba in ore illius qui aut nullatenus aut ficte tantum vult inimico ignoscere? Pater, sicut non dimitto, nec tu dimitte mihi... sicut nolo eum videre, ita nec tu me... sicut illi omnia mala opto, ita et tu... Haecne oratio christiani, an
Ps. 108, 18;9, daemonis?.. Maledictio quam sibi imprecatur veniat super
eum... *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo*... Maledictus sit in terra ipse miser... *filii eius orphani et pauperes... pro eo quod non recordatus est facere benedictionem et misericordiam*... maledictus in morte... in iudicio... in inferno... Videat inimicum qui sibi condonavit in caelo exsultantem, se vero in inferno cruciatum... Exeat de Ecclesia, separet se iam a filiis Dei... Nos autem condonemus ex corde... Bone Iesu, in cruce, nobis petens veniam, tui amore dimittimus omnibus ex corde... dimitte et tu nobis...

II. - DE SCANDALO.

Vae homini illi, per quem scandalum venit. Mth. 18, 7.

Iesus Christus, mansuetudo ipsa, terribili hoc anathemate mundum ferit... propter scandala eius... Quia tolle scandalum, et tolletur spiritus mundi, et exstirpabuntur vitia et omnia peccata... *Vae itaque homini illi per quem scandalum venit* in mundum... *expedit ei ut suspendatur... melius ei erat si natus non fuisset...* Job. 4, 7. Inutile reddit opus creationis et redemptionis... daemonis officio atque munere fungitur... simul et proximo et sibi ipsi mortem infert (apis, aculeo usa, moritur)... Nam quid est scandalum?... Est verbum vel actio quae proximum inducit ad peccatum... sive per seductionem positivam, sive solum per malum exemplum... Proposui mihi de scandalo loqui, quod per se movet atque allicit ad grave peccatum committendum. Demonstrabo vobis 1. quam enorme si hoc peccatum; 2. quibus modis hoc peccatum committatur.

I. - ENORMITAS SCANDALI.

1. *Scandalum praebens omnia prorsus merita proximo aufert.* Scitis enim vel unum peccatum mortale sufficere ut omnia prius acquisita merita perdantur... Ille ergo qui movet, inducit ad peccatum mortale committendum, meritorum quodam modo praedator est... Pauper quidam per totum annum magno cum labore pro hieme ligna collegit et parvam frumenti quantitatem in domo reposuit... homo nequam domum istam incendit... Illius agendi modus horrore vos afficit... Iustus ille, per seriem annorum, prosperam adversus tentationes pugnam fecit, cupiditates magno animo fregit atque bona opera innumera patravit... scandalum praebens eripit... Forsan paulum distabat a corona, a caelo... retrahitur... in infernum detruditur.

2. *Scandalum praebens proximum privat gratia sanctificante,* et per consequens ex filio Dei facit eum mancipium diaboli... Piratae infantibus persuadent blanditiis, ut ipsorum navem invisant... illos capiunt et in servitutem abducunt... Quam horrendum crimen! Rapere infantem... spem familiae, spem patriae suae... illum ab omnibus sibi caris avellere... Quid autem dicendum de illo qui scandalum praebet?.. Anima haec iusta et Deo accepta in omni aeternitate Deum laudibus celebrasset... gustasset voluptatem electorum familiae

reservatam... et ecce eam a Deo separatam, extorrem in aeternum patria caelesti... Puer decem annorum, quem aliquis peccatum committere docuit, illud committet per quinquaginta annos, licet diligentiam, ut se corrigat, adhibuerit...

3. *Scandalum praebens occidit animam proximi*... Sicut anima est vita corporis, ita gratia sanctificans est vita animae... et vel unicum peccatum sufficiens est ad eam penitus delendam!.. Video sceleratum, qui ad mortis supplicium ducitur... inquiro causam poenae istius capitalis... Suum ipsius fratrem veneno sustulit... Omnes uno ore iustam condemnationem hanc proclamant... Verum si ille qui corpus occidit poenam adeo severam meretur, quali supplicio ille tollendus qui animam peremit?.. Pone in bilance ex altera parte caelum et terram, ex altera vel unam animam... haec coram Deo multo maioris ponderis erit... Mundus universus Deo constitit uno verbo, pro anima iusti proprium Filium dedit... pro anima Deus homo factus, crucifixus et mortuus est... Sanguis Dei, en pretium animae... Scandalum praebens pedibus calcat hunc sanguinem... inefficacem illum reddit... Videor mihi videre Salvatorem, dum in terris degeret, parvulos ad se vocantem, eosque magno cum affectu amplectentem... Scandalum praebens illi appropinquat et parvulos abripit... Scandalose, audis vocem Iesu tibi dicentis: Ne perdas animas, quae adeo mihi carae sunt!... Nihil mea interest, respondes... Ego illas pretioso sanguine meo acquisivi!.. Parum mea interest... Propria carne ego nutrivi!.. Quid mea interest?... Caelo mox sunt inducendae... Quid ad me... ego eas in infernum detrudam... O scelus horrendum!.. Exsecramini crudelitatem satellitum Herodis, qui de matris complexu filios innocentes avellebant, ut illos interimerent... Omnibus abominandum apparet factum Caracallae, horrendi crudelitatis monstri, qui minorem fratrem suum Getam inter brachia matris occidit, matremque ipsam vulneravit, quae tantae barbariei obsistere conabatur. O scandalose, temetipsum plausibus prosequere, laetare de triumpho tuo... Iesum vicisti... Verum enimvero vae tibi... vae tibi... barbare Caine, sanguis innocens fratris tui Abel cadet super te! Perfide Iuda, sanguis Salvatoris surget contra te...

4. *Scandalum praebens peccatum suum perpetuum reddit*, ita ut etiam post mortem alios inficere non desinat. Omnes detestamur hominem qui, se peste affectum sciens, de industria aliis se immiscet, ut eodem morbo pestilento eos inficiat!.. Sed quid facit scandalum praebens? Non eo contentus quod ipse se perdat, alios quoque in exitium praecipitare machinatur... Et vero si peccatum committit coram quinque personis, quae inde scandalizantur, numquid has quinque personas solum perdet?.. Ast hae quinque personae eamdem contagio-

nem nonne aliis communicabunt? et hae denuo aliis atque aliis, ita ut numerus victimarum scandalosi in immensum excrescat... Deus misericordiae! Quam rationem tibi reddet scandalum praebens! Qualia tormenta pro tota aeternitate sibi congerit!... Sed dicitis mihi: quare ita inveheris in scandalum? Omnia apud nos sunt bene ordinata... nihil simile umquam nobis accidit. Videamus.

II. - QUIBUS MODIS PECCATUM SCANDALI COMMITTITUR?

1. *Per verba* inhonesta, urbanitates liberiores, per carmina obscoena... Saepe vel unicum verbum velut scintilla mille imaginationes inflammat... et occasionem praebet cogitationum, verborum, actionum minus honestarum... Examina ergo verba quae profers, ad mensam... inter opus diurnum, in agris, in vigiliis, in coetibus, quos diebus festis celebratis, in cauponis, in choreis, in nuptiis... Num tibi omnia semper decentia, casta, pia?... Cantilenae illae, quae omnium aures feriunt,... isti sermones qui de ore ad os transeunt, suntne omni culpa carentes?.. Ast ad iocandum aut cavillandum eiusmodi sermones habemus! Bone Deus, ita vultis iocari! *Ego quoque, dicit Dominus, in interitu vestro ridebo*... Iocis *Prov. 1, 26.* vestris pagum totum cadaveribus spiritualibus implevistis. *Plurimos occidistis in urbe hac, et implevistis vias eius interfectis.* *Ez. 11, 6.* Quam multi innocentes pueri octo vel decem annorum in confabulationis addiscunt quod etiam in senectute ignorare deberent!.. Sed quid de pravis consiliis, de incitationibus sceleratis quae fovent et nutriunt iniustitias, inoboedientiam, inimicitias, odia?.. Heu! *plurimos occidistis in urbe hac*...

2. *Per actiones*... Vos scandalum praebetis, nuptae mulieres,... vos adolescentulae, quae, velut araneae, ornamentis moribusque compositis retia intenditis ad sexcentorum hominum perniciem,... vos, quae adulteris oculis tot animas occiditis... Scandalo estis vos, parentes, qui liberis vestris in probrosam hereditatem vitia, iras, inimicitias, irreligionem vestram traditis.... coram illis inhonesta, ebrietatem, iracundiam exhibetis... Vos praesertim matresfamilias, quae ad malum filias vestras incitatis, vanorum ornatuum coetuumque amorem in ipsis accendendo, eas ad mundana festa, choreas... ducendo, ut a tenerrima aetate scilicet discant oculos ad se allicere... Numquid igitur statuistis eas tamquam merces exponere, vel saltem illarum vendere pudorem?... Instructae tali in schola, edocebunt ipsae postea eodem modo proprias filias; istae suo tempore vestigia prement matrum suarum...

et vos maledictae eritis a tota vestra posteritate ... Ita vos perditis maiorem animarum numerum per vestra scandala ... quam serpens morsibus venenatis ... Vos, ebrii, blasphematores, dissoluti ... vos, Dei legem contemnentes, nulli fere umquam officio divino assistentes, vel in Ecclesia velut in caupona vos gerentes ... vos maiorem animarum numerum damnationi exponitis aeternae per vestra ... Vos caupones, qui infimae plebeculae turbas in vestris domibus colligentes miserrimas ... qui pro vili lucro venditis usque ad ebrietatem ... unde oriuntur querelae, rixae ... qui permittitis omnimodas confabulationes, agendi rationes ... Quot animae pereunt sic in vestris domibus ... Speluncae leonis vestrae domus similes sunt ... pedum vestigia omnia quidem sunt euntium, nulla vero redeuntium ... plures vos trucidatis quam ... Vos spectacula, conventicula, ludos publicos instruentes, vel saltem non impedientes, in quibus venenum mortiferum per aures et oculos instillatur ... plures vos trucidatis quam ... Vos qui in domibus vestris, vel, quod peius, publice exponitis picturas impudicas, vel qui easdem venditis, hocque ipso ... malum communicatis ac propagatis in posterum ... plures vos trucidatis quam ... Vos qui malos servatis libros, impudicos, irreligiosos, in hereditatem filiis vestris ..., vel qui eos commodatis, venditis ... quot animas iam in aeternam perniciem deiecistis vel unico libro! .. Denique vos omnes qui, quocumque modo factum sit, verbo, consilio, exemplo, actione, omissione, ruinae proximo vestro causa fuistis ...

Num adhuc dicetis: Haec numquam committimus peccata? An non plures trucidastis quam ..! Aspicite manus vestras, victimarum tinctas sanguine ... Vae vobis viventibus! sanguis iste ad caelum clamat ... Vae vobis morientibus ! quantopere iniquitatum propriarum pondere gravati intremiscetis, horrentes terribile Dei iudicium appropinquans, astantibus ad vestrum mortis lectulum animabus illis, quasi totidem spectris, quas aeternae damnationi addixistis per scandala vestra ... Tum vobis dicent: tuis, perfide amice, peccatis addo mea peccata ... qui per exempla, consilia ... me incitasti ad tot committenda peccata ... Morere, et siste te coram iudice, rationem peccatorum omnium redditurus ... Tuis peccatis addo, mater crudelis, pater inhumane, mea peccata ... vos me docuistis talia committere ... Morere, et siste te ... Nostra peccata, qui quondam subiecti vestri fuimus, magistratus infideles, vestris peccatis addimus ... vestra sunt, siquidem ea permisistis, cum debuissetis ea impedire ... Morimini, et sistite vos ... rationem reddituri ... Vae vobis in die iudicii! .. Istae omnes iniquitates vestrae in bilance ponderabuntur ... Vestra bona opera num superabunt? .. Omnes vestrae victimae postulabunt damnationem vestram ... Preces eorum quos salvastis an praevalebunt

adversus..? Vae vobis in inferno! Poenas dabitis omnium peccatorum propter scandala vestra commissorum et in vita et post mortem vestram... *Vae homini illi per quem scandalum venit*... Hanc calamitatem tempestive avertite... Scandala vestra separate... bona exempla exhibete... *Mth. 18, 7.*

III. - DE ELEEMOSYNA.

Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. *Tob. 4, 7.*

Difficile plane est decidere utrum divitiae bonae sint an malae. S. Paulus ait eos *qui volunt divites fieri, incidere in tentationem et in laqueum diaboli...* S. Iacobus. *Vae* fulminat terribile adversus divites. Christus ipse dicit *facilius esse camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum caelorum.* Immo miseros asserit eos qui in hoc mundo suam habent consolationem... beatos pauperes... *1 Tim. 6, 9.* *Iac. 5, 1-5.* *Mth. 19, 24.*

Ex altera parte Deus in lege veteri remunerabat populum suum per divitias et bona temporalia... in hac lege *centuplum in hac vita* promittit... Ergo in se non sunt malae divitiae, immo et bonae,... relate ad hominem sunt res indifferentes, bonae vel malae, quatenus prosunt vel obsunt saluti. Ergo quaestio pendet ab usu. Usus porro optimus divitiarum, quem ipsa Scriptura docet, est eleemosyna, cuius videbimus *Mth. 19, 29.*

OBLIGATIONEM, MERITUM ET PRAEMIUM.

I. *Obligatio.* Patet 1. *Ex generali praecepto caritatis: Diliges proximum sicut teipsum.* Hoc autem praeceptum *Mth. 5, 43.*

a) Obligat sub poena aeternae damnationis. Hoc omisso, nulla nobis quantumvis excelsa virtus prodesse potest. Expresse ait Paulus: *Si linguis hominum loquar, et angelorum... caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest...* *I Cor. 13, 1.*

b) Impleri nequit nisi succurratur proximo necessitatem patienti, sicut vellemus nobis succurri in pari necessitate. Ita expresse S. Ioannes. *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* S. Iacobus docet: Quemadmodum *fides sine operibus mortua est,* ita mortuam esse caritatem sine eleemosyna. Christus ipse parabola Samaritani docet nec a Pharisaeo qui externum legis rigorem... nec a pio Levita qui spiritu tantum legis contentus *I Io. 3, 17.* *Iac. 2, 14.*

esset, ... sed a misericorde Samaritano legem caritatis adimpletam fuisse.

2. *Ex praecepto eleemosynae expresso.* Christus dixit:
Luc. 11, 41. *quod superest, date eleemosynam.* Hoc autem non esse merum consilium, sed praeceptum, patet ex sententia ultimi iudicii:
Mth. 25, 41. *Discedite a me maledicti ... Esurivi enim ... Ibunt hi in ignem aeternum ...* Porro huius praecepti eleemosynae materia sunt: *a*) Bona aliena mala fide acquisita, cum vero domino restitui nequeant ... et hoc ex iustitia: nemini enim sua fraude ditescere licet, et sic res melius impenditur iuxta voluntatem
Tob. 4, 7. praesumptam Domini. Sed hoc est restituere. *b*) Bona propria.
Is. 58, 7. Ex Tobia: *Ex substantia tua* fac eleemosynam ... *Frange esu-*
Mth. 5, 43. *rienti panem tuum ...* Iuxta mensuram bene ordinatae cari-
Tob. 4, 8. tatis: *Diliges proximum* utique post te, sed *sicut teipsum. Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si exiguum ..., etiam exiguum impertiri libenter stude.* Audi Augustinum: *Superflua divitum sunt necessaria pauperum, aliena possidentur cum superflua possidentur.*

Superfluae sunt certe illae vestes quae in scriniis putrescunt ... Superfluae enormes expensae conviviorum pro aliis divitibus, dum pauperes intereunt fame ... Superfluae expensae luxu maximo et inutili ... (Caute hic procedendum). Du-
Luc. 6, 24. rus est hic sermo ... durus. Sed et nunc intelligo illud: *Vae*
Mth. 19, 24. *vobis divitibus ... facilius est ...* Nunc intelligo illud S. Ia-
Iac. 5, 1. cobi: *Agite nunc divites, plorate ululantes .... divitiae vestrae putrefactae sunt ... aurum et argentum vestrum aeruginavit, et aerugo eorum ... manducabit carnes vestrae sicut ignis ...* Audio illud horrendum: *Discedite a me maledicti ...* Audio divitem epulonem poscentem aquae guttam, et in aeternum non dabitur. Quare? Num aliena rapuit? Num aliena devoravit? .. Utique bona Lazari, nempe sua ipsius superflua... Durus est hic sermo ... Durus avaris et iniquis ... Sed non tibi nec generoso ... Nam intellige tuarum elemosynarum

II. *Meritum. Erga Deum.* Beneficiis enim dives

a) *Iustificat Dei providentiam.* Deus enim omnium Pater nec personarum acceptor ... Unde ergo tanta inter homines differentia? .. Cur alii abundant, alii egent? .. Divites huic dilemmati respondete pauperum ..: Aut Deus non est providus, aut divites tenentur nostrae miseriae succurrere ... Vobis incumbit re vera probare Deum esse providum. Deus voluit homines ab invicem pendere ... bona terrae a mundi exordio tradidit universae hominum societati, non quidem ut alii sibi vindicarent omnia, alii necessariis carerent, sed ut qui sive casu, sive industria, sive aliis viis legitimis maiora acquisissent vitae bona, aliis succurrerent, et mutuo beneficiorum vinculo unitas et caritas inter homines servarentur ... Alio

prorsus modo providit subsistentiae animalium, quae fecit a se invicem independentia... Ostendite ergo, divites, Deum hunc rerum ordinem recte instituisse... Vestra beneficentia fretus dixit Christus pauperibus: *Nolite solliciti esse*... Providentia pauperum sunt divites... *Mth. 6, 31.*

b) *Exhibet sensibiliter in terris pulcherrimam imaginem divinae bonitatis*... A Deo omnia replentur benedictione... ab illo accipiunt divites quidquid habent.. ipse omnia illis conservat, tuetur et auget... Pulchrum videre beneficum hominem se tantum ut canalem donorum Dei considerantem... Melius est ante ostium turmam habere pauperum, quam satellites regis ante palatium.

b) *Erga proximum*... Ubi est vera philanthropia nisi in eo qui salvat pauperum animas, corpora? (Hic pro varietate temporum et locorum pinge varias miserias orphanorum.... puellarum periclitantium... opificum, senum, etc.) Nihil nimium esse videri potest pro praemio beneficentiae...

III. *Praemium.* 1. *In hac vita.* a) *Gaudium mentis. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum... et anteibit faciem tuam iustitia tua... et Dominus exaudiet; orietur in tenebris lux tua, et tenebrae tuae erunt sicut meridies; et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam*... Norunt qui experti sunt. Numquid comparari potest huic gaudio voluptas contemplandi in arca pecuniam suam?.. Voluptas sumptuosae mensae... Putida vanae gloriae pompa?... Quot sunt qui tunc primum coeperint frui suis divitiis, cum incepissent eas pauperibus impertire! *Is. 58, 7, 8.*

b) *Benedictionem etiam temporalem*... Ne timeas, ne patiantur ex eleemosynis filii tui... *Eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cuius non deficient aquae... fundamenta generationis et generationis suscitabis*... Beati filii quibus parentes hereditatem tradunt benedictionem pauperum. Si enim *maledicentis pauperis in amaritudine animae suae deprecatio exauditur ab eo qui fecit illum*... benedictio pauperis tanto libentius exaudietur a Deo tam bono, tam liberali, qui sibi factum reputat quod uni ex minimis,... et qui vel scyphum aquae sine praemio non relinquet. Immo *foeneratur Domino qui miseretur pauperis*... Reddet illi Deus in hac quidem vita, sed magis. *Is. 58, 11, 12.* *Eccli. 4, 6.* *Prov. 5, 17.*

2. *In altera vita.* Deus enim passim in S. Scriptura promittit misericordiam misericordibus, eleemosynae peccatorum remissionem... *Thesaurum non deficientem in caelis.* Et licet per se non sufficiat explevisse illud praeceptum ad consequendam salutem, certum tamen est, non damnatum iri eum qui bene impleverit. Deus enim illud provehet ad meliora, et gra- *Luc. 12, 33.*

tiam ad reliqua dabit. Hinc Christus regnum caelorum operibus misericordiae quasi exclusive et principaliter tribuit: *Venite benedicti*... Quid ergo tardamus *peccata eleemosynis*
Mth. 25, 34. *redimere?*... Bona quae tandem aliquando cum dolore et absque merito... relinquere oportebit, quae in inferno, ni
Dan. 4, 24. praeceptum impleamus, ne aquae guttam quidem nobis procurare valent... haec, inquam, Deo tradamus... In eius manibus tuta sunt, fructificabunt apud illum, ea cum usura reperiemus.

IV. - DE AVARITIA.

Col. 3, 5. *Mortificate... avaritiam, quae est simulacrorum servitus...*

Quemadmodum idolorum cultor in omnibus rebus idolo confidit, illud solum colit, et quidquid exquisitissimum est illi defert, ita etiam avarus...

Idolatria revera numero deorum cupiditates adscribit et omnibus vitiis favet... ideoque quasi omnium vitiorum origo est... *Radix omnium malorum est cupiditas: nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et*
I Tim. 6, 9, 10. *desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem.* Videamus ergo primum quam perniciosum vitium sit, secundo quomodo avaritia sit exstirpanda.

I. *Quam sit funesta avaritia.* Facit hominem plenum peccatis et miseriis.

1. *Plenum peccatis.* Quid enim est avaritia? Avaritia est effrenatus rerum terrenarum amor... Graviter delinquit qui omnino istiusmodi bonis confidit, vel ad ea acquirenda adhibet media graviter illicita. (Hic non agitur de moderata rerum terrenarum cura, sed...) Avaritia proprie dicta iisdem proprietatibus quibus perniciosa radix praedita est.

a) *Abscondita est defossa (radix)*... Adeas etenim mercatorum tabernas et opificum officinas... Quid ex omni parte tuas aures percellit, nisi querelae?.. « Iniuste a causa, quae mihi erat cum isto homine, in iudicio decidi... ille mihi damnum per contractum attulit, iste meum clam surripuit...» Sed nunc et accusatum audias... « An non tu es ille fraudator...? Nonne tu qui meum surripuisti,... qui iniustitiam mihi attulisti? »... Et isto quippe modo omnes conqueruntur... Cum ad Trasimenum pugnarent Romani et Carthaginienses, vehementem terrae motum non audierunt, adeo in proelium efferebantur... Ad detegendas avari iniquitates, renovari deberet illud prodigium a S. Francisco de Paula editum, cum pecuniam

manu tenens, quam Ludovicus XI. a subditis exegerat, sanguinem inde exprimeret... Huc venias magne Thaumaturge.... constringas manu istius mercatoris pecuniam... en sanguis... Sanguis, inquam, inde exsilit... Comprimas aurea et argentea illius divitis vasa... illius matronae gemmas... en sanguis exsilit... sanguis nempe pauperum... sanguis famulorum et subditorum...

B) *Illa mala radix difficile evellitur*... Ex male acquisitis rebus aliam iste vir sortitus est vitae rationem... Sed postea, quam difficile illum statum, illa commoda, illam vitae magnificentiam, ad eluendas suas ipsius puerorumque iniquitates, deserere... Qui, ad satiandam cupiditatem, Saram abripuerat Pharao, facilius ille quidem incumbente in eum Dei ira adductus est, ut illam Abrahamo redderet; quin et pulcherrima magnificentiae dona attulit. Sed alter ille Pharao, avaritia impellente, contra ius omne Dei populum in Aegypto retinebat... et quavis molestia afficiebat... Frustra in eum decem Aegypti plagae incubuere... non suam agendi rationem reliquit... marisque rubri fluctibus submersus est... Proh! quam multi in ipsa morte furta reddere recusant...!

C) *Ex avaritia pessima oriuntur*... Per eam omnia Dei praecepta infringuntur: *a*) *Idolorum servitus est*... Omnia credit, omnia sperat non a Deo quidem, sed ad ipsa pecunia. Non Deum certe, sed pecuniam suis prosequitur affectibus... moxque omnis religionis sensus exstinguitur... efficitur plane terrestris. *Eph. 5, 5.*

b) Avarus ubique iurat et peierat... Venditores merces suas iactitant...

c) Nihili aestimat avarus observationem diei dominicae et festorum... illis ipsis diebus pecuniarum summam inducit... si Missam adierit, cogitationibus alienis abstrahitur...

d) Haud raro licet invenire liberos cupientes mortem parentum, quorum fruantur hereditatibus,... parentes negligentes educationem liberorum, ne in illa peragenda nimium expendatur pecuniae... qui illos docent methodum fraudandi, furandi... qui illos cogunt inire statum, in quo semper erunt infelices... matres, quae omnis generis ornamentis filias decorant, ut divites attrahant amasios.

e) Inimicitiae, rixae, homicidia saepe ex avaritia emanant... Duo caupones occidunt filium suum, quem non agnoverunt, ut veniant in possessionem illius pecuniae. Post, errore detecto, desperant, uterque parens sibi mortem infert propria manu, vario quidem modo, unus suspensus, altera iugulata. (14 Maii 1618. Solowski 7. 8.) Mendacia, fraudes, furta, falsa testimonia, quae tam frequenter obveniunt in emptione et venditione, non tantum in mensura et pondere, sed... unde originem trahunt?

2. *Avaritia reddit hominem infelicem.*

a) Perpetuo inquietus avarus iugiter siti ardet, quae in dies accenditur, ita ut ille seipsum necessariis privet... Illi nulla est providentia divina... Istud *Nolite solliciti esse... Pater enim vester caelestis...* nihil est avaro. In afflictionibus nullum solatium... *Luc. 12, 22, 30.*

b) Divina maledictio illum graviter attingit... nam Deus cuique divitiis confidenti maledicit... Ita maledictus Achab, Jezabel, Giezi, Iudas... Avaro maledicitur, dum vitales respirat auras... ei nihil bene procedit... a rebus proximi eius res consumuntur... In morte avaro ingruit maledictio, cum miser homo tanta difficultate molem divitiarum, quibus agglutinatus est, deserat... Verum in aeternitate quanta maledictione obruitur, quia iuxta potens S. Iacobi dictum *aerugo divitiarum carnes divitis manducabit, velut ignis.* *Iac. 5, 3.*

Narrat S. Antonius, divitem quemdam nuper mortuum, bonis alienis minime restitutis, ab uno filiorum suorum, viro religioso, visum fuisse in inferno, ubi voraret alium filium, qui et ipse nolens restituere vita destitutus fuisset, et cum patre inter maledictiones in inferno maneret.

II. *Quomodo eradicanda avaritia.*

1. *Restituendum est bonum male acquisitum.* Possessor bonae fidei solum obligatus est ad restituendum id quo factus est ditior... Ille vero qui mala fide iniustitiam commisit, restituere debet omne damnum a se illatum et resarcire, reponendo personam in illo statu in quo esset, si nullum passa fuisset. (Consequenter non solum ipsam rem restituere debet, sed etiam fructus inde perceptos, et reparare lucrum proprietario cessans... aut iacturam factam ex boni ablatione). Restitutio est absolute necessaria ad salutem... Nam *neque fures, neque raptores bonorum alterius, neque avari,* ut ait Apostolus, *regnum Dei possidebunt...* Restitutio fieri debet quam primum... cum iniusta detentio boni alieni sit furtum continuatum... et constituat auctorem in statu peccati... Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ait S. Augustinus... Quilibet tenetur statim restituere si potest, ut docet S. Thomas, vel petere dilationem... *I Cor. 6, 10.*

Ast obiciet aliquis: si immeditate restituo, debeo excidere e statu meo... Scilicet, non poteris amplius tam splendide vestiri... habere tanto numero domesticos... vivere adeo delicate... Sed argentum alterius debetne hisce tuis expensis inservire? Numquid iustum est, ut alius famen patiatur, dum bona eius nutriunt luxum tuum? Mane in tuo statu iuste acquisito, nec ad altiorem conditionem aspires, et hoc modo restitutio non erit causa cur e statu tuo excidas.

Sed repones forte: Obligabo heredes ad restitutionem...

Tu culpam commisisti, ipse ergo eam reparabis .. Non *remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*... An heredes tui facilius restituent, aut melius ad restituendum erunt dispositi?.. Si illos obligaveris, ut Missarum suffragia pro anima tua persolvant, vix ea praestabunt... Si ergo ad restitutionem illos obligare velles, eamdem occasionem damnationis iis praeberes, quae te iam in infernum detrusit... Zacharias propheta librum in aere volitantem vidit, et Dominus dixit illi: Haec *est maledictio quae egreditur super faciem terrae, omnis fur iudicabitur, sicut ibi scriptum est,... et commorabitur, et consumet eam et ligna et lapides eius.* Miseri filii iniquitatis, raptores bonorum alienorum, quam miserandam adibitis hereditatem!... Quando Zachaeus audivit a Domino... dixit: *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Et Christus respondit non tantum, *hodie salus facta est*... huic homini, sed... *salus facta est huic domui*... Sed non habeo unde restituam... Si omnino non habes, nec obligaris restituere usquedum habebis... Sed an non poteris ea procurare.... vivendo parcius?.. non frequentando cauponas?.. renuntiando voluptatibus?.. vestes minus sumptuosas induendo etc.?.. Ille quem defraudasti debebat damnum a te illatum de suo resarcire... quare tu non idem facis?... Noli illudere tibimetipsi, noli illudere confessario... Deus enim non potest falli... Aut restituas, aut damnabere... aut reddas proximo bonum ablatum, aut daemoni animam tuam trades... Non datur medium... Remedium necessarium contra avaritiam est restitutio... aliud remedium est paupertatis amor...

Zach. 5, 3.

Luc. 19, 8.

Mth. 5, 3.

2. *Beati pauperes spiritu*... (In quonam consistit haec *paupertas spiritus*ı *Date, et dabitur vobis... mensuram bonam... dabunt in sinum vestrum*... Pauper spiritu

Luc. 6, 38.

a) *Beatus est in vita*... in Deo totam reponit fiduciam, cui cura est de nobis... qui nutrit volatilia caeli... qui omnia reliqua adiciet iis qui quaerunt primum regnum Dei.... Sine cura ac sollicitudine vivit, sive divitiis affluat, sive paupertate prematur... paucis contentus ut satisfaciat necessitatibus naturae... (Comparatio regis avari cum paupere, qui contentus est rebus stricte necessariis.)

b) *Beatus in hora mortis*... Non durum illi relinquere res a quibus avulsum est cor.... Videt caelum sibi paratum ... heredibus relinquit benedictionem divinam... Satisfecit pro peccatis, ferendo patienter si erat pauper... eleemosynis si fruebatur divitiis... *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*... Paremus nobis talem felicitatem, bona istius mundi non ut finem, sed ut media ad Deo serviendum et ad salutem consequendam considerando...

Ps, 40, 2.

EXPOSITIO SEXTI MANDATI.

I. — DE LUXURIA.

Nolite errare, neque fornicarii,... neque molles.... regnum Dei possidebunt... I Cor. 6, 9.

(Textu latine tantum prolato, procidat in genua versus SS. Sacramentum veniamque petat, quod loquatur coram Deo omnis puritatis de vitio, quod iuxta Apostolum *nec nominari licet in nobis, ut decet sanctos.* Eph. 5, 3. Sed tu nosti Domine, vitium hoc porta est inferni... tu vis ut populus tuus ab hoc barathro resurgat... Parce ergo, Domine, quaesumus... Tum ad populum conversus textum vernacula lingua proferat.)

Haec est sententia, quae tot milia hominum e caelorum regno excludit et in fornacem illam, quam nuper consideravimus, detrudit, ut auctore S. Hieronymo ex centum damnatis nonaginta-novem ob hoc vitium in inferno ardeant, et ipse centesimus non sit omnino immunis. Cur ? quia hoc vitium est omnis aetatis.... omnis sexus.... omnis temporis.... omnis conditionis... omnis modi... Cogitatione... verbo... desiderio... opere... committitur... et ubi plena advertentia, plenus consensus, semper omnibus illis modis peccatum mortale est, ita ut libidinosus aspectus... occludat caelum, teste S. Iob.: *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. 31, 1, 3. Quare? *Quam enim partem haberet in me Deus? Numquid non perditio est iniquo?*... Ita omnes theologi... et mundus vocat fragilitatem, infirmitatem, iocum, defectum aetatis... ! Fides et ratio dicunt, impudicitiam esse peccatum:

I. *Maxime abominandum.* 1. *Summe abominabile Deo Patri*... Deus sanctitas... hoc vitium impudicitia ipsa... Deus spiritus, hoc bestiale... impudicus in scriptura vocatur bestia... canis... Homo Dei imago sublimis... spiritualis... immortalis... paulo imminutus ab angelis... hoc vitio se deprimit ad bestiam... *Superbia peccatum est angeli, avaritia hominis, luxuria bruti* (S. Bernardus). Foedo luto deturpat imaginem Dei... Quae poena illi qui regis statuam, sigillum, inhonorat?... Facit animam monstrum intolerabile Deo... Gen. 6, 6, 7. *Tactus dolore cordis intrinsecus*... dixit Deus: *poenitet me fecisse hominem... - delebo hominem quem creavi... non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est*... Quidquid impudicum aliqua ratione contingit, Deo abominabile est. *Delebo ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli; poenitet enim me fecisse eos.*

Vide vastationes et horrendam diluvii catastrophen. Unde?.. *quia caro est*... Vide Sodomam, Gomorrham... *quia caro est*... Quare Onan occisus a Deo? quod *rem detestabilem faceret*... Quare iuvenes tam praecoces... multi subita morte auferuntur? *quia caro* sunt... Hoc peccatum praecipue subita morte puntur... de hoc enim praecipue dictum: peccatores *non dimidiabunt dies suos*. *Gen. 38, 10.* *Ps. 54, 24.*

2. *Summe abominabile Dei Filio*. Dei Filius... Deus infinite sanctus... per Incarnationem carnem nostram assumpsit, suam effecit... Per baptismum nos acquisivit *in genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, in fratres et coheredes*, ita ut simus de eius familia... Per Eucharistiam unum corpus secum nos effecit, ita ut non iam in membris nostris viveremus... *Vivit vero in me Christus*, ita ut oculus, manus, pes, sit oculus Christi... Quid iam impudicus?.. O grande nefas! O abominandum scelus oculis casti Iesu, qui se in omnibus aliis vitiis tentari et calumniari passus est, in hoc numquam... Virgo de Virgine natus... a Virgine nutritus... inter virgines moritur, et in caelo a virginibus proxime circumdatur. *I Petr. 2, 9.* *Gal. 2, 20.*

3. *Summe abominabile Deo Spiritui Sancto*... *An nescitis quoniam membra vestra*... Fraudare templum Dei crimen... profanare, sacrilegium... in templo Dei vivi, in ara Dei omnis sanctitatis, collocare deam impudicitiae, abominatio est desolationis... *Fode parietem* impudicitiae... inspice cor tuum, quid vides? *Ecce omnis similitudo reptilium et animalium, abominatio, et universa idola depicta in pariete in circuitu per totum*... Cogitationes, desideria, vota... quae replent cor tuum in circuitu. Et in medio templi Dei vivi bestia magna, *mater fornicationum et abominationum terrae*... et anima tua imago Dei prostituta ante illam in pulvere... *Numquid leve est hoc*, dicit Dominus? *Ergo et ego faciam in furore; non parcet oculus meus, nec miserebor, et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos*... Comparasti Deum tuum matri fornicationis, et post posuisti... Clamasti: *tolle, tolle*... *non habemus regem nisi Caesarem*... ideo fugit a te Spiritus consolator... et tu derelictus es tiranno tuo... Ubi exinde pax? ubi felicitas innocentiae? ubi consolatio? *ubi Deus tuus?*.. Pro laetitia et animam consumptam moerore... ut timeas die et nocte... et non credas vitae tuae, mortem semper timeas et infernum... (Damocles in mensa Dionysii) Haec tua iam aliqualis infelicitas, sed non praecipua, nam: *I Cor. 10, 19.* *Ez. 8, 8.* *Ap. 17, 5.* *Ez. 8, 17, 18.* *Io. 19, 15.*

II. *Maxime perniciosum*. 1. *Corpori*. Corrodit vires... Color... anhelitus... incurvatio... gressus... dolores acutissimi medullae et ossium... ulcera... putredo... mors (cfr. opus Tissot). Pater quidam ducit filium Parisios in nosocomium incurabilium, fere tantum impudicorum, et ostendens

illi cumulos lectis paleae superpositos, ait: nunc vade, et cave tibi... Studiosus Brigensis intra duos annos ad putredinem redactus, ita ut nemo ad eum auderet accedere... pergit peccare, et ut bestia moritur...

2. *Famae et Fortunae*... Hic vix insistam: notum est. Si dicatur: homo (vel mulier) iste superbus, vanus est, vix iniuria aestimatur; si dicatur: impudicus est, tota fama perdita est... et licet plures non incurrant infamiam... nullum tamen vitium adeo facile externe se prodit lingua, oculis, fronte. Signatus est, ut Cain, charactere bestiae... Bona item temporalia quo vadunt?.... Pax et concordia in coniugiis.... Quot infelicia matrimonia ob vitia adolescentiae... ob peccata sponsorum, qui sibi omnia licere putant,... Perdunt mutuam reverentiam, fiduciam... Dei attrahunt maledictionem... Sed nihil haec omnia in comparatione detrimentorum

3. *Animae.* Hoc vitium est et signum et principium reprobationis:

A) Signum reprobationis. Signa in reprobo sunt:....
Mth. 22, 13. Caecitas: *mittite eum in tenebras exteriores.* Confusio: *ubi*
Ps. 108, 7. *nullus ordo, sed*... Servitus: *exeat condemnatus, et diabolus stet a dextris eius.* Tandem et vermis conscientiae: *vermis eo-*
Mrc. 9. 43. *rum non moritur*... Haec vero omnia in impudico...

a) Caecitas. Memoria debilitatur, intellectus obfuscatur foetida exhalatione paludis putrescentis cordis.... insensibilitas ad omnia sancta... ad horrendas etiam religionis veritates... Ipse infernus... mors subita sociorum nihil movent... *Non dabunt cogitationes suas ut revertantur ad Deum*
Os. 5, 4. *suum, quia spiritus fornicationum in medio eorum.* (Duo fratres, Friburgi, subito mortui sunt eadem nocte... Secundus, videns fratrem corruentem in evomito sanguine exstinctum, ridens sororis adhortationem redit ad tabernam, ridicule rem narrat... revertitur domum et corruit ipse sicut bestia sine remorsu).

b) Confusio. Impudicitia omnia vitia alia in stipendio habet: invidiam... prodigalitatem... furtum... calumniam... suicidium... rixam... blasphemiam... homicidium... Adite triremes et rogate condemnatos singulos: quare tu hic es?.. Adite infernum...

c) Servitus. (Imperator Valerianus factus scabellum regis Persarum... filius prodigus pascens porcos.) Necessitas est continua: de die... de nocte... omni loco... omni occasione... Tirannus sedet in corde... imperat unum crimen post alterum... Sed non habeo unde... mutuo accipe... non possum... fama... ille obstat... occide... Corpus meum non potest amplius... fac, et morere.... *Et ossa eius implebun-*
Iob. 20, 11. *tur vitiis adolescentiae eius, et cum eo in pulvere dormient.*

d) *Vermis*... vix peccavit, sibi est horrori... ut Cain ... Supra se Deum, infernum infra apertum... in se tormenta... in exspectatione aeternitatem horrendam... Ecce eius status... Nunc iam satis?... Non... Hoc vitium etiam est:

B) *Principium reprobationis.* Quare?

a) Quia nullum vitium ita praeripit motivis conversionis omnem eorum vim... fidem paulatim exstinguit... incredulitatem inducit.

b) Nullum vitium adeo exponit relapsui... Consuetudo fit altera natura... ipsi corpori physicam quamdam necessitatem indit... Saepe promittunt emendationem... plorant... et quasi a daemone obsessi semper relabuntur... quasi *sus lota in volutabro luti*... *venumdati sub peccato.* *2 Petr. 2, 22.* *Rom. 7, 14.*

c) Hinc tandem desperant... et *desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiae*... Usque dum horrenda mors miserae et abominandae vitae finem imponat... Quid dico? finem imponat? Oh aeternitas! aeternitas dolorum, ignominiae, luctus, tormentorum... pro tam foeda, tam brevi, tam amara voluptae!.. Hic finem faciam... plura dicere si vel luberet, necessarium non arbitrarer ad ingerendum summum horrorem foedissimi vitii... *Eph. 4, 19.*

III. *Remedia* tum pro lapsis... tum pro innocentibus et conversis...

1. *Lapsis* dico: ne despondeatis animo, uti daemon suggerit. Nullum peccatum irremisibile... ergo etiam nullum quod nequeat seria voluntate emendari... Facite bonam confessionem... Confitemini frequenter apud eundum sacerdotem... Communicate... *Si potuerunt isti et istae*... quare non tu (Exempla Magdalenae, Augustini...) Pauci ab hoc vitio omnino immunes... multi tamen in caelo propter seriam emendationem (Iuvenis a S. Philippo Nerio... alter a S. Bernardo sanatus per brevia cum Deo armistitia...) Utimini iis quoque mediis quae innocentibus et conversis propono...

2. *Innocentibus et conversis* dico: *Vigilate et orate*... *Mth. 26, 41.*

A) *Vigilate: a*) fugiendo cogitationes... occasiones... societates, etiam eas quae videntur innocuae, *ne cum spiritu coeperitis, carne consummemini*... loca... libros... socios... *abscinde et proice abs te*... *Gal. 3, 3.* *Mth. 5, 30.*

b) Timendo Deum, mortem, infernum... *Momentaneum quod delectat, aeternum quod cruciat*... *Memorare novissima tua*... (S. Benedictus se in spinas... Bernardus in aquam... solitarius pedes in ignem... Nicetas linguam exspuit in scortum). *Eccli. 7, 40.*

c) Custodiendo oculos, aures,... temperantiam... *Ascendit mors per fenestras.* *Ier. 9, 25.*

B) Orate ... Scivi quoniam aliter non possem ... Adii Do-
Sap. 8, 21. *minum et deprecatus sum ex totis praecordiis meis* ... Oratio frequens in tentationibus ... frequentia sacramentorum ... de-
Prov. 8, 35. votio erga B. Mariam ... *Qui me invenerit, inveniet vitam* ...

II. - DE CONVENTICULIS UTRIUSQUE SEXÚS.

Denuntiamus vobis, fratres, in nomine D. N. I. C., ut se-
2 Thess. 3, 6. *paretis vos ab omni fratre ambulante inordinate* ...

Mala societas ordinaria causa est ruinae spiritualis ... Iuventus discit et pertrahitur ad malum ... passiones accenduntur verbis et exemplis ... pia melioris vitae proposita huic scopulo eliduntur ... Ideo monet tam graviter Apostolus ... ideo quisquis non vanam vitae emendationem suscipit, ante omnia pravam vitet societatem ... Hodie loquar de illis societatibus, quae generatim non habentur ut pravae, quia scilicet externum decorum in iis servatur, et tamen valde periculosae sunt: de conventiculis iuventutis utriusque sexus, sive ad nocturnas vigilias transeundas sive ad choreas ducendas ... Novi me pluribus deridendum... Fortasse aliqui instruent choreas, quia eas vitupero ... Quantum pro me detrimentum! ... Sed meum officium mihi potius est illorum approbatione .... Boni me audient et cavebunt ... his, ne rem exaggerare videar, tantum dico: talia conventicula sunt plerisque vere periculosa, ergo fugienda.

I. *Pericula* ... Se exponere voluntarie proximo periculo peccati mortalis est ...; atqui plerisque tales coetus sunt occasio proxima peccati mortalis ...

1. Nihil loquor *de tempore impendi solito* ad praeparationem ... ad ornatum ... de expensis ... de profanatione diei sacrae ...

2. Nihil *de liberiori conversatione* ibi haberi solita ... de actionibus etiam turpibus ... Suppono vestros coetus, vestras choreas esse honestas ...

3. *An nihil ibi occurrit quod saltem cogitationes et desideria impura excitare possit?* .. Nox ... lumen ... ornatus, placendi desiderium ... affabilitas ... saltatio ... vinum ... vel solus aspectus periculosus. *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius ... Averte facem tuam a muliere*
Eccli. 9, 5, 8. *compta ... ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.*

4. Ipsummet *placendi desiderium* an semper vacat a culpa ... an non etiam aliis periculosum? ..

5. Quam facilis *invidia*... *suspicio*... (etsi de facto nihil sentias, tamen est periculum). Inimicitia exardescit, si quis alium sibi praeferri videat...

6. Quot *detractiones*...

7. Quot perniciosae ibi *familiaritates* ordiuntur... *Omnia peccata chorizant in choreis.* (Gerson).

II. *Excusationes.* 1. *Ast nihil horum sentimus*... Nihil?.. An vos examinastis ipso tempore vel postea?... Licet nihil senseris, tamen est periculum... Oh stolidos sanctos qui mundum adeo fugerunt... Anachoretas, qui se in cavernis abdiderunt... die ac nocte orationi vacaverunt... corpus poenitentiis attriverunt... et tamen a tentationibus immunes non fuerunt... (S. Hieronymus) vestrum exemplum imitari debuissent!

2. *Ast non sumus monachi et moniales*... Quid inde?.. An ideo vobis licet quaerere periculum? an vobis aliud caelum? Quia non estis remoti a periculis ut illi... quia non ita domitis passionibus... non ita uniti Deo... an vobis licent ea quae illis periculosa forent?... Ast mos invaluit in mundo... Scilicet vos facitis mundum... vos facitis morem... deponite, et non erit... Non omnes mores servandi... *Nolite diligere* *I Io. 2, 15.*
mundum, neque ea quae in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo. Nescitis quia amicitia huius *Iac. 4, 4.*
mundi, inimica est Deo?.. Ast si non adeam, non inveniam coniugem... Sic! tam parum ergo vales, ut, nisi te sub hasta ponas, nullus te norit et amet... Dicite, iuvenes, dicite, puellae, praefertis eam vel eum, quae vel qui in omnibus his conventiculis se circumagit, illi quae vel qui domi manet... sua curat?... Oh! vos infelices... qui sic initis coniugia! Hoccine modo Dei benedictionem attrahitis electioni vestrae, vestro matrimonio?... Ibi praecise decipiemini, quia ibi se quisque meliorem fingit quam est... Bene saltat, ergo bona coniux!.. Secus non inveniam coniugem! Ergo vestri conventus apti sunt ad fovendos amores... ergo periculosi sunt... ergo ipsi affirmatis quod probandum susceperamus... Parentes caveant... Caveant qui domum talibus conventiculis commodant. Caveat *Luc. 13, 24; 6, 25.*
iuventus... *Contendite intrare per angustam portam*... *Regnum caelorum vim patitur*... *Beati qui lugent*... *Vae vobis* *Mth. 11, 12, 5, 5.*
qui ridetis nunc...

III. - DE LECTIONE MALORUM LIBRORUM.

Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus; et computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium... *Act. 19, 19.*

Plaga magna facta est in universa terra: *Apertus est puteus abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnae, et obscuratus est sol et aer de fumo putei.* Ap. 9, 2.

Omnes ideae obscuratae sunt... omnes hominum cogitationes confusae... Ius conversum in nefas... iniquitas vocatur iustitia... Quisque loquitur linguam suam, et non intelligitur ab alio... facta est confusio Babel turris... Omnes homines insaniunt... Quis hic non agnoscit plagam magnam effusam super aetatem nostram, horrenda illa nube pravorum librorum, qui fundamenta societatis civilis, moralitatis, religionis subvertunt... hominum ideas confundunt... sermonis lenocinio incautos attrahunt, et scorpii cauda venenata interficiunt... Oh munde, insanabilis est plaga tua! Morali diluvio succumbis... Ingens pravorum scriptorum numerus... Insipientes magistratus... incauti omnes incolae malum non agnoscunt... mihi forsan, qui contra hoc nefas invehor, irrident... Interim officio meo non deero, sed loquar et salvabo animam meam... *Qui habent signum Dei in frontibus suis,* audient me et cavebunt... His, ne totam complexus materiam infinitus sim, dico tantum haec tria: Libros malos legere, est illicitum, perniciosum, nulla ratione excusandum.

I. *Est illicitum...*

1. *In se.* Libri mali (ne de iis loquar, qui sanae politices principia subvertunt) sunt ii omnes qui quocumque modo fidem sanctam nostram (Ecclesiam, sacros ritus, etc.) aut bonos mores laedunt, (haeretici, impii, obscoeni)... Voluntarie haerere cogitationi haereticae, impiae, obscoenae, est peccatum mortale... An legere non est haerere, cogitare, etc.? Et dato etiam quod non haereas, transire a cogitatione impia aut obscoena ad aliam impiam et obscoenam, non est haerere cogitationibus impiis aut obscoenis?... Se exponere periculo proximo peccati mortalis est peccatum mortale. Num qui legit non se exponit proximo periculo inhaerendi iis quae legit?... periculo perdendae fidei, castitatis?...

2. *Lege Ecclesiae.* Ecclesia, damnato haeretico, semper damnavit eius opera, eorumque lectionem et retentionem graviter prohibuit (Exemplum S. Pauli, Act. XIX). Tridentinum iussit confici Indicem, qui promulgatus est a Pio IV, auctus a Clemente VIII, Alexandro VII, Benedicto XIV, Leone XII, Gregorio XVI, eius observationem gravissime urgentibus... Poenae Ecclesiasticae... Libri obscoeni, qui res obscoenas seu lascivas continent ex professo, prohibentur sub peccato mortali... Hinc aut comburere librum aut uri... (Monitum ad typographos et bibliopolas).

II. *Est perniciosum...*

1. *Fidei.* Etiam indocto viro, per lectionem libri haeretici, impii, frigescit sensus religiosus... exsurgunt dubia... interit

fides ... Sic exortae pleraeque haereses (Libri Wicleffi infecerunt Huss... Lutherum, Zwinglium, Calvinum; horum libri alios...) Hinc posteriores haeretici id tantum semper recoquunt quod dixerunt priores... Quid iam si indocti, feminae, iuvenes... promiscue omnia legant?... Libros haereticos, deisticos, atheisticos, scepticos, materialisticos? Qui quotidie talium virorum consuetudine uteretur, servaretne fidem? Atqui periculosior liber quam eius auctor... Liber impudentior, callidior quam sermo... Magis quiete perpenditur liber, intrat pedetentim.... Plures scriptores, si personaliter viderentur, audirentur, nihil efficerent ob defectus personales... in libro hi vix aut nullatenus apparent... Hinc a famoso impio de revolutione Gallica dictum: *Les libres ont tout fait*... Hodie ubi magis emortua fides...

2. *Moribus.* Etiam libri mere indifferentes et leves, licet non pravi, dissipant mentem, levem reddunt hominem, ineptum ad negotia et studia seria. Tempus pretiosum absumunt, quod a matrefamilias... a studioso... a viro... aliter et utiliter impendi convenit. Libri vero licentiosi... romanenses, comoediae, tragoediae, poeses leves, fugitivae, ubi vitium et fragilitas excusantur, amoenis coloribus depinguntur, ut quid naturale defenduntur, minuunt horrorem vitii, excitant passiones, ad crimen impellunt. (Effectus primae lectionis in iuvene, in puella, in muliere). Nullus castus, nulla casta, libro obscoeno lecto... et tamen tales libri tolerantur a magistratibus, imprimuntur, venduntur, amicis mutuo dantur, publice exponuntur, domi coram pueris... hereditate transmittuntur... Venefici! (exemplum cuiusdam alumni qui matri libros surripuit...) Legentes tales libros confitentur, communicant, devotionem profitentur!... Lupanar adire verentur, verentur loqui cum personis impudicis, et non verentur legere turpiora!.. Ubi pudor? ubi decentia morum publicorum, si tales libri tolerantur? Quid cogitant de te iuvene... de te puella... de te matrefamilias... ii qui in tuis manibus... in tua mensa... in tua bibliotheca vident tales libros?... Si transiens ante aliquam domum, videas glandes et siliquas coacervatas, nonne scis ibi nutriri porcos?... Et te non pudet?...

III. *Nulla ratione excusandum*...

1. *Ast nullos pravos sentio effectus*... id est, nihil sentis extraordinarii, quia iam perditur... (Lege bonos ut te corrigas) Aut forte non intelligis, et tunc cur legis?... Aut forte es angelus... Ast quis angelus se volutat in caeno? Si nondum sensisti, senties et peribis (Libri, qui obscoena modeste contegunt, periculosiores)...

2. *Sed lego ut me formem*... An *sensu religioso?*... Legendo libros impios, haereticos?.. An sensu *morali?*..Legendo libros impudicos, immorales?.. Libros romanenses, qui tibi,

mundo suo ideali, taedium ingerunt tui status, tuorum officiorum... animum enervant?.. Quot vides feminas deplorare sortem heroinae romanensis, quae passionem Christi siccis oculis audient, pauperem domo eicient, et data occasione monstra crudelitatis erunt. (In revolutione Gallicana matronae, tali lectioni formatae, sacerdotes iugularunt, corda inimicorum in platea devorarunt, et ex carnibus aristocratarum placentas confecerunt... Aliae ut deae rationis sese circumduci et altaribus imponi passae sunt). Sic formatur cor!.. An sensu *litterario?*... An iam legisti omnes bonos? An licet se ita formare cum detrimento fidei et morum?.. An relate ad res, cogitationes et sensa? Ut postea illis utaris?.. O miserum plagiarium!.. Lupanar adeas, amplam invenies materiam et minori labore... An relate ad stilum? Nonne his rebus accommodatur? Quomodo transferes ad res alienas, oppositas? (Si stilus pulcher, tanto liber perniciosior)... An relate ad materiale linguae? Nonne in bono libro poteris videre modum construendae phrasis, declinandi, coniugandi?.. Ex libro obscoeno numquam fructum litterarium decerpes, quia mens tota occupata est obscoenitate, abripitur... Non vacat attendere ad stilum, ad artem... Nullus umquam scriptor egregius talium lectione formatus... contra, cor corrumpitur... sensus pulchri et veri depravatur... *Un coeur corrumpu ne fut jamais sublime* (de Maistre)... (Propria experientia id observavi in uno alterove alumnorum meorum). Ast oportet tamen nosse opera quae in lucem prodeunt!.. Quare... Ut docti famam habeas?.. Et non pudet dicere: legi tale et tale opus, quod ut infame notum est?.. Si velis gloriam tibi ex tali lectione comparare, quare tam sedulo occultas te dum legis?.. Quare celas superiores..? An non quantum satis est potes nosse eos ex critica de iis facta, si talem attentionem merentur sub respectu scientifico?.. Quod si nec crisi subici meruerunt, quae gloria est legisse?.. Sed debeo tamen me recreare... Sic? Quale cor?.. Sus in volutabro luti!.. An bona, an utilis lectio non amoenius expleret tempus?.. (Hic inseri potest digressio in malas *Ephemerides*. Quis eas scribit?.. Homines plerumque famelici et ad nihil grandius idonei.. Ad quid?.. ad promovendum interesse alicuius factionis... Quomodo? per modum fabricae... Quis proinde fructus?.. Pietas?.. Politica institutio?.. Pragmatica notio status alicuius regionis?.. Ars litteraria?.. Bonus tonus?.. Et quantum tempus insumitur, quanta sollicitudo!).

Quidquid sit, haec dicta sufficiunt. Lectio librorum impiorum et obscoenorum est in se peccatum mortale... est prohibita ab Ecclesia... est fidei et moribus perniciosa... rei litterariae non modo inutilis, sed noxia... pernicies individuorum et societatis... probrum individuorum et reipublicae...

Ergo tenetur quisque tales libros abicere et comburere, nisi velit ipse comburi (Consulat virum probum et doctum, quosnam legere possit)... Patres et matresfamilias, et quicumque superior, tenentur subditorum lectioni invigilare... Typographi tales imprimere, bibliopolae vendere non possunt... Nemo potest tales libros alteri commodare... Magistratus tenentur bibliothecis publicis et commercio librorum invigilare, sicut venenorum commercio, et etiam severius. Mali enim libri corrumpunt principia politices... principia religionis, quae fulcrum est reipublicae... principia moralitatis, sine qua nullus ordo, nulla pax, nulla vel temporis felicitas...

IV. - DE EBRIETATE.

Neque ebriosi... regnum Dei possidebunt. *I Cor. 6, 10.*

Ebrietas vitium est adeo turpe, ut timeam ne offendantur mei auditores, quod de eo ad illos verba faciam. Alioquin tamen vitium hoc adeo commune est, ut parvi a plerisque pendatur. Attamen est adeo perniciosum, ut mei muneris esse ducam, si non corripere meos auditores innocentes, monere saltem ut ab eo sibi caveant perpetuo. Hunc in finem perpendamus quam sit *noxium:*

I. *Sanitati.* Pro sanitate et vita conservanda comparantur omnia huius mundi bona... pro sanitate et vita omnia offeruntur bona medicis... Hac deficiente nullae aestimantur divitiae... Leges Dei et Ecclesiae non obligant cum eius dispendio... tanti est pretii... Et tamen pro vili potus voluptate sacrificatur... Quot morbos attrahit ebrietas!... Quam saepe sibi mortem bibunt!.. *Propter crapulam multi obierunt....* *Eccli. 37, 34.* Quae differentia, vino an pugione se occidere?.. lento veneno an vino?.. Quam stultum, pro momentanea voluptate, quae ob nimietatem ne tota quidem sentitur, sibi decurtare vitam! Si vis multum vivere, bibe moderate... Quam stultum, quam inhumanum, alium provocare ad multa pocula... ad bibendum ad satietatem!.. Quam stultum in eo reponere honorem... ex pudore non audere detrectare!.. Quare non manducatis etiam ultra satietatem?..

II. *Famae.* Nullum vitium efficit hominem tam turpem et abiectum, bestiaeque similem... Aspicite ebrium... Quid de eo cogitatis?.. Quae differentia inter eum et brutum?.. Manus... pedes... oculis... os .. haec omnia habet et bestia.. et his utitur melius... *Quanto melior est ebriosis asinus et canis?* (S. Chrysostomus Hom. 7). Numquid tali homini in re quapiam gravi fidetis?.. Tali mercatori committetis vestram

30

pecuniam? .. tali advocato deferetis vestram litem? .. talem magistrum reverebimini? .. talem servum voletis? .. talem maritum quaeretis? Omnes abominantur eum *ut opprobrium generis humani* (S. Chrysostomus) ... Lacedaemonii servum inebriabant, ut, eo viso, iuventus ab ea turpitudine perpetuo deterreretur. (Messenius uxorem ebriam occidit, et a Romulo laudatur ... Alia matrona Romana fame exstincta, quia cellae vinariae claves manu sumpserat. Ita pagani de hoc vitio).

III. *Fortunae. Noli esse in conviviis potatorum ... quia*
Prov. 23, 20. *consumentur, et vestietur pannis dormitatio.* Ratio clara est. Vinum non habetur gratis ... Vinum efficit hominem ineptum ad gerenda sua negotia ... non modo tempore quo potatur, crapula edormitur ... sed etiam postea, quia caput obtundit et reddit hominem stupidum ... Videte ebriosum rusticum, mercatorem, oeconomum, ... Quomodo gerit negotia? quomodo domesticis invigilat? ... Et hoc vitium non est unius alteriusve diei, sed est perpetuum ... Quasi qui aquam maris bibit, sem-
Prov. 23, 34. per nova torquetur siti. *Eris sicut dormiens in medio mari ... et dices ... quando evigilabo, et rursus vina reperiam?* Quae opes in longum tempus sufficient tali crapulae? .. Quid docet quotidiana experientia? ... De divite Atheniensi, quem ebrietas perdiderat, dicebatur: *Hic a vino spoliatus est.* Quam multi apud nos ... Diogenes videns domum quamdam veno expositam dixit: *Sciebam domum hanc vino ebriam dominum evomituram.* Idem videns divitem ebrietate pauperem factum, manducantem siccas olivas, dixit: *Si sic prandisses, non sic cenares* ... Haec vel de ditissimis vera sunt ... quid vero dicam de operariis ebriosis, qui una die deglutiunt sudorem totius hebdomadae? ... Interim domi uxor et liberi esuriunt, algent, nudi sunt, plorant, desperant ... Redit ebrius domum, male-
Sap. 12, 5. dicit, verberat ... Oh! *filiorum suorum necatores sine misericordiae, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis.* Non corpora tantum, sed et animas occiditis eorum ... Quae enim eorum in tales patres maledicta! .. qui contemptus! .. quod odium! .. quae inde furta! .. quae prostitutio! .. quae desperatio! .. (Anno 1583 mulier quaedam adit virum in caupona plorans, rogat ut sui liberorumque suorum misereatur, qui tertio iam die panem non gustarant. Maritus verberibus expellit. Redit illa domum: puerulos tres, panem ululantes, cultro mactat, reversum maritum eodem cultro trucidat, in patibulo perit ipsa). Cavete! Nemo vult eousque venire, et tamen pervenitur ...

IV. *Animae.* 1. *Ebrietas perfecta* seu talis excessus in potu quo homo ita privatur ratione, ut bonum a malo non discernat, est semper peccatum mortale ... *Ebriosi regnum Dei non*
I Cor. 6, 10. *possidebunt. Peccatum* enim *grave* est:

a) *Contra seipsum.* Privare se ratione, reddere se bestiae

non modo similem, sed inferiorem ... S. Chrysostomus et alii Patres comparant ebrii statum possessioni diabolicae, vocantque possessum voluntarium ... Possessus sibi conscius non est ... loquitur ... contorquet membra ... non ipse, sed daemonium in ipso ... Blasphemiae ... possesso non imputantur, quia non voluntarius status ... ebrioso imputantur, siquidem praeviderit ... Grave peccatum, efficere se inhabilem ad finem suum ... ad exeundum de peccato mortali, si forte mors superveniat ... Si mors subita ingruat ... alia omnia peccata retractari possunt ... hoc non ... Hinc, qui in ebrietate moritur, sive aliis peccatis onustus sit (et in hoc casu, etiamsi ebrietas non fuisset voluntaria), sive solo ebrietatis peccato, certo damnatus est ... Et tamen quam multi moriuntur in illo statu: *In calore eorum ponam potus eorum ... Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* ... (Monitum ad caupones ... ne semiebriis amplius dent, nisi grave ipsis instet damnum). *Ier. 51, 39.*

b) *Contra Deum* ... Homo est imago Dei ... Quae iniuria eam foedare, destruere ... reddere imaginem Dei similem bestiae, et proin quasi Deum ipsum ... Proh scelus! ... (Vide dicta de luxuria, 1. parte). Hinc Dominus: *Cui assimilastis me? Vae, qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Ideo iratus est furor Domini in populum suum, et extendit manum suam super eum, et percussit eum ... Propterea dilatavit infernus animam suam ... Non erit qui eruat.* *Is. 40, 25.* *Is. 5, 14 22, 25, 29.*

2. Ast dicent plures: hoc nihil ad me, numquam me plane inebrio ... Sed etiam tantum *semiplena ebrietas* licet ut talis non sit peccatum mortale, numquam fere vacat peccato mortali, si sit plane voluntaria... et status eius habitualis est certo peccatum mortale. *Ebriosi regnum Dei non possidebunt* ... Cur? ... Quia

a) Est proxima occasio plenae ebrietatis ... difficile sistitur ...

b) Est proxima occasio plurium peccatorum gravium ... Desideria ... verba ... actiones impudicae ... blasphemiae ... iuramenta ... imprecationes ... contumeliae ... rixae ... percussiones ... homicidia ... proditio secretorum ... dilapidatio bonorum ... mala administratio negotiorum ... scandala ... Noe sua iustitia evadit diluvium ... vino scandalum fit liberorum (patresfamilias) ... Loth sua castitate effugit Sodomae incendium, vino perducitur ad duplicem incestum (iuvenes qui volunt manere casti) ... Herodes veneratur Ioannem Baptistam, et tamen vino aestuans consentit in eius necem (magistratus) ... Balthasar vino aestuans e sacrario afferri iubet vasa sacra eousque reverenter asservata, ea profanat: *Ponderatur, levior invenitur, damnatur* ... Peccator, potator, cave

tibi... forte dum tu bibis, Deus te appendit in bilance... *Ducunt in bonis dies*... sitim passuri aeternam... liquefacto plumbo et flammis potandi... guttam aquae non obtenturi in aeternum!.. *Expergiscimini, ebrii, flete, et ululate omnes, qui bibitis vinum... quoniam periit ab ore vestro.* Dum tempus est, *attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate,... et sueprveniat in vos repentina dies illa* (iudicii).

Iob. 21, 13. Ioel. 1, 5. Luc. 21, 34.

Qui hoc vitio infecti sunt, vel paulatim imminuant quantitatem vini, vel, quod melius est, omnino abstineant... Qui infecti non sunt, utantur moderate cum suis domi, sed non in cauponis... Elevemus cor nostrum ad altiora... dignitatis nostrae memores... certi nos veram felicitatem nec in crapula nec in ebrietate inventuros, sed satiandos tantum *cum apparuerit gloria Dei, et inebriabimur ab ubertate domus eius.*

Ps. 16, 15; 35, 9.

EXPOSITIO OCTAVI MANDATI

DE VITIIS LINGUAE.

Iac. 3, 6.

Lingua... universitas iniquitatis...

Lingua pretiosum Dei donum... malorum tamen seminarium... Ex ea blasphemiae... imprecationes, iuramenta... obscoenitates... detractiones, calumniae... Impossibile omnia haec simul insequi... Restringam me ad detractionem et calumniam.. Videndum

I. *Quomodo committantur*... (definitio detractionis, calumniae).

1. *Negative.* Non committitur detractio vera dicendo de homine perditae famae ob ipsa crimina, de quibus quis loquitur ... nec dum indicantur vera superiori qui potest corrigere... nec qui caritate avertit damnum tertii (ex. gr. manifestans hero defectum nocivum famuli).

2. *Positive. a*) *Calumniatur*... imponendo quomodocumque aliquid falsum... augendo vera mala... minuendo vera bona... in mala vertendo de se indifferentia... negando vel dubiam reddendo veram alterius laudem... tacendo, dum silentium alii interpretantur ut veri negationem... remisse et restricte laudem dando...

b) *Detrahitur* manifestando mala ignota sine ratione excusante... approbando... animando detractionem... (Quomodo agendum cum calumniatore et detractore).

II. *Quam sint gravia.* 1. *Contra caritatem,* quae est virtus christiana praecipua... Haec virtus laeditur detractione et

calumnia: in corde detrahentis aut calumniantis... in corde audientium... in corde laesi...

2. *Contra iustitiam,* quae vult, ut suum cuique tribuatur, nullum bonum iniuste auferatur... Haec vero vitia auferunt:

a) *Famam,* bonum pretiosissimum, homini carissimum... vix umquam perfecte restituendum.

b) *Saepe fortunam*... si detrahatur opifici... servo... puellae innuptae... magistratui... sacerdotibus... quam grave detrimentum publicum...

3. *Nulla ratione excusari possunt.* Vanae excusationes: *non intentione feci... par pari rettuli... verum dixi... erat vir exiguae existimationis... erat res parva... dixi sub secreto...*

III. *Quam obligationem imponant.* Tum detractio tum calumnia imponunt obligationem *restituendi:*

1. *Famam: a*) *revocando* falsa apud eos omnes ad quos pervenit calumnia, sive immediate sive mediate...

b) *Compensando* simplicem detractionem, laudando alias bonas qualitates...

2. *Damnum temporale,* damnum emergens... lucrum cessans,... emergens tum ex calumnia, tum ex detractione... Si damnum sit certo secutum, notabile et praevisum cum culpa theologica gravi... Excusat enim a restitutione damni temporalis haec absentia peccati... item rationabilis praesumptio factae condonationis... impossibilitas vera...

Restitutio cum sit... cur ergo?.. Foveamus caritatem... parci simus in verbis...

INSTRUCTIONES VARIAE

DE CONFESSIONE I.

DE DIVINA EIUS INSTITUTIONE EIUSQUE FRUCTU SALUBERRIMO

Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur... *Prov. 28, 13.*

Homo ab homine... puer a parentibus... civis a magistratibus... debet dirigi... Homo ab homine sanari debet et ut sanationem obtineat, morbum aperiat necesse est... Peccatum error est... morbus est... errores vero, morbos quoque ut sanaret, Deus doctorem et medicum praebuit. Immo, peccatum rebellio est superbientis hominis contra Deum, quae rebellio poenam meretur, aeternum nempe supplicium... Mi-

sericordia tamen divina veniam promisit humiliter confitentibus... Hanc directionem, hoc remedium, hanc veniam invenimus in sacramento Poenitentiae..., quod tamen (et cum pudore dicimus) tam multi vel negligunt, vel in malum suum suscipiunt... Magnam igitur erga hoc sacramentum aestimationem conciliare vobis enitar... Id quoque curabo, ut vos doceam quomodo illud cum fructu suscipiatis. Duo igitur puncta:

I. *Confessio divina est institutio.* Deus enim illam exigit

1. *In lege veteri: a*) Ab Adamo et Eva peccati confessionem requirit... a Caino... (qui, cum male confiteantur, venia fraudantur).

b) *Dabo pavorem in cordibus eorum*... iis nempe qui

Lev. 26, 36-42. se coinquinaverint... *terrebit eos sonitus folii... et ita fugient quasi gladium; cadent, nullo peresquente... tabescent in inquitatibus suis... et propter peccata... sua affligentur, donec confiteantur iniquitates suas... donec erubescat incircumcisa mens eorum. Tunc orabunt pro impietatibus suis. Et recodabor foederis mei...*

Lev. 4, seqq. *c*) Deus diversas praescripsit oblationes pro sua cuiusque conditione ad expianda singula peccata, *quibus solent peccare homines, iuxta aestimationem mensuramque delicti.* Quae verba denotant existentiam privatae confessionis sacerdoti factae, qui doceret quamnam victimam offerre deberent et quaenam esset mensura delicti, necnon existentiam publicae confessionis, cum scirent omnes pro tali peccato talem victimam offerendam esse...

Num. 5, 6. *d*) *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere, et per negligentiam trangressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.*

Eccli. 4, 25, 31. *e*) *Non confundaris confiteri peccata tua... est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.* Sint in exemplum David et Manasses...

Deut. 17. *f*) Leprosi ad sacerdotes ire iubentur, ut ii de lepra discernant... Figura sacramenti poenitentiae in lege nova a Deo instituti.

2. *In nova lege.* A) *Christus potestatem remittendi peccata exercuit*... Magdalena... Paralyticus...

Mth. 28, 18. B) *Eam potestatem Apostolis tradidit: Omnis... potestas... Sicut misit me Pater... Accipite Spiritum Sanctum, quorum*

Io. 20, 21. *remiseritis*... Hanc prius Petro speciali modo tradiderat deinde omnibus Apostolis. Porro his verbis Apostolis consti-

Mth. 16, 19; 18, 10. tuuntur iudices qui *remittant vel retineant* peccata... subordinati tamen, ita ut a Deo rata fieret sententia... Unde ex confessione poenitentis sacerdos dignoscere debet utrum pec-

cata remitti an retineri iustum sit... Si enim iudex subordinatus statuat de causa incognita, iudex supremus (omniscius) huius sententiam ratam non habebit... Deus voluit hanc potestatem commissam ministris sapienter adhiberi, ad animarum salutem... voluit poenitentem doceri et dirigi...

c) *In Ecclesia,* quocumque tempore, *confessionis usus invaluit.* *a*) Videmus in Actibus Apostolorum post orationem Pauli: *multi credentum veniebant confitentes, et annuntiantes actus suos,* Syriaco textu *delicta sua.* Item S. Paulus veniam incestuoso concessit *in persona Christi...* *b*) Perpetuitatis huius testes sunt omnium saeculorum Patres, cum doceant necessitatem confessionis... ut secundae post naufragium salutis... moneantque ne nos male pudeat coram unico sacerdote... ne erubescere debeamus in ultimo iudicio coram universis, et damnationem incurramus... *c*) Varia Concilia poenitentias statuerunt pro confessionibus publicis... *d*) Variae Ecclesiae vel haereticorum vel schismaticorum in Oriente, a multis saeculis ab Ecclesia Latina separatae, eique infensissimae, confessionem retinent...

Act. 19, 18.

2 Cor. 2, 10.

d) *Confessio hodie existit, ergo confiteri semper fuit obligatorium...* Nam homines (sacerdotes) nec potuissent nec voluissent confessionem inducere.

a) *Non potuissent...* Quid enim, carissimi auditores, mihi responderetis dicenti nunc primum, vos confitendi obligationem habere?... Quod mihi responderetis, id responsum fuisset a cuiuslibet saeculi fidelibus ei, qui talem induxisset consuetudinem...

b) *Nec voluissent...* Nam presbyteri confitentur, ipse Summus Pontifex confitetur... Non tanta iucunditas in audiendis confessionibus... Si non absolute necessariam esse confessionem pro certo haberent sacerdotes, quare tot incommodis, etiam vitae discrimini se exponerent, ut confessiones exciperent?... Saeviente peste Massiliensi ducenti quinquaginta sacerdotes in hoc ministerio periere... peste Mediolanensi.... saeviente cholera... quot mortui sunt! Protestantes ministelli minus in talibus intricantur... Demum, si ex humana institutione esset confesiso, non tot nec tales fructus haberet...

II. *Confessio divina est in effectibus.*

1. *Vitiorum radices exstirpat...* Eius natura... conditiones requisitae ut recte fiat... cuiusque experientia... generalis et publica pariter experientia... Ubinam magis morati homines?... Ubinam familiarum tranquillitas interna?... Testimonium ipsorum haereticorum... Lutheri... medici Tissot... Norimbergensium petitio a Carolo V de confessionis redintegratione... Ii tantum confessionis hostes et adversarii, qui vitia fovent...

2. *Virtutes parit*... Ad spem erigit peccatores,... ad alias virtutes,... ad Dei amorem... Iustum sustentat... dirigit... obtegit contra illusiones et superbiam...

3. *Pacem animae tribuit et securitatem*...

4. *Iustificat*... hoc vero facili negotio... Quid enim de iure expostulare Deus potest?... Quid de facto a peccatore expostulat?... Ergo grato animo simus... hoc utamur sacramento... rite ac diligenter... adeamus frequenter...

DE CONFESSIONE II.

EXAMEN ANTE CONFESSIONEM.

Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur... *1 Cor. 11, 31.*

Deus non tenetur dimittere peccatori... attamen suum iudicandi ius transtulit in hominem... Ad hoc iudicium requiritur invocatio auxilii divini... et examen conscientiae.

1. *Invocatio*... Eius necessitas... Iustificatio peccatoris est opus omnium difficillimum... (Comparatio creationis et redemptionis...) Potest homo se excaecare... in abyssum mittere... se occidere... sed non...

2. *Examen*... Peccator debet se manifestare confessario, uti notus est Deo ipsi... peccata... circumstantias... numerum... Proin se examinet...

a) *Seipsum*... Non fidat solum interrogationibus confessarii...

b) *Diligenter*... Quanto tempore?.. Villicus qui habet rationem reddendam, quantam operam ei ordinandae dabit?... Si temporis brevis... si diligens fuit in adnotando... Si vero plurium annorum... si nihil notare consueverat... Sic qui crebro confitetur... qui examen conscientiae quotidie facit... Qui raro confitetur... consuetudinarius...

c) *Sincere*... Speculum verax sibi proponat... Scrupulosi utuntur speculo concavo aut anguloso... laxi convexo... quasdam praedilectas cupiditates et consuetudines non examinant... Turpes mulierculae horrent speculum... Sed Deus novit omnia...

d) *Ordinate*... Examinet se circa ultimam confessionem... Percurrat mandata Dei et Ecclesiae... obligationes status... Examinet in singulis cogitationes... desideria... verba... opera...

(Ubi vacat, utiliter percurruntur mandata, et instituitur practicum examen coram populo.)

DE CONFESSIONE III.

EIUS DOTES.

Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Ps, 31, 5.

Status miserabilis peccatoris a Davide descriptus.... *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea... iniquitates meae gravatae sunt super me...* Peccatum velut *spina infligitur... rugiebam a gemitu cordis mei...* Misericordia Dei in condonando peccato... humanae vero iustitiae rigores erga reum... Sola peccati confessio sufficit ad obtinendam remissionem... claudendum infernum... aperiendum nobis caelum... Ergo confessionem instituamus: Ps. 31, 3, 4. Ps. 31, 5, 9.

I. *Cum humilitate.* 1. *Humilitas etiam iusto necessaria...* a fortiori peccatori... Qui mendicus est, ab eo cui iniuriam contulit magnam postulat gratiam... qui debitor, aeri alieno persolvendo impar, remissionem petit debiti infiniti... laesae maiestatis reus, qui misericordiam obtinere non potest, nisi humili confessione... (Rei, capite damnati, ad iudicis pedes procumbentis descriptio.) Memores simus nos peccata Deo confiteri, non homini...

2. *Humilitatis expertes sunt:* a) qui ad confitendum accedentes, nimia cum arte ornatum componunt... b) qui iuxta sacrum tribunal levitatem prae se ferunt... c) qui confitentur absque pudore... d) qui cum confessario disputationes movent (aliquid hic de satisfactione dicendum, per transennam)... e) qui bona opera sua narrant, vel de peccatis a se non commissis loquuntur (Pharisaeus et publicanus)... f) qui excusationis causa longas ingrediuntur narrationes... g) qui aliorum peccata narrant, illis propria peccata imputantes (Adam et Eva)...

II. *Cum sinceritate.* 1. *Peccata nostra sacerdoti aperiamus, sicuti a Deo cognoscuntur...* Secus Deus, quem nihil latet, confessarii sententiam haud ratam habebit. Confiteamur ergo

a) *Omnia* peccata lethalia...

b) *Circumstantias* saltem speciem mutantes (istarum circumstantiarum exempla relate ad iuramentum temerarium ... falsum... nocivum)...

c) *Numerum* certo cognitum, si fieri potest,... secus approximativum... singula exprimantur nitide, distincte et debita cum praecisione.

2. *Sinceritati desunt:* a) qui, ut non audiantur, voce submissa necnon praecipiti susurrant... ad quid confiteris, si nolis audiri? b) qui modo vago et indeterminato peccata nar-

rant (exempla)... tacenti aequiparatur qui laborat ut inintelligibilis fiat... *c*) qui omnino tacet. (Qui ad sacrum tribunal accedit cum firmo peccatum celandi proposito, si fortasse postea instanti confessario fateatur, accusare debet suam pravam intentionem).

3. *Sinceritatis motiva*... *a*) Vel propositum formasti numquam sinceram confessionem instituendi, et tunc certo damnaberis... vel hanc aliquando tibi proponis faciendam... sed ad illam usque diem, quot iterum atque iterum peccata committenda!.. (Sacrilegii enormitas... sacrilegiorum numerus... cetera peccata congeruntur... tentationes desperationis et contra fidem in istiusmodi peccatoribus frequentiores... instans quotidie mortis periculum... operum omnium respectu beatitudinis aeternae sterilitas... conscientiae anxietates). Si tandem peccata toties et tamdiu celata confiteri audeas, quantam invenies difficultatem in superando pudore, in generali confessione instituenda!..

b) Si cognitum timeas confessarium, haud cognitum adeas... etiam noctu...

c) Non tu primus hoc peccatum commisisti... multo graviora novit confessarius...

d) Commissum secretum certo non revelabitur...

e) Confessarius et homo est... et medicus... Quo acrior morbus est, eo magis aegrotantis miseretur... Amorem generat fiducia... Confessarius vices Iesu Christi gerit, qui maxima benignitate Magdalenam... Petrum... Iudam excepit... qui prodigum deosculatur... ovis aberrantis insectatur vestigia... qui pro peccatoribus mortuus est...

f) In die iudicii generalis peccatum tuum cognoscent non solum confessarius quem celas, sed omnes... et confusio tua tunc inutilis erit... Macte igitur animo... Laetabundus e sacro tribunali egredieris, absoluta semel integre accusatione tua...

DE CONFESSIONE IV.

DOLOR ET FIRMUM PROPOSITUM.

Eccli. 17, 23. *Revertere ad Dominum, et avertere ab iniustitia tua*...

Peccati deordinatio (aversio a Deo et conversio ad creaturas) contritione et firmo proposito reparanda... Unde necessaria contritio... Quid est contritio perfecta?.. Contritio imperfecta?.. Utraque cum spe obtinendae veniae...

I. *Contritio* utraque *esse debet:*

1. *Interior* ... Ex corde peccatum ... nec sufficit formula recitata ...

2. *Supernaturalis* ... *a*) In eius principio, i. e., quae proveniat ex gratia, quae numquam petenti denegatur ... *b*) In eius motivis (quaenam sint motiva naturalia, quaenam supernaturalia ...)

3. *Super omnia* ... ex appretiatione intellectus ... voluntatis adhaesione ... non vero ex sensibili dolore. (Magis sensibiliter filius cordatus parentum morte afficitur quam Dei offensa, nec tamen peccare vellet ut illos ad vitam revocaret).

4. *Universalis* ... Motiva enim supernaturalia complectuntur omnia peccata mortalia ... Unum absque aliis remitti nequit ... et si posset, non prodesset quidquam ... (Aliter vero de venialibus dicendum ... Monitum ad eos qui venialia tantum confitentur ...).

II. *Firmum propositum* ... Necessario comitatur contritionem ... (Si quis pecuniam a fure ablatam perdiderit, is ianuam claudet ...) Qui vult peccatum vitare, serio sibi proponit:

1. *Adhibere media* ... Fontes considerat unde sua peccata veniunt ... cuique suum remedium opponit. (Oratio .. mentis recollectio ... sensuum custodia ... Sacramentorum frequentatio ... piae lectiones ..)

2. *Vitare occasiones* ... Quid sit occasio proxima? Quidquid ad peccatum ducit morali necessitate (ex. gr. familiaritates cum personis diversi sexus ... cauponae ... choreae ... ludi ... pravi libri) ... Necessario vitandae. Nam *a*) si non vitentur, impossibilis contritio; qui enim arborem amat, et fructum amat. *b*) Qui se istis occasionibus exponit, eo ipso peccat; qui se in ignem proicit, uri utique vult.

Excusationes circa occasiones: Non peccavi ... ne cogitatione quidem ... non peccabo ... Eo ipso peccas quod te ad peccandum exponis. Insuper, si occasiones derelinquere non potes, quomodo in ipsa occasione peccatum vitare poteris? .. Numquid miraculum exspectas? Usque nunc nec tibi nec aliis tale miraculum patratum fuit ... *Qui amat periculum* ... *Si oculus tuus* ... *si pes tuus* .. Christus non dicit: Claude, liga ... sed *erue abscinde* ... immo *proice abs te* ... *melius enim tibi est* ... Ergo qui occasiones non vitat, *mittetur in gehennam ignis.* *Mth. 5, 29.*

III. *Motiva.* Cur moras nectimus? Num ignoramus quid meruerimus!.. Caelum perdidimus... O caelum, paterna domus, numquam te videbo ... Infernum meruimus ... O horrendum carcerem, in quo aeterni gemitus! .. Offendimus Deum, Deum tantum, tam bonum ... tam amandum ... patrem nostrum ... creatorem ... Cruci affiximus Salvatorem nostrum ... Inspice in Crucifixum... O tu qui peccas ... en opus manuum tuarum

... et tamen tibi suum Cor aperit ... tibi expandit brachia ... te exspectat, ut tibi condonans deosculetur ... Veni ... accede ... Actus contritionis et firmi propositi ...

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS.

Exsistit Deus. Id probant: Existentia creaturarum, quae limitatae sunt, mutabiles ... Ordo huius mundi universalis, constans ex tanta varietate simul et unitate ... Ordo et perfectio omnium entium, quorum omnes partes tanta proportione, tanta pulchritudine coaptatae sunt ... Unanimis generis humani consensus ... Conscientiae vox cuiusque hominis, tam improbi quam iusti ...

Exsistit unicus Deus ... quia nequeunt esse duo suprema bona ... nec duo inaequalia ... nec duo rectores universi independentes ... nec dependentes ... Omnis ordo importat relationem ad unum supremum, in regno ad unum regem, in exercitu ad unum ducem.

I. *Deus trinus est in Personis* ... Pater ... Filius ... Spiritus Sanctus .. Personae omnino ab invicem distinctae ... coaeternae ... aequales ... potentia ... sapientia ... immensitate ... operatione ... divinitate ... maiestate ... In hoc solo distincti, quod Pater a nullo procedit ... Filius vero procedit (generatur) a Patre ... et Spiritus Sanctus procedit (spiratur) a Patre simul et Filio ... *Qui vult salvus esse, ita de Trinitate sentiat* ... (Necessitas addiscendi et docendi huius mysterii et credendi, licet nullatenus intelligatur). Nam id

1 Io. 5, 7. 1. *Docet fides. Tres sunt, qui testimonium dant in caelo:*
Mth. 28, 19. *Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* ... *Euntes docete* ... Tota Trinitas manifestavit se in baptismo Christi in Iordane ... Consonant omnia Symbola ... Signum Crucis ab Apostolis iam institutum (teste Tertulliano) ... Formae Sacramentorum ... SS. Patres ... Martyres ...

2. *Ratio non contradicit* ... immo suadet aliquo modo ... Deus ut ens intelligens intelligit seipsum... est proin Deus ut intellectus a seipso in Deo intelligente seipsum... Quidquid est in Deo, est Deus substantialiter... ergo et Deus intelligens est Persona divina, et Deus intellectus est Persona divina. Iamvero Deus ut intelligens dicitur Pater, ut intellectus dicitur Filius seu Verbum. Deus est pariter amans seipsum... est proin in Deo amante Deus amatus, qui dicitur Spiritus Sanctus... Amor autem procedit et a cognoscente et a cognito... Spiritus Sanctus ergo procedit et a Patre et a Filio ... Idem fere obtinet in anima nostra cognoscente et amante seipsam, cum ea differentia tamen quod anima cognita et anima amata sunt

in anima cognoscente et amante ut mera accidentia, ac proin non sunt personae... Anima nostra etiam, quantumvis una et simplex, constat tamen tribus omnino distinctis facultatibus, quae simul efficiunt eius naturam integram... In solis radio, quantumvis tenuissimo, tria sunt quoque distincta quae simul unam eius naturam integram constituunt: lumen, calor, color... Verum istae comparationes sunt valde debiles... fere sicut imagines hominis expressae lapide, ligno, coloribus, repraesentant aliqualiter externam eius speciem, sed mirabilem eius structuram... vitam... animam, ne a longe quidem adumbrant... Nos ipsi non cognoscimus... neque plantam quidem... neque granum arenae... quomodo intelligemus Deum? ...Ideo adoremus... potius studeamus implere nostra erga Trinitatem officia, quam eius naturam seu maiestatem scrutari... Omnia autem haec officia ad unum reducuntur, quod est

II. *Devotio plena et sincera nostri totius esse*... et quidem

1. *Intellectus,* per fidem firmam et humilem... Nec obstat sublimitas et ineffabilitas mysterii... Eo enim ipso quod est incomprehensibile, patet esse verum, quia tunc solum recte de Deo sentimus, cum fateamur eum esse supra id omne quod de eo cogitare possimus... Si ratio finita clare comprehenderet Deum, Deus esset finitus, et proin non Deus... Hoc mysterium non est contra rationem... nec est iuxta rationem... sed supra... Ergo verum...

2. *Voluntatis,* per amorem... propter singularum personarum in nos beneficia... creationem... redemptionem... sanctificationem...

3. *Cordis,* per filialem fiduciam... *Totus in nostros usus impensus* Deus... Creator et Rector universi, cuius Providentiae omnia subsunt... qui etiam passeribus providet... Pater meus est... Iudex vivorum et mortuorum... Redemptor et frater meus est... Fons omnium gratiarum, in cuius manu sunt corda omnium hominum... Sponsus est animae meae!.. Quid... quem timebo?..

4. *Memoriae,* in eius praesentia semper ambulando... Haec Dei praesentia incitat iustum ad bona opera, quia remunerator videt... retrahit peccatorem a malo, quia iudex videt...

5. *Oris,* laudando... Loquatur de Deo, de eius immenso in nos amore... de eius perfectionibus... Orationes nostrae faciamus magna cum attentione... signum crucis usurpemus frequenter et devote...

6. *Corporis,* serviendo... Sanctificemus opera nostra externa per internam intentionem serviendi, placendi Deo, faciendi eius voluntatem... servemus corpus nostrum purum et castum cum magna reverentia, quia templum est SS. Trinitatis.

7. *Nostri totius esse,* imitando... In Trinitate omnia sunt communia praeter personarum distinctionem... Unus sensus, una sententia, una voluntas omnium personarum... Christus pro nobis oravit ut simus inter nos unum, sicut Ipse et Pater... Cessent proin factiones et partium studia et misera opinionum diversitas... Quae felicitas iam in hac vita, si servaretur ea unitas quae inter eiusdem Patris filios esse de-
1 Io. 4, 7, 20. bet!.. Christus mandavit *ut diligamus invicem, sicut ipse dilexit nos*... atque vitam ipsam pro nostra salute dedit... Et nos ergo invicem iuvemus, inclinemus ad bonum, salvemus invicem,... ut uniti in vita, uniti quoque simus in caelo cum Deo Uno et Trino, cui laus et gloria in saecula. Amen.

DE IESU CHRISTO

Haec est vita aeterna: Ut cognoscant te, solum Deum ve-
Io. 17, 3. *rum, et quem misisti, Iesum Christum.*

I. *Quis est Iesus Christus in se?*

Luc. 5, 24; 7, 14. 1. *Deus est. Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata* (quae soli Deo convenit)... *Adolescens... surge*... Caecus quando sanatus est: *Credis in Fi-*
Io. 9, 35-38. *lium Dei?.. Credo, Domine. Et procidens adoravit eum*...
Io. 11, 40. Lazari in resurrectione: *Nonne dixi tibi, quoniam si credide-*
Mth. 16, 15. *ris, videbis gloriam Dei?.. Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Et surrexit quatriduanus... *Vos autem, quem me esse dicitis?* Respondit Simon, et in persona eius Ecclesia tota: *Tu es Christus, Filius Dei vivi*... Post resurrectionem quis dubitare potuisset?.. En propter quod totus orbis adorat... et ex effectibus potest dignosci, utrum in errore sit necne... utrum tot dictores... utrum tot martyres... utrum tot miracula...

2. *Homo est,* habens animam... corpus sicuti nos... ex visceribus Beatae Virginis... omnino nobis similis, excepto peccato... sed poenam peccati portans... vivens et mortuus..

3. *Unica persona in duplici illa natura.* Sicut corpus et anima personam efficiunt hominis, ita Deus, iungens sibi corpus et animam humanam, unica est persona. *Radius solis coloratus per vitrum comparationem nobis praebet* ..

a) Radius procedit a sole, sed modo ineffabili, splendor enim obturbat oculos nostros... ita generatio Filii est inenarrabilis.

b) Radius est eiusdem antiquitatis ac sol, lucet statim ac sol... ita Filius essentialiter procedens a Patre...

c) Sol per radium spargens lumen et calorem, colorat et fecundat omnia... ita per Verbum Patris omnia facta sunt.

Lux est, *quae illuminat omnem hominem*... (tum lumine rationis, tum lumine fidei). *Io. 1, 9.*

d) Sol producit radium non alterata substantia sua, immo radius est perfectio et gloria solis... ita Filius est complementum et splendor substantiae Patris.

e) Licet radius solis pertingat ad terram, manet tamen in sole, unitus soli... ita Filius de Patre processit et venit in terram, sed a Patre non recessit.

f) Radius pervadit vitrum, quin illud frangat nec intrando nec egrediendo... ita Christus, sinum Mariae pervadens, nec in conceptione nec in partu Virginitatem eius laesit.

g) Radius pervadens vitrum illuminat... ita Christus Mariam.

h) Radius pervadens vitrum rubrum, eius colorem assumit... ita Christus, Filius Dei, ex Maria nostram assumit naturam...

i) Radius, antequam assumpsit colorem, erat radius, sed non coloratus; postquam assumpsit, remanet radius, et est simul coloratus... ita Christus erat Deus, sed non homo; nunc autem est simul Deus et homo.

k) Suppositum coloris est radius... ita in Christo suppositum humanitatis est persona Verbi.

l) Radius, ut lumen solis, est per totum orbem diffusus; ut coloratus, est tantum in eo loco ubi est vitrum coloratum... ita Christus, ut Deus, est ubique; ut homo, tantum in caelo et in Eucharistia.

m) Pater radii colorati est sol, licet colorem illi non indiderit, quia producit suppositum coloris; mater autem est vitrum, quia, licet non produxerit radium, producit tamen radium coloratum... ita Pater aeternus, ita Maria.

n) Radius, ut radius, antiquior est vitro; ut coloratus, iunior... ita Christus...

o) Radius purus, in sole consideratus, splendore suo obfuscat oculos; sed colore indutus, dulcis est aspectu, nec laedit oculum... ita Christus, ut Deus, invisibilis, ineffabilis; ut Deus homo, dulcis et amabilis nimis. Itaque

II. *Quis est Iesus Christus relate ad nos?*

Est nobis omnia pro tempore et aeternitate:...

1. *Se nascens dedit socium.* Homo in hoc mundo viator... per omnia tentatus... *a*) *Suo exemplo* nos animavit ad labores, et docuit veram viam... *b*) *Sua doctrina* docuit quid agendum, quid fugiendum, ut ad patriam pertingamus. Haec sunt verba salutis: *Ego sum via, veritas et vita.* *Io. 14, 6.*

2. *Convescens in edulium.* Quantum quotidie miraculum! quam immensa caritas! Ah, si viderem Christum!.. Videbis,

assumes in cibum, si placet, quantum volueris... Quam ardens desiderium nobis semetipsum uniendi! Quale nobis solatium!..

3. *Se moriens in pretium*... Perditi eramus in aeternum... Ut nos liberet, nos servos, filius se tradit!.. Quid?.. qualis mors Christi!..

4. *Se regnans dat in praemium*... Accepit humanitatem... dat divinitatem... Resurrexit e sepulcro... Quanta gloria!..
Io. 14, 2. Ascendit... *Vado parare vobis*... Sedet ad dexteram... Inde
Mth. 25, 34. venturus cum gloria... Si agnoscit nos, si socii vitae, passionis... *Venite benedicti*... *Volo ut ubi sum ego*... Sed vae
Io. 17, 24. impio, incredulo... Ah! simus Christiani... Diligamus eum,
1 Cor. 16, 22. qui tantopere... *Si quis non amat Dominum Nostrum Iesum Christum, sit anathema*...

DE SS. SACRAMENTO

I. - AMOR CHRISTI ERGA NOS IN SS. SACRAMENTO.

Prov. 8, 31. *Deliciae meae esse cum filiis hominum*... Nulla verba explicant mysteria divini erga hominem amoris... Iam vero inter haec nullibi apparet tantus amor ac in SS. Sacramento... Unde Concilium Tredentinum affirmat, hic Christum omnes bonitatis suae divitias velut effudisse... Merito S. Bernardus vocat hoc mysterium *amorem amorum*...

1. *Manet nobiscum Christus in SS. Sacramento.*

Etiamsi hoc Sacramentum non instituisset, Christus tantum iam et fecerat et tulerat, ut merito dicere potuisset: *Quid*
Is. 5, 4. *ultra debui facere?*.. quid potui?.. quid enim opus redemptionis..? Nonne satis est, remissionem peccatorum nobis obtinuisse, caelum aperuisse... gratias effudisse... Nondum satis tam pura doctrina tam praeclara exempla?.. Quid praeterea desiderare posset homo vel audacissimus in petendo? Sed non satis est amori Iesu Christi. Venit tempus, ut ad caelum redeat, non vult nos relinquere... debet in caelo sedere pro nobis intercessor, vult nobiscum in terra amicus remanere... Pater eum appetit, non potest deserere fratres... Angeli desiderant, sed homines adhuc indigent eius praesentia... Quid igitur..? Sapientia invenit modum, quo et caelum et terram recreet... Caelum gaudet corpore glorificato, et terra corpore sacramentali... Angeli eum adorant et amplectuntur, ita et homines... *O admirabile amoris inventum!* exclamat Augustinus, *recedit a nobis, et manet nobiscum; recedit visibiliter, remanet invisibiliter, sed realiter.* Ita perficit Iesus suum verbum: *Non re-*

linquam vos orphanos... Ecce ego vobiscum sum omnibus Io. 14, 18.
diebus usque ad consummationem saeculi... Habet thronum
in caelo ut mediator apud Patrem; habet et in terra thronum Mth. 28, 20.
humilem quo accedamus cum fiducia... ut exaudiat nos in tempore opportuno... Et cur tandem ita?.. Utique etiam e caelo poterat nostras preces exaudire; et si per excessum amoris volebat nostri curam gerere post perfectum opus Redemptionis, e caelo poterat nobis opem ferre: hoc certum est. Cur igitur e terra voluit haec omnia praestare?.. Difficile
videtur invenire aliam causam quam: *Deliciae meae esse...* Grov. 8, 31.
(Hoc extollendum per apostrophen ad Dominum Iesum).

Si saltem bene fuisset exceptus! Sed *in propria venit, et* Io. 1, 11.
sui eum non receperunt... in mundo erat... et mundus eum non cognovit. Et tamen hoc sciens voluit manere... Quis calix magis amarus?.. Nec tunc voluntas Patris urgebat... Quae ergo voluntas, nisi tua, o Iesu!.. Nec tantum vult manere, sed

2. *Manet ut sit cibus et esca.*

Hoc omnem cogitationem superat... Amicitiae pignora sunt imago... res... bona... testamentum... aliquoties sanguis (filia lactans patrem in carcere)... Sed si amici ponunt
vitam... *maiorem hac dilectionem nemo habet,* ait ipse Chri- Io. 15, 31.
stus, nemo apud homines... Sed hoc non satis Deo... *Caro* Io. 6, 56.
mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus... Minima gutta sanguinis, quae sufficit ad redimendum mundum... nobis et ad felicitatem perfectam sufficeret... Sed eius amori non satis... dat se nobis totum: corpus, sanguinem, animam, divinitatem... nihil enim aliud in Sacramento quam Christus filius Dei et Mariae, Deus et homo. Credo... miraculum, sed magis amorem... Apparentiae sunt tantum ut sensibus apprehendatur ut cibus... velant, sed continent realiter... O Iesu abscondite sub hac hostia... *adoro te supplex...* .

Quis pastor, ait Chrysostomus, *oves proprio pascit cruore?* Quae mater brevi non lassatur lacte alere natos?.. Quae mater... ut Christus corpore suo et sanguine nos pascit idque singulis diebus, si volumus?.. Hic ostendit se nobis dandum ut ipso fruamur in caelo, et in aeternum satiemur. Eucharistia est caelum inchoatum... et hic est finis huius Sacramenti: *Qui manducat meam carnem... habet vitam aeternam.* Unde
Ecclesia canit: *Vitam praestans homini,... panis Angelorum.* Io. 6, 55.
Vocabatur olim *vita* in Africa, teste S. Augustino, *aeternae vitae escam* vocat S. Hilarius. Et hic est praecipuus fructus... et multi alii numerantur... Vere hic amor immensus, et *me-*
moria mirabilium Dei... Si nobis Deus optionem dedisset et Ps. 110, 4.
peti quidquam particulare iussisset, an in mentem quid simile venisset?... Immo et impossibile undique apparuisset, Deum se tradere homini in cibum... et tamen... vere *non est alia*
natio tam grandis quae habeat Deos appropinquantes sibi, Deut. 4, 7.

sicut Deus noster... Porro ubinam magis appropinquat? In quo beneficio se nobis magis iniungit?.. (Comparatio inter Incarnationem et Eucharistiam). Ibi naturam assumpsit omnibus communem... hic nostram carnem. Ibi se coniunxit cum natura... hic cum nostra carne, anima... os meum... caro mea, caro... Christi. Ibi se nobis tradidit et factus est noster, ut quivis homo, nobis similis, frater noster... Hic est quasi par nostri, vel potius nos veluti ingredimur Christum... *Non ego mutabor in te, sed tu mutaberis in me*... et ipse Christus
Io. 6, 58. instituens... *qui manducat me, et ipse vivet propter me*...
Gal. 2, 20. *in me manet, et ego in illo*... *O Deus meus et omnia*... *Vivo,*
Ps. 8, 6. *iam non ego, vivit vero in me Christus.* Si David expendens creationis beneficium exclamabat: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam visitas eum?*.. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*... nos quid sentire par est, quibus etiam Christum dedit, subiecit, usibusque nostris inservire fecit?.. Ah! intelligis nunc quantae divitiae!.. quantae deliciae!.. quanta vis christiano ferventi!.. Christiano qui man-
Ps. 77, 24, 25. ducat *panem caeli, panem Angelorum*... *frumentum electo-*
Zach. 9, 17 *rum, et bibit vinum germinans virgines!*..

II. - HOMINUM INGRATITUDO ERGA CHRISTUM.

Nihil aequivalet amori Christi nisi ingratitudo hominum... Nec tantum ii qui non credunt: infideles... pagani... apostatae... haeretici... quorum incredulitas... perfidia... blasphemiae... profanationes... Sed his non quidem mirum... *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*... *Tu*
Ps. 54, 13. *vero homo unanimis*... *qui simul mecum dulces capiebas cibos*... *in domo Dei ambulavimus cum consensu*... Prima communio... anni quibus fruebaris Christo innocens... nunc vero quis sensus... quae perversitas... quae peccata! Et quidem directe contra illos duos fines Christi instituentis Eucharistiam.

1. *Erga Christum manentem.* Christi *deliciae* sunt *esse*
Prov. 8, 31. *cum filiis hominum*... hominum tormentum, esse cum Christo... Hic venit ut benefaciat, nihil petimus..., ut vitam det, mortem malumus..., ut loquatur ad cor, nolumus loqui. Domus divitum obsidetur invisentibus... et quae sunt bona et dona illorum? At Iesus in domo sua derelinquitur... O ingratitudo!.. O iniuria!.. O homines gravi corde!.. Alii veniunt, sed ad quid? Ut pergant in peccato... tamquam profanatores templi vendunt... et cor et oculi pleni peccatis sunt... os etiam eructat malum... Flectere quidam non audent genua... nullum religionis signum... erubescunt... quid? Christum in

domo eius inhonoratis... Ah! numquam Dominus arcebat peccatores, sed vere nescio an melius esset non venire... Et tamen ad quem ibitis?.. Nobis vero sacerdotibus assumendum est incensum;.. at quoties etiam Deus intentat plagam... *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus, et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?..* *Mal. 1, 6.*

2. *Erga Christum ut cibum.* Despicere aliquem in eius visitationibus... in donis... in conviviis... summa iniuria. Si ille est princeps... rex... aut frater... aut mater... Quis est autem Christus?.. Quid despicis in Eucharistia, donum... an donantem?.. Sed forsan non indiges?.. Ah *nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus?...* Sicut calamus omni vento agitatus?.. Propheta, ut videbat urbem ad ultima redactam, videt parvulos petentes panem, et non erat... Mater ipsa videns... nihil potest dare... Sed quid, si mater porrigit, et ipsi parvuli renuant?.. Aeger nauseans cibum... et istum quidem cibum Angelorum... est iam desperatus... *Ap. 3, 17.*

Miramini martyres... virgines aetate etiam tenera mundum et omnia vincentes... En mysterium... fidem amisistis simul et Eucharistiae et virtuti...

Oh! si possem resuscitare fidem et amorem SS. Eucharistiae, iam acta esset missio, iam parocchia renovata... angeli triumpharent, Ecclesia dilataret sinum... et ipse Christus recuperaret filios in aeternum.

O Iesu, praesens... e tabernaculo emitte radium, illumina et inflamma haec omnium tuorum corda...

DEVOTIO ERGA B. M. VIRGINEM.

Ecce, mater tua. *Io. 19, 27.*

Non est terminanda missio, priusquam omnibus infixa sit devotio erga Beatam Virginem, quia mater negligi nequit quin offendatur filius... Opus autem imprimis est ut genuinae devotionis genuina notio habeatur... Haec autem consistit tam in imitatione quam in invocatione... Unde iam unicuique patet cultum, quem Ecclesia Catholica omnibus universim Sanctis exhibet, esse rationi imprimis consonum, iustum, utilem, prout definivit Tridentinum Concilium. Eum universa tenuit antiquitas... In specie autem devotio erga Beatam Virginem ostenditur esse:

I. *Iusta.* Nam 1. *Sanctitati et virtuti debetur honor.* Maria autem est sanctissima... in conceptione... in infantia... (dicata in templo...) in iuventute (exemplar modestiae, puritatis, pietatis, caritatis...) in vita quam egit simul cum Christo...

post ascensionem ... in morte (moriens prae amore) ... et proin speculum omnis aetatis.

2. *Illa a Deo associata est Christo ad opus redemptionis nostrae.* (Parallelum inter Adamum et Evam atque Iesum et Mariam) ... Illa eum genuit ... aluit ... in templo obtulit ... salvavit gerens in Aegyptum ... gubernavit in domo Nazareth... obtulit in Calvario victimam nostrae redemptionis ... Tota vita innumeras sustinuit aerumnas pro nobis ... Sed praesertim ad crucem, ubi sine rancore, immo summo compassionis sensu, vidit dulcissimum filium a nobis et pro nobis peccatoribus immolari ... Quantum ergo ei amorem debemus! ..

3. *Deus ipse Mariam summe honoravit. a) Elevando eam* ad dignitatem Matris Dei ... Illa est filia aeterni Patris, ipsius iussu ab Angelo salutata ... (Expositio salutationis Angelicae). Ipsa mater Filii ... eiusdem quem ab aeterno generat aeternus Pater ... Pater aeternus Filium generat sine matre ... Maria eumdem generat sine patre ... Ipsa sponsa Spiritus Sancti, longe ineffabiliori titulo quam aliae animae sanctae, cum Maria et Spiritus Sanctus in generatione Christi quasi in unum generationis principium coniungantur ... Deus Mariam honoravit

b) *Oboediendo* per triginta annos ... Quae paritas institui potest inter regem terrenum, cui vermiculi obtemperant, et Mariam, cui rerum omnium summus opifex obtemperavit?

c) *Operando primum suum miraculum* ad eius preces ante tempus a se constitutum ... Nec decreta divina Mariae precibus resistunt ...

d) *Assumendo* eam corporaliter in caelum ... Rursus exceptio legi universali in favorem Mariae facta.

e) *Constituendo illam in caelo Reginam* hominum et angelorum.

f) *Eius cultum ubique propagando* et innumeris miraculis comprobando ... (Enumeratio omnium partium orbis, ubi templa eius honori dicata sunt ... unde hymni et cantica in eius laudem ad caelum resultant .... Parallelum inter festa in honorem Iesu Christi et Mariae instituta ...) Ratio, quia vita Iesu recoli nequit seorsim a vita Mariae... Mater et Filius unum sunt .. una caro ... Et iuste quidem tantopere eam colunt quotquot sunt ubique terrarum vere christiani, quia

4. *Deus nobis ipse Mariam matrem dedit* ... dedit moriens ... ut ultimum et carissimum donum, quo ipsemet noluit ante mortem privari ... et moriens dedit iis ipsis quorum gratia moriebatur ... Maria nos peperit in Calvario ... Fili,
Eccli. 7, 29. *gemitus matris tuae ne obliviscaris.*

II. *Utilis.* 1. *Maria nobis omnia bona a Deo procurare potest.*

a) *Propter suam dignitatem matris* ... et amorem quo

Deus Pater ut in filiam,... quo Spiritus Sanctus ut in sponsam feruntur...

b) Ob sua merita et sanctitatem... Haec enim superat omnem sanctitatem omnium iustorum aliorum.... Ergo et eius preces efficacissimae. Videmus Deum quasi luctantem cum Moyse et dicentem: *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos*... Si tanta vis est precum servi, quid non efficiet Maria apud Deum tam bonum?.. *Ex. 32, 10.*

2. *Maria nobis omnia bona impetrare vult.* Quia est:

a) Mater Christi qui se totum pro nobis impendit... Est proin Maria salutis nostrae maxime sollicita... est Mater Misericordiae Incarnatae... proin maiori est in homines caritate quam omnes alii sancti, qui tanta egerunt pro proximorum salute... Maria, ut Mater Dei Redemptoris, novit quo pretio redempti simus...

b) Est mater nostra... Filii dolorum eius sumus... praecise quia peccatores... Ideo quantumcumque pravi simus, mater nostra est... Filium eius natu maiorem occidimus... num ideo nobis succenset?... Aspice, peccator, Mariam iuxta crucem stantem... num in vultu eius iram aut vindictam cernis?.. Patitur... dolet... *Magna est velut mare contritio* *Thr. 2, 13.* eius... gladius doloris, quo filium eius occidisti, Mariae cor utique transfixit... Sed tamen te amat, pro te offert Iesum... immo vero, quia tu Iesum occidisti, eamque proin dilectissimo filio orbasti, ideo vult saltem te vivum, ne omnibus filiis orbetur. Mariae enim convenit parabola Thecuitidis... O in- *2 Reg. 14.* geniosam Dei bonitatem! quae praevidens nos abusuros esse redemptionis beneficio, ne etiam tum puniret, immo ut quis etiam tum iustitiae suae vim inferret (vide supra de Moyse), voluit ut Maria mater misericordiae, quae cum iustitiae rigore nihil componendum habet, nostra mater esset.... Quid mihi igitur quantumvis peccatori timendum?.. Patrem si offendi, offero filium... Si filium iudicem formido, fugio ad matrem... et numquid filius, quantumvis iratus iudex, me extorquebit ex ulnis matris?...

Macte ergo animo, peccator, quantumcumque in limo peccati sis infixus... Mariae manum apprehende, et extraheris... Mariae manum tene fortiter, et non rues in infernum... Quamdiu habebis Mariam matrem, habebis Deum patrem et Iesum fratrem... Ne utique temere praesumas, ne fiducia in Mariam inducat te ad libere peccandum... quia etiam hanc fiduciam erga Mariam amittere potes... et id Deus iusto iudicio fors permittet (Exemplum militis obstinati, cuius scapulare, post eius mortem, inventum est in mille frusta discerptum in cubiculo)... Sed quantumvis miser, confide.... Quamdiu quis Mariae devotus est, non est damnatus, non quod sola devotio erga Beatam Virginem sufficiat per se ad salutem, cum

sit certum neminem nisi innocentem aut poenitentem intrare in caelum posse, sed quia haec devotio cuilibet impetrat id quod necessarium est ad intrandum in caelum. Omnes itaque contendamus placere Mariae puritate vitae, cordis... frequenti ad eam recursu, praesertim in tentationibus... Quotidie aliquid, quantumvis exiguum, in eius honorem faciamus... (Commendentur hic congregationes, scapulare, Salutatio angelica, brevis aliqua oratio mane et vespere, ex. gr. Salve Regina, Memorare, Rosarium dicendum in communi ante decubitum, exercitium imitationis Beatae Virginis Mariae circa quinque sensus, iuxta primum orandi modum...) *Qui me invenerit,*
Prov. 8, 35. *inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino...*

(Ubi sunt haeretici, accurate exponendum dogma de cultu Sanctorum in exordio, allatis etiam Sacrae Scripturae textibus, et numeri 1. 2. 3. primae partis aliquantum polemice tractandi).

CONSILIA SPIRITUALIA

Puszae (1812-1817) *et Brigae* (1820-1823) *instituendis scholasticis praepositus, Servus Dei non minori cum cura vitae religiosae quam rhetoricae praecepta discipulis tradidit. Quorum multa quidem documenta scripta reliquit, pleraque tamen breviora quam quae in lucem edantur. Tria tantum huic volumini inserta sunt:* 1° *Ea quae postea (non ab ipso auctore) Documenta Aurea dicta sunt,* 2° *Tractatus brevis de Tepiditate in sex meditationum formam redactus,* 3° *Adhortatio de Gaudio spirituali. E quibus primum et tertium iam pridem publicata erant.*

Manuscriptum Romae in Archivo Curiae Gen. S. I. conservatur.

DOCUMENTA AUREA

I. OBSERVANDA ERGA DEUM.

ESTO fidelis et fac quidquid potes, nam semper parum erit, quidquid feceris.

1. Respectu Eius maiestatis. *Glorificantes Dominum, quantum potueritis, supervalebit enim adhuc, et admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate Illum, quantum potestis: maior enim est omni laude.* *Eccli. 43, 32, 33.*

2. Respectu Eius beneficiorum. Singulis momentis innumera accipis beneficia, quorum vel singula tanta sunt, ut nec pro uno quidem vel per totam aeternitatem satis esse gratus possis. *Minor sum cunctis miserationibus Tuis.* *Gen. 32, 10.*

3. Respectu tuorum peccatorum. Ne pro unico peccato veniali posses satis laborare et pati, etiamsi diutissime viveres. *Iob. 9, 5.*
Non poterit Ei respondere unum pro mille. Peccatum meum contra me est semper. *Ps. 50, 5.*

4. Respectu summae tuae dependentiae a Deo. Innumerabiles sunt necessitates tuae pro corpore et anima, pro scientia et virtute, pro tempore et aeternitate, pro praesenti et futuro, pro te et pro aliis.

In his omnibus ita a Deo dependes, ut sine Illo nihil esse, nihil habere, nihil agere possis. Ab Illo dependet vita tua, ab Illo successus tui et omnes circumstantiae vitae tuae, in quibus Ille habet et videt seriem praedestinationis tuae, ab Illo mors aeternitasque tua. Iam vero nec pro minima Eius gratia nec pro minimo auxilio promerendo satis umquam tu aut laborare aut pati poteris. Vide ergo, ut huic tanto Patri ac Domino sis fidelis, ne Illum umquam deliberate offendas, neve per infidelitatem tuam Cor Eius male erga te dispositum reddas.

Porro fidelitatem intelligi maxime velim:

a) In exercitationibus spiritualibus. Meditatio fiat integre, nihil detrahendo temporis, reverenter, corporis situ et

mentis applicatione, fructuose, cum applicatione ad vitae emendationem, ad profectum in spiritu.

Examina, non solum generale, sed et particulare, fiant integre, reverenter, fructuose, cum dolore et emendationis proposito, reflectendo praesertim ad causas et occasiones quotidianorum defectuum, ut vitentur, Sic numquam silvescet animus.

Usus sacramentorum, sit semper quaedam quasi renovatio spiritus propter bona desideria et gratiae divinae auxilia.

b) In voluntate Dei exsequenda. Circa obligationes tui status in votis, in studiis, in laboribus a Superiore iniunctis, etc.

Circa observationem sanctarum regularum, quas nisi magni feceris, nihil proficies (nam in illis habes voluntatem Dei tibi indubitanter manifestatam), sed nec peccata vitabis nec a ruina eris securus.

Esto fidelis erga Deum. Deus certe erit fidelis erga te nec deseret te, nisi prius a te deseratur.

Luc. 16, 10. *Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est.*

II. OBSERVANDA ERGA SUPERIORES

OMNIA uno verbo possumus completi: considera Christum in Superioribus, et eris talis qualem te vult Societas Iesu.

Ad particularia descendendo, debetur Superioribus:

1. Oboedientia, non actu solum, sed et voluntate; secus non erit actus virtutis, ac proinde non satisfiet voto. Vovemus oboedientiam, quae sit virtus; at talis non est, quum faciamus iussa exteriore actu, interius autem murmuremus.

Talis nempe voluntatis oboedientia praestanda in rebus omnino omnibus, etiam difficilibus; nam si in facilibus, aut iucundis, quae illa virtus?

Talis virtuosa oboedientia praestanda Superioribus in eorum monitis, etsi non adeo nostrae delicatae et molli naturae sapidis, in muneribus et officiis, etsi minus honorificis, in incommodis iniunctis. Porro tende semper ad oboedientiam, etiam intellectus, idem sentiendo quod Superior.

Audesne iudicium tuum anteponere iudicio Christi?

2. Reverentia, honorifice de illis sentiendo et loquendo. Etenim quomodo posses de Christi dictis, factis, dispositionibus male sentire aut loqui? Proinde Superiorum facta omnia ac dispositiones circa te aut alios semper bene explica.

Cave, cave, cave umquam murmures aut murmuratores audias, sed tales semper habe suspectos. Qui murmurant contra Superiores, certe non sunt boni religiosi. Quod si frequenter

faciunt, sunt religionis pestes. Quare cave, ne hac peste inficiaris.

3. Amor, illis semper adhaerendo, cum illis tenendo, desiderando illis in omnibus satisfacere, non propter aliquem respectum humanum, sed propter Christum, quem in illis consideras, omnes etiam illorum dispositiones amando, ita ut tibi sufficiat quod Superior disposuerit ut sis contentus.

Ama amore vere filiali. Si vero accidat, ut illos aliqua re offenderis aut offendisse te putes, non cape quietem donec illis satisfacias. Hoc vere filialem et vicissim paternum amorem conciliat.

Cavendum maxime, ne aliquid de hoc amore perdas, eo quod quandoque aliquid durius iniungatur, vel aliquid, quod petieris, negetur, vel propter aliquam reprehensionem.

Numquam admitte istam cogitationem, quasi talia prodierint ex minore affectu Superioris erga te. Haec enim est tentatio diaboli periculosa.

Si aliquid iniungatur, quod tibi impossibile videatur exsequi, commenda rem Deo et, si in Domino putes te id facere non posse, propone difficultates candide ac simpliciter, paratus tamen ad faciendum quod iussum est quantum potes. Scito et disce experientia verum esse illud: *Vir oboediens loquetur victorias.* Oboedientia servata facit pacem cordis, *Prov. 21, 28.* meretur auxilium Dei; non servata, inquietudinem animi, diffidentiam de Deo, infinitos defectus, et punitur saepe inoboedientia carnis contra castitatem. Quantam consolationem habebit in morte anima vere oboediens!

Denique ut hanc virtutem assequare, sine qua verus Societatis filius esse non potes, 1 considera Christum in Superioribus, 2 parvos in hoc genere defectus magni fac, 3 quidquid in hac parte commiseris, id numquam omitte in confessione.

III. OBSERVANDA ERGA FRATRES

FILIOLI *diligite alterutrum,* ita dilectus Jesu discipulus, idque assidue repetebat, *quia,* aiebat, *praeceptum Domini, et si hoc servetur sufficit.*

Erga fratres itaque charitas, sine qua nec discipuli erimus Christi, multo minus socii; nec Christiani, multo minus veri Jesuitae.

Sed qualis charitas?

1. *Sincera.* Itaque non in exteriore solum specie, non verbis ad humanitatem solum compositis, quae politica saecularium urbanitas est, sed vero affectu et verbis se prodat et obsequiis

etiam cum suo aliquo dispendio. Nam « *charitas non quaerit*
1 Cor. 13, 5. *quae sua sunt* ».

2. *Solida,* fundata scilicet non in carne et sanguine, non in complexione neque in naturali quadam morum convenientia, sed in Iesu Christo. Ideo fratres diligamus, quia sunt fratres Christi, Eius pretioso sanguine redempti, et quia charitas erga illos nobis a Iesu Christo est commendata. Talis si est charitas nostra, erit constans et universalis, quia numquam haec motiva charitatis cessabunt, nec ullus erit umquam, etiamsi nobis nostraeque naturae maxime displiceat, vel etiam inimicissimum se exhibeat, in quo hae ipsae amoris causae non insint.

3. *Benigna et patiens.* Non enim inter angelos, sed inter homines versaris. Charitatem servare, si a nemine quidquam patiaris, nisi tigrinam quis, non humanam naturam habeat, non est difficile.

4. *Tenera,* respectu aliorum, tamquam pupilla oculi, quae minima re laeditur. Ita cave vel minima quaeque, quibus charitatem laedere posses, et si quid tale acciderit in confessione non omitte.

Sed tamen sit charitas etiam:

Mth. 10, 16. 5. Prudens. *Estote prudentes sicuti serpentes.* Serpens totum corpus exponit, ut caput tegat, quia in illo vita: ita tu pro charitate nil refugito, at nonnisi quantum conscientia permittit. Charitas non est charitas, si sit cum dispendio salutis vel perfectionis, cum violatione obligationum status ac regularum, vel contra Superiorum voluntatem.

Ama propter Christum et nil facies contra Christum. « Nil ergo fac, nil omitte propter merum respectum humanum, alias nil umquam magni pro gloria Dei operaberis ». Verba sunt S. P. N. Ignatii.

Huc pertinet consilium, ne quaeras statim cuiusque amicitam, sed prius prudentur videas, quam bonus sit religiosus, ne coniungens te cum solutioribus illis similis fias.

Cave, cave familiaritatem et affectum nimium erga quemcumque etiam optimum, si castitatem tuam cupis illibatam servare.

Exempla cuiuscumque, si non sunt bona, non imitare, neque respice quis faciat, sed potius quid faciat. Hoc magni momenti est, ne scandalizeris. Neminem iudica, at non omnes imitare.

Ne placere velis omnibus. Est enim *a*) impossibile *b*) innumerabilium turbationum occasio. *c*) *Si hominibus placerem,*
Gal. 1, 10. *servus Christi non essem,* ait S. Paulus. Quomodo igitur socius? *d*) Placere hominibus, non est pax filiorum Dei.

OBSERVANDA ERGA SE

POSSUNT omnia uno verbo dici: *vince teipsum* i. e. ne sequaris naturae inclinationem, sed viriliter illi obsiste. Sic demum acquires veras virtutes.

Post concupiscentias tuas ne eas, et a voluntate tua avertere. Quod placet naturali tuae inclinationi, id vel hac sola ratione sit tibi suspectum. Quod tuae naturae et gustui contrarium accidit, hoc certe bonum tibi est, modo ipse velis. *Eccli. 18, 30.*

Cave autem maxime:

1. Superbiam, sive in spiritualibus, sive in literariis. *Deus enim superbis resistit.* Hinc: *a*) Non admitte opinionem bonam de te ipso. Si tibi ipsi places, Deo displices. *b*) Ne te iactes umquam. Laus propria foetet. « Fac multum, loquere parum ». (B. Ioannes Berchmans). *c*) Noli laudari ab ullo; hoc enim numquam est utile, semper periculosum, saepe noxium. Itaque suspectos habe adulatores. *Populi meus, qui te beatum dicunt, illi te decipiunt et viam gressuum tuorum dissipant.* *Iac. 4, 6.* *Is. 3, 12.*

Effectus superbiae sunt: praesumptio, contemptus aliorum, inoboedientia, tenacitas iudicii proprii.

Poenae sunt in spiritualibus: peccata, lapsus, ruina; in litteris: turpes errores et aures asininae.

2. Otium, unum ex illis tribus, quae sibi maxime cavenda statuerat B. Ioannes Berchmans. Cave illud, nam *a)* Est valde malum in se. Perditur pretiosum tempus, de cuius singulis particulis reddenda erit stricta ratio. *b*) Regularum violationi ansam praebet. Adeuntur cubicula aliena, garritur (saepe etiam de rebus malis), contrahuntur familiaritates, quae quandoque horrendam adducunt ruinam, cum libera sequatur conversatio, tactus violetur, etc. Diabolus enim tunc maxime non otiatur. *c*) In otio tentationes magis invadunt. *d*) Tristitia et melancholia obruunt. *e*) Peccata et innumeri defectus fiunt. *f*) Ignorantiam rerum suarum, quam otium intulit scholasticus per totam vitam deploraturus est, utinam etiam non per totam aeternitatem! Si non habes quod agas, pete laborem a Superioribus.

3. Gulam, quod crassum vitium est et valde turpe in religioso, cum quo communiter nec in spiritu nec in litteris multum proficitur. Prodit se *a*) Ex modo comedendi immodesto, qui effusionem animi per cibum demonstrat. *b*) Ex sollicitudine ut hoc vel illud ad se perveniat, et ex murmuratione, si quid aliquando desit. *c*) Ex colloquiis de cibis, etc.

Haec ergo cave et conare semper animo esse indifferens ad ciborum tam quantitatem quam qualitatem.

Scito porro, si huic vitio libere indulseris, numquam te fore spiritualem hominem, immo neque castum.

Serva modestiam, quae multa et magna bona parit, quae immodestia perdit.

Mortificationes consuetas numquam omitte ex negligentia; licet enim parvae sint, valde magnas tamen gratias sibi annexas habent.

DE TEPIDITATE

I. NOTIO TEPIDITATIS.

Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus; sed quia tepidus es..... incipiam te evomere ex ore meo. *Ap. 3, 15.*

Pars I. Quid sit tepiditas. Est status quidam medius inter calorem et frigiditatem spiritualem, prout Christus Dominus eam definit. Quare inquirendo primum quid sit calor et frigiditas, inveniemus quid sit tepiditas.

Calor spiritualis est animi promptitudo ad opera spiritualia. Fervidus orat et meditatur cum debita praeparatione, reverentia, attentione, tempusque spiritualibus rebus designatum integre ac fideliter implet; conscientiam examinat accurate, cum confusione sui et emendationis proposito; ad sacramenta accedit libenter, cum studiosa praeparatione, et fructum ex illis haurit multiplicem; spiritualia legit, exhortationes audit, cum applicatione ad se ipsum; oboedit integre, prompte, constanter, non solum exteriore actu, sed cum submissione voluntatis et iudicii; humiliationes sui et mortificationes inter lucra numerat; laborat strenue, propter DEUM, ut suo officio et obligationi satisfaciat. Verbo, legem DEI et regulas servare conatur accurate, et hoc iugum portat cum gaudio quia non ex tristi necessitate, non ex timore, sed ex amore, ex desiderio placendi DEO... Cogita Aloysium, Stanislaum, Berchmans, immo omnes patres fratresque nostros, quotquot fuere et etiam nunc sunt veri Societatis Iesu filii.

Frigiditas spiritualis est animi aversio a DEO et conversio ad creaturas. Frigidus res tantum temporales magni aestimat, aeternas et spirituales parvi pendit; orationem et sacramenta nauseat; ruit in peccata, etiam gravia, et in iis haeret; si quid aliquando boni facit, id ex respectu humano facit, ex naturali inclinatione, ex consuetudine. Ceterum vivit libere prout vult.

Tepiditas inter haec duo medium tenet. Tepidus neque cum fervidis est totus ad DEUM conversus, neque cum fri-

gidis est totus ab Eo aversus. Cum calidis peragit opera spiritualia, sed ea cum frigidis oscitanter facit, detruncat, aliquando omittit. Orat et meditatur, sed animo voluntarie distracto, sine reflexione ad suam emendationem; conscientiam examinat, sed obiter, sine rubore, sine proposito. Cum calidis accedit ad sacramenta, sed cum frigidis nullum ex iis percipit fructum; cum calidis vivit sub oboedientia, sed cum frigidis murmurat, ubi res aliqua non ad gustum iniungitur; laborat quidem, sed aegre, vel ex intentione non sincera. Denique, licet iugum Domini non omnino cum frigidis abiciat, portat tamen aegerrime, et omnibus actionibus aliquid de frigiditate admiscet.

Iam reflexione super me ipsum facta, agnoscam facile, multa me habere huius morbi signa. Percurram meas actiones, tam spirituales quam alias, et fortasse deprehendam in me hanc ex calore et frigiditate mixturam. Nonne dicit mihi conscientia mea, quod Davidi Nathan: *Tu es, tu es ille vir?* Quid vero *2 Reg. 12, 7.* ego nisi cum eodem Davide: *Peccavi....* Utinam hoc verbum ita proferam, utinam hoc saltem triduo ita poenitentiam agam, ut cum eodem audire etiam merear: *Transtulit Dominus peccatum tuum.* *2 Reg. 12, 13.*

Pars II. Quantum malum sit haec tepiditas. Utinam frigidus esses aut calidus. *Ap. 3, 15.* Haec verba merito me horrore debent percellere. Quis enim haec dicit? IESUS Christus, *testis fidelis et verus,* *Ap. 1, 5.* immo ipsa veritas infallibilis. Quid dicit? Dicit tepiditatem aliquo sensu esse ipsa frigiditate peiorem... Frigiditas est nihil coram DEO. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* *Ps. 14, 4.* Est obiectum odii divini. *Odio sunt DEO impius et impietas eius.* *Sap. 14, 9.* Est itaque a DEO proiectus, diaboli servus, partem cum illo exspectans. Iam vero tepidi statum aliquo sensu peiorem esse, quam huius frigidi, affirmat IESUS Christus, qui supra veritatem res exaggerare non potest... Quam horrenda itaque tepidi conditio!... Sed quo sensu hoc intelligitur? Scilicet, peccator manifestus i. e. frigidus non potest sibi suam pessimam conditionem dissimulare, scit qui sit status animae suae, in quanto periculo aeternae damnationis versetur. Hinc veritates aeternae, si quando eas audit aut in eas incidit, eum movent, cumque aliqua ratione vehementius percellatur, respicit se et convertitur, ut in adultera, in Magdalena, in Zacheo, in publicano... factum videmus. Sed tepidus, qui a peccatis, quae sibi mortalia videntur, abstinet sed venialia libere committit, statum suum non agnoscit, non credit se esse in periculo, immo vero sibi blanditur, occultam fovet superbiam, putat se quasi in gratia confirmatum, et hac animi dispositione prolabitur in mortale peccatum... illud iam nihili facit... ac demum perit. Sicuti febris lenta, quae hominem multa facere

permittit, sed ita aegrotum fallendo lentius quidem sed certius ad mortem deducit quam violenta.

Confirmat haec Daniel abbas apud Cassianum. « Rectissime, inquit, pronuntiatur (tepidus frigido) esse deterior, quia facilius ad salutarem conversationem carnalis quis, id est saecularis vel gentilis accedit, quam is, qui professus religiosum monachum nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinae, ab illo semel spiritualis fervoris igne decessit ». Ac dein subdit: « Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id est de saecularibus ac paganis, ad spiritualem pervenisse fervorem, de tepidis omnino non videmus ». Ita ille. Cuius quidem ultima verba sunt valde notanda. Cum enim tantus vir annorum experientia, in tot religiosorum, quos regebat, millibus, tam constanter neget, se vel unum tepidum scire ad meliorem frugem fuisse conversum, prorsus necesse est morbum hunc aut nullo modo, aut non nisi raro et summa difficultate posse curari.

Certe difficilior tepiditatis curatio quam ipsius frigiditatis. Et hanc ob causam Christus Dominus: *Utinam frigidus esses.* Quae verba mihi ab ipso Domino ... dici existimabo, atque inde meam miseriam agnoscam, eiusque remedium humillime flagitabo. *Miserere mei ...*

Pars III. Quam odiosa DEO et quam periculosa sit haec tepiditas. Quia, inquit, tepidus es et nec frigidus nec calidus
Ap. 3, 5. *incipiam te evomere ex ore meo.* Hoc dicit ille IESUS benignissimus, qui tanto amore omnes peccatores excipit. Ille e suo benignissimo Corde, quod sceleratissimis etiam est apertum, eicere minatur tepidum. Quid potuit dicere, quo magis suum odium ostenderet? *Evomere* enim nauseam indicat, tepidumque esse plane intolerabilem, ita ut facilius toleraturum se ostendat frigidos quam tepidos, saeculares improbos, quam malos religiosos ... Ita Christum etiam in Evangelio videmus gravissimos peccatores benignissime suscepisse, ut adulteram, Zachaeum, alios, adeo ut notam etiam hominum incurrerit. Pharisaeos autem, Iudaeorum religiosos, ac si tolerare non posset, veluti deposita solita mansuetudine acerbissime sem-
Mth. 23, 13, 33. per excipiebat, *genimina viperarum* appellabat, multiplex *vae* illis minabatur.

Denique plus etiam indicat hoc verbum *evomere.* Nam non solum se abiecturum ostendit tepidum, sed ita abiecturum, ut numquam amplius eum admittat. Quis enim possit, quod semel evomuit, iterum ori ingerere? Unde idem abbas Daniel apud Cassianum: « Quidquid frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, et salutifera suavitate percipitur; quod autem semel vitio pernitiosi teporis abiectum est, non dicam labiis admovere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore non possumus ».

Cogitabo hic, quam multos ita ex ore suo evomuerit, cum eos e Societate eiceret, quorum plerique tam misere perierunt....

Denique, mihi ipsi Christum Dominum dicere cogitabo: *incipiam te evomere*... Quid si forte non incipiet tantum, sed iam *incepit?*... Hinc humiliatio, timor, deprecatio, propositum. *Ne proicias me a facie tua*... *Cor contritum et humiliatum DEUS non despicies.* Ps. 50, 13, 19.

II. MISERIAE TEPIDITATIS.

Nescis quia tu es miser et miserabilis. Ap. 3, 17.

Pars I. Tepidus religiosus est miser.

1°. *Propter multitudinem peccatorum venialium.* Tepidus, ut ait S. Anselmus, fluctuat inter virtutes et vitia; virtuti vult quodammodo inhaerere et peccata vitare, sed refugit certamina; hinc saepissime vulneratur. Percurramus diem tepidi religiosi, et forte in omnibus et singulis actionibus aliquid eum peccare deprehendemus. Tempus est surgendi, sed ille pigritia victus somno etiam indulget. Quod si surgit, non mentem ad DEUM elevat, non puncta meditationis recolit, sed cogitat de rebus futilibus aut potius nullis; nam ut solet dissipatus esse per diem, ita dissipatus diem inchoat. Visitationem S. Sacramenti omittit aut sine pietatis sensu, sine convenientibus affectibus facit. Ad orationem accedit sine praeparatione, interrumpit illam, decurtat; porro tam parum mentem applicat distractus idque voluntarie, ut nec meditationis nec orationis nomen illa mereatur. Missam audit, sed veluti sine fide. Multum temporis per diem inaniter consumit garriendo, discurrendo per domum, nova inquirendo,... in quibus omnibus sunt saltem frequentes ac fere assidue regularum violationes, ut nihil dicam de aliis peccatis, quibus ista multiloquia scatere solent. Officium facit negligenter, vel etiam ex parte omittit. Iam quot defectus in refectione corporis, dum ad lectionem non attendit, non aliquid pium cogitat, sed effusus super cibos totus in illis mergitur. Quot hic actus intemperantiae in quantitate cibi, in modo sumendi? Quot immodestiae? Quam multi defectus contra paupertatem et charitatem, cum et meliora aliis praeripiat, et plura saepe, quam concessum est, sine facultate sumat? In colloquiis deinde et recreationibus quam multa peccata? Totus dissolutus, non nisi de nugis loqui vel audire amat. Displicent illi colloquia pia et conversatio eorum qui regularitatem profitentur et observant, placent contra consortium et colloquia eorum, qui de mundo sunt et de mundo loquuntur. Quam multa porro in his colloquiis peccata linguae? Cum praesentibus contendit, illos saepe contumeliis

etiam et iniuriosis verbis laedit, irridet, contemnit; absentes carpit, eorum defectus in colloquium inducit; ipsis etiam Superioribus non parcit, eorum dispositiones improbat, murmurat. Atque haec sunt tepidi cotidiana fere peccata. Accedunt praeterea cotidie multa, in variis circumstantiis, tentationibus. Nam cum daemon eum tam negligenter agentem cernat, frequentioribus eum tentationibus, DEO id iuste permittente, molestat, et cum parum frequenter his tentationibus resistat, etiamsi forte in grave peccatum non consentiat, auscultat tamen tentatorem ex negligentia et venialiter labitur. Quot praeterea defectus contra vota substantialia religionis?... Quid, quod etiam alios imbuat laxis principiis, et interdum causa sit dissolutionis totius disciplinae religiosae, in aliquibus saltem personis, fiatque reus omnium peccatorum, quae ab aliis ipso auctore committuntur?.. O vere multiplicatae sunt ini-
Ps. 68, 5. quitates *super capillos capitis!*.. O quam misera talis anima, quam sordida coram oculis DEI! Quam foede vulneribus obsita! siquidem vel unicum veniale peccatum foedat, vulnerat animam... Quid, quod huiusmodi peccata tepidus accumulet saepe per multos annos? Tam multa in uno die, quid per hebdomadam, per mensem, per annum, quid per multos, decem, forte viginti et amplius? Quam ingens peccatorum venialium numerus exsurget! Etiamsi singula non essent nisi arenulae, tamen numerus obruet, ut S. Augustinus ait. Congregantur autem per tam longum tempus, quia tepidus ea non per poenitentiam veram tollit. Nam alia tepiditate sua non putat esse peccata, cum tamen vere sint; allia agnoscit quidem et confitetur etiam, sed ita, sine vero dolore sine proposito, ut, licet forte confessio sit valida propter aliqua addita peccata praeteritae vitae, de quibus vere dolet, horum tamen venialium remissionem non obtineat... O iterum ergo, quam misera talis anima, quae tam horribilem sibi thesaurum pec-
Ps. 50, 1. catorum, thesaurum irae DEI congregat!... *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam...*
Ps. 24, 11. *Propitiaberis peccato meo, multum est enim.*

2°. *Propter qualitatem peccatorum venialium.* Haec enim in tepido graviora sunt.

1°. *Ex parte voluntatis.* Non enim cadit ex fragilitate, sed ex contemptu, quia res parvas spernit. Iam eheu foveas illas, quibus a regularum violatione deberet deterreri, transtulit, aut potius in illas incidit, seseque maculavit, nec curat quidquam. Contrahit deinde etiam habitum... Peccata autem, quae ex habitu fiunt, sunt graviora, teste S. Thoma, propter maiorem voluntatis determinationem.

2°. *Ex parte materiae.* Diabolus primum non nisi ad res, quae sub peccato non videntur obligare, tentat, v. g. ad vio-

lationem regularum et consuetudinum religiosarum. Quamquam etiam in his vix potest transgressio fieri sine peccato, ut S. Thomas dicit de Regulis sui Ordinis, quae per se sub peccato non obligant, scilicet, propter inordinatam voluntatem. Sed postquam daemon has sepes regularum videt violatas, sibique iam aditum ad ipsa penetralia patefactum, incipit etiam circa vota tentare, in qua materia longe sunt graviora peccata, ac per leves primo votorum violationes paulatim eo procedit, ut denique ad letale peccatum inducat. Fuere in Societate, qui per vitam suam tepidam eo devenuerint, ut dicerent, sibi iam imposibile esse vota servare, debuerintque eici... In Iuda habemus exemplum horrendum. Ille certe fuit ab initio unus e ferventioribus IESU discipulis; alioquin IESUS eum non elegisset in Apostolum. *Iudae laudantur exordia,* ait S. Augustinus. Sed quam horrendus eius finis, quia suam avaritiam non mortificavit! Primum parva furta libere committebat, per quae paulatim eo devenit, ut IESUM traderet. Fortasse daemon illi persuaserit, ne hoc quidem fore grave, Magistrum enim posse se facile liberare, si vellet; quod si tempus praestitutum, quo Dominus passurus esset, adesset, non referre, utrum a se traderetur an ab alio; proinde sumeret sine scrupulo pecuniam, quam Pharisaei et Sacerdotes offerrent... Ita *qui spernit modica paulatim decidit. Et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est*... Ergone tepidus non miser, quem ad aeternas paulatim miserias venialia peccata disponunt? *Eccli. 19, 1.* *Luc. 16, 10.*

3°. Haec eadem venialia aggravantur valde *ratione personae,* quae ea committit, religiosus videlicet, tot a DEO beneficiis praeventus, tot illi nominibus obstrictus, ipso statu, ipsa veste sua vitam perfectiorem, sanctiorem, fervidiorem professus... Denique etiam locus, in quo ea peccata committuntur, ea graviora facit. Huc enim illae pertinent amarae DEI querelae: *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? In terra Sanctorum iniqua gessit et non videbit gloriam Domini.* *Ier. 11, 15.* *Is. 26, 10.*

Quid ad haec omnia dicam? nisi agnoscens me miserum, implorabo misericordiam eius, qui *dives est in misericordia et miserationibus,* et *placabilis super nequitia.* *Ps. 102, 4.* *Ex. 32, 12.*

Pars II. Miserabilis. Miser est, ait S. Hieronymus, qui sua voluntate est infelix, *miserabilis,* qui invitus et contra suam voluntatem miserias ferre cogitur. Sic *miserabilis* est tepidus religiosus.

1°. *Propter conscientiam.* Haec licet saepe sopiatur, saepe tamen reclamat. Veniunt horae solitudinis, quibus omnia illa peccata, in speciem levia, eius animum pungunt et miserandum in modum cruciant. Conatur ille quidem has cogitationes ut scrupulos eicere, sed id efficere non potest, nisi aliquando et

ad tempus. Reclamat iterum iterumque conscientia, quae licet ei conetur persuadere, omnia illa, quae obiciat nihil esse vel certe non gravia, cum tamen semper sentiat contrarium assiduos mittit aculeos nec ullam quietis partem concedit misero... Saepe etiam dubia recurrunt de validitate confessionum, de graviter violato voto v. g. castitatis, quod non repulerit multas imaginationes, quod iis causam dederit sua nimia agendi libertate, quod eas non aperuerit confessario, etc. Unde horribiles saepe angores. Nimirum nemo *restitit DEO et pacem*
Iob. 9, 4. *habuit.* Religiosus, qui peccata levia non vitat, qui non vivit iuxta statum suum, numquam illam acquiret beatitudinem, de
Mth. 5, 9. qua Dominus *Beati mundo corde.* Mundo enim corde non est. Numquam acquiret illam pacem conscientiae, de qua Sa-
Prov. 15, 15. piens: *secura mens quasi iuge convivium.* Nam eius mens secura esse non potest. Saeculares forsan pacem conscientiae habere possunt, si a mortalibus peccatis et a gravioribus venialibus abstineant, sed id religioso ad pacem conscientiae non sufficit, si regulas suas non servat, si levia peccata non horret. Nam non potest non sentire, DEUM plus a se exigere... Interim ille cum internis suis afflictionibus non Superiorem suum, non Patrem suum spiritualem adit, sed eos a quibus nescio quid inanis solatii, quale ipse vult, recepturum se sperat; aut aliqua mentis dissipatione se a molestis illis conscientiae interpellationibus liberare se quaerit. Et tamen non haec est via ad quietem et pacem conscientiae recuperandam; unde vere talis religiosus vitam ducit valde inquietam, vere maxime *miserabilem.*

2°. *Propter male mortificatas passiones.* Quid enim? Tali religioso innumera fere cotidie accidunt, quae eum gravissime cruciant. Torquetur a sua superbia, dum reprehenditur, humiliatur; quod quidem ei ob defectus frequentissimos frequenter obtingit. Torquetur ab invidia, dum alios sibi videt praeferri, dum aliis melius quam sibi res videt succedere; quod quidem saepe ei accidit, tum ob negligentiam eius, tum ob defectum divinae benedictionis. Torquetur a gula, dum non potest habere, quae sensualitas accipere vellet, dum casu aliquo aliquid deest. Torquetur ab ira, dum ad minimam difficultatem, ad verbulum contradictionis excandescit, dum prae sua immortificatione minimam molestiam putat gravissimam et ex musca facit elephantem. Torquetur ab acedia, dum in exercitiis pietatis incredibilem sentit difficultatem, et tamen ab iis se substrahere sine nota non potest. Propter hanc ace-
Mth. 11, 29. diam, quia iugum Domini non *tollit* vere *super se,* non invenit illud iuxta verbum Christi *suave, et onus leve,* sed iugum acerbissimum et onus intolerabile. Propter hanc acediam occurrentes cotidie difficultates, sine quibus in religione non vivitur, et quae fervidis aut nullae videntur, aut veluti parvi

arenae cumuli, quos transiliunt, ipsi videntur montes, quos non nisi maximo labore et sudore superat... Vere *tepidus* religiosus habet tribulationem super tribulationem, et ex omni parte patitur angustias. Est vere martyr suarum passionum sed vere miserabilis martyr, cum multo plura patiatur, quam fervidus, et nihil lucretur.

Ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via tepiditatis. *Sap. 5, 17.*

Horruimus difficultates parvas, quas generosa victoria oportebat vincere, et incidimus in multo maiores. *Timuimus pruinam, et irruit super nos nix.* *Iob. 6, 16.*

Passiones nostras et malas inclinationes sequendo quaesivimus pacem, et non invenimus. Voluimus *saturari de siliquis porcorum* et non licuit. *Luc. 15, 16.*

Ergone ego servus tanti Domini, filius tanti, tam beati Patris, ego socius IESU *miser* et *miserabilis?* Tam multi fratres mei serviunt Domino in laetitia, et ego tristis, ego *miser,* et *miserabilis?*

Surgam ergo, et ibo ad Patrem. *Luc. 15, 18.*

III. TEPIDI PAUPERTAS.

Et pauper. *Ap. 3, 17.*

Si quis *miser et miserabilis* est ex morbis et defectibus naturalibus, sed tamen habet divitias, potest aliquo modo miserias suas lenire, sed si simul est pauper, tunc vere attingit summam miseriarum. Hoc autem locum habet in religioso tepido, qui non tantum est *miser* et *miserabilis,* ut in praecedenti meditatione vidimus, sed miseriam suam nullo modo reparare nec compensare potest. Est enim, ut Christus Dominus dicit, *pauper.*

Pars I. Pauper virtutum. Virtutem veram non habebis, nisi faciendo vim inclinationi naturali. Hinc enim vocatur *virtus* quasi a *vir,* quia scilicet eorum est, qui *virorum* instar, *virili* animo se ipsi vincunt. Hinc illud S. Patris Ignatii ad omnes virtutis studiosos: *Vince te ipsum,* et Thomae a Kempis: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Ubi nulla vis infertur naturae, nec prius illata fuit, ut habitus bene operandi acquireretur, ubi aliquid quantumvis bonum, naturali solum inclinatione fit, ibi vera virtus non est... Iam vero quid facit tepidus? Utique eo ipso est tepidus, quia naturali negligentiae ac pigritiae indulget, quia non facit sibi vim; si enim sibi vim inferret, tepidus non esset. Quid ergo sequitur? Sequitur, iuxta superius dicta, tepidum non habere virtutes, esse vere *pauperem virtutum*... Et revera, si tepidi vitam inspicimus, invenimus hominem, aliquando sane aliquid boni

facientem, sed deficientem plerumque, quando virtus exercenda sit. Erit quieto animo, patiens ut videtur, humilis, sed quamdiu? Scilicet, quamdiu nihil adversi occurrit. Accidat ei aliqua iniuria vel realis vel existimata: videbimus eum excandescentem, iram vultu ac verbis prodentem. Accidat aliqua humiliatio: videbis mox animo turbatum, et pene tabescentem prae tristitia. Accidat aliqua afflictio undecumque, sit aliquis dolor ferendus, morbus, . . o quam tunc ille deiectus animo, quam inquietus; o quot querelis omnium aures implet. Haec nimirum eius patientia . . . Est oboediens, sed quamdiu? Quamdiu videlicet Superiores nihil difficilioris operae, nihil, quod eius voluntati aut iudicio repugnet, iniungunt; quamdiu comiter et, ut ita dicam, delicate, politice cum eo agunt. Sed iniungant illi aliquid, quod non sit ad gustum, quod videatur aut non satis honorificum, aut molestum... o quot tunc modis quaerit se ab hac re excusare; quot praetextus invenit! Quod si omnino res facienda est, quot murmurationibus, quot negligentiis illam actionem inficiet. Loquantur ei Superiores duriuscule, reprehendant paulo acrius... o quot tunc in corde murmura, in vultu quanta turbatio, in verbis etiam saepe quanta irreverentia! Et haec videlicet virtus est oboedientiae?... Paupertatem amat, quam DEO vovit, itaque vult esse pauper, sed quomodo? Ita scilicet, ut nihil sibi desit; vult paupertatem omnibus rebus, non secus ac si in divitiis viveret, abundantem. Veniant aliqui effectus paupertatis, deficiat aliquid in vestitu, in lecti aut cubiculi supellectili, in aliis corporis commodis . . . quot tunc querelae et murmura contra fratres, et contra Superiores! Et haeccine virtus paupertatis? Mollis haec sane ac delicata paupertas . . . Officiosus est, et obsequia quandoque cum magna ut videtur charitate praestat . . . sed quae? Ea, in quibus non habet difficultatem, ea, quae fors ipsius dissipationi favent, et iuvant ad tempus iucundius consumendum. Sed quibus praestat? Maioribus, aequalibus, a quibus mutuum obsequium sperat, quorum sibi amicitiam putat utilem. Sed petat aliquid inferior, petat ille, a quo nil exspectat, ille cui fors propter aliquam causam non adeo est addictus, aut a quo se aliquando offensum putat; petatur aliquid, quod non libenter faciat, quod suae inclinationi repugnet . . . videbis mox, quot rationes inveniat ad se excusandum... Quandoque crude ac duriter recusabit. Et haec vocanda erit virtus charitatis? . . . Eodem modo possunt aliae virtutes perpendi. Ubique deficere videbimus tepidum, ubi vere virtus per sui generosum victoriam exercenda ei est... Religiosus ergo tepidus revera est *pauper virtutum*. Sed quanta haec ignominia! Religiosus, in schola perfectionis per duos tirocinii annos educatus, et assidue inter doctrinas et exempla versatus, adhuc nullam habet veram virtutem! Quod rusticus, qui numquam scholas frequentavit,

legere nesciat, non est mirum; sed quod ille, qui plures annos in schola fuit nihil sciat, haec vere summa ignominia. Quantus ergo pudor religioso, qui adhuc tam imperfectus est, quam fuit cum saecularis esset, et forte longe peior. Id enim non est rarum, quod quis melior fuerit in saeculo, quam postea in religione, nec semel accidit, ut parentes obstupescerent, videntes filios, quos pios ad religionem miserant, inde remissos, valde in malum mutatos ad se reverti. Nam sicut vera virtus sine victoria sui non acquiritur, ita nec sine victoria sui conservatur. Quare tepidus religiosus non modo nullas assequitur virtutes, sed etiam quas prius forte in aliquo gradu habebat, perdit... Vere ergo religiosus tepidus *pauper*, pauperrimus *virtutum*.

Videns porro me ipsum valde pauperem in hoc genere, coram DEO profunde me humiliabo et confundar, ac dicam illi in spiritu poenitentiae: *Ego vero egenus et pauper sum, DEUS adiuva me.* *Ps. 69, 6.*

Pars II. Pauper meritorum. In vita religiosa, quot actiones, tot merita esse possunt, si debito fine et iuxta praescripta fiant. Omnia enim fieri possunt, saltem ut imperata ab oboedientia, quae vel sola omnia opera facere meritoria potest. Ipsa refectio corporis per cibum et potum, per somnum, per recreationem, si debito fine et modo fiat, merito suo non carebit. Quid iam pietatis officia, meditationes, examina, missae, coronae, aliae preces? Quid labores in studiis, in scholis, in catechismis, in contionibus, deinde in domesticis humilitatis et charitatis exercitiis? Quantus inde vel singulis diebus thesaurus meritorum colligi potest? Quid per hebdomadam, per mensem, per annum, per annos plures? Quam dives meritorum, et quam facile fiet!... Sed tepidus religiosus quid? Agit etiam ille, agit multum, sed ut plurimum agit sine merito... Ut actio aliqua sit meritoria, requiruntur praeter statum gratiae, saltem haec tria -°. ut de se sit bona vel indifferens, 2°. ut fiat fine bono, propter DEUM, 3°. ut fiat bene. Iam vero tepidus religiosus: 1°. Multa cotidie facit ex natura sua mala, uti sunt omnes actiones a regulis prohibitae, colloquia intempestiva, vagationes per domum inutiles,.. item actiones non necessariae quas facit, omittendo iniunctas, ut dum in studiis alia legit, quam quae legere iussus est, aliis studet, quam quibus debet studere. Hae certe actiones omnes sunt perditae, nec ullum habebunt apud DEUM meritum. 2°. Quae de se bona sunt, ea fere omnia defectus intentionis vitiat. Alia enim facit quia sibi placent, ob naturalem inclinationem, alia propter nomen et laudem, quae est vanitas et superbia, alia, quia commodum sibi ex iis aut lucrum aliquod temporale sperat, et est avaritia. Multa denique ex humana solum consuetudine, qui finis si non assurgit altius,

vanus certe est ac inutilis. Hae igitur actiones omnes, his finibus factae, pereunt. Nam DEUS numquam remunerabitur ea, quae non propter ipsum facta sunt. Porro huius modi vitiosae intentiones etiam tunc saepe actiones tepidi religiosi vitiant, cum ipse putet se bonam habere, quia forte dixit aut cogitavit *ad maiorem DEI gloriam.* Si enim vere *ad maiorem DEI gloriam* operatur, quare solum ea facit, quae placent, non quae displicent? quare curat tantum bene facere ea, quae publice facere debet, quae ab hominibus videntur, non ea, in quibus solum DEUM testem habet? quare illa tantum libenter et diligenter facit, quibus laudem sperat aut commodum, alia aut omittit aut negligenter absolvit? Haec et alia huius modi faciunt saltem eius intentionem suspectam, quae si non est recta nil meretur. 3°. Multa, etiam licet bona, perdit quia non bene facit. Pleraque enim propter tepiditatem suam negligenter, perfunctorie, imperfecte obit. Orat, sed cum voluntariis distractionibus, oboedit, sed cum repugnantia voluntatis ac iudicii, non prompte, non integre, studet, sed non ita ut regulae, ut dispositiones Superiorum iubent. Vix est aliquid nobis agendum, cuius modus non sit in regulis praescriptus. Docent illae, quomodo agendum cum Superioribus, quomodo cum aequalibus, quomodo cum externis, quomodo studendum, quomodo corpus cibo reficiendum, quomodo colloquia et recreationes faciendae, etc. Sed regulas tepidus ille nec servat nec servare curat... Agit proinde pleraque male, ac sine merito... Quam parum ergo illi e thesauro, quem cotidie colligere poterat, remanebit?... O quanta haec infelicitas! Laborat fortasse non minus, quam fervidus, certe maiori cum difficultate, et tamen omnes labores in cassum profundit... *Seminastis multum et intulistis parum... et qui mercedes congregavit, misit eas in saeculum pertusum......* Quid autem erit denique in morte? *Dormierunt somnum suum* (somnum teporis ac negligentiae) *viri desideriorum* (qui divites meritorum esse poterant et debebant) *et nihil invenerunt in manibus suis.* Erit ergo etiam pauper in aeternitate ille religiosus, multique saeculares eum in gloria superabunt, si tamen aliquem in caelo locum attingat, et non penitus salute excidat. Quanta haec ignominia!

Agg. 1, 6. *Ps. 75, 6.*

Hanc ego merito timens, humiliabo me iterum, videns me ipsum vere ita pauperem meritorum, ob praedictas tres causas, et iterum iterumque ingemiscam: *Ego vero egenus et pauper sum, DEUS adiuva me... Tu, Domine, adiuva, suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut colloces eum cum principibus, cum principibus populi tui.*

Ps. 69, 6. *Ps. 112, 7, 8.*

Pars III. Pauper gratiarum. Cum religiosus tepidus tam sordidus, tam parcus sit erga DEUM, non mirum si DEUS etiam parcus est erga illum. Hinc eius summa paupertas.

1°. *Quoad gratias internas.* Quarum aliae sunt *illustrationes intellectus,* a quibus plurimum dependet. Quare veritates aeternae parum nos movent? Non quia non habemus earum fidem, sed quia non habemus fidem vivam, quae ex singulari intellectus illustratione provenit, quae si adesset, ad summum nos fervorem illae veritates excitarent. Sic. S. Franciscus Xaverius primum ridebat de illo, quod S. Ignatius suggerebat: *Quid prodest homini...* sed postea, divino lumine illustratus, hac eadem sententia in alium virum est mutatus... Aliae sunt *motus voluntatis,* quibus anima excitatur ad ferventer DEO serviendum. Sine his *nihil est in homine.* DEUS enim *operatur in* (nobis) *et velle... et perficere.* Sed his illustrationibus et motibus tepidus se reddit indignum, propter abusum gratiarum, quas copiose sed infructuose obtinuerat... Relinquitur ergo pauper gratiarum internarum. Forsan iam vix novit, quid sit lumen habere in oratione, quid sit pius motus voluntatis, quid sit consolatio aut desolatio. Forsan aeque parum huius modi res in se experitur, ac saecularis aliquis, qui nullam vitae spiritualis curam gerit. Porro ex hac paupertate gratiarum internarum manet etiam pauper virtutum, pauper meritorum. Non modo nil proficit, sed potius magis deficit, ac malum eius est fere sine remedio. Gratiae vero illae, quas si fidelis esset DEUS daret, dabuntur aliis. *Phil. 2, 13.*

2°. *Quoad gratias externas.* Eos quos DEUS singulari amore complectitur, dirigit singulari quadam providentia. Non permittit eos ad tale munus destinari, cum talibus sociis uniri, ad talem locum mitti, talibus tentationibus vexari, quibus praevidet eos aliquam iacturam esse facturos. Contra ita omnia dirigit, quandoque praeter mentem Superiorum, qui quod facere volunt nonnumquam ob circumstantias non possunt, ut illis electis suis talis locus, tale munus, talis Superior, tales socii obveniant, ex quibus multum utilitatis capturi sunt. Haec providentia particularis valde magni momenti est, cum ab ea ut plurimum dependeat non solum perfectio religiosa, sed etiam salus aeterna. Multi ex occasionibus externis loci, muneris, sociorum, perdiderunt vocationem et salutem... Iam vero exercebitne DEUS hanc singularem providentiam erga ingratos ac tepidos? Nonne potius illi, qui dicit de parvis rebus: *hoc non est grave, ad hoc sub gravi non obligar,* DEUS dicet: neque ego obligor ad singulares tibi gratias dandas. Dabit ergo solum communes cum quibus salvari quidem potest, sed fortasse non salvabitur. Res certe est plena periculi.

Ego vero hic recogitans, quam multi, *qui* prius *nutriebantur in croceis, postea amplexati sint stercora,* et videns me per meas negligentias dudum promeritum esse, ut DEUS mihi particularem suam providentiam subtraheret, et fors iam aliquatenus substraxisse in illis occasionibus... in illis tentatio- *Thren. 4, 5.*

nibus... timorem magnum concipiam, ne me proiciat, sicut alios proiecit... Statuam vero liberalem me erga divinam eius Maiestatem exhibere, ut et ipse in me sit liberalis...

Ps. 50, 13. *Ne proicias me a facie tua, Domine, et Spiritum Sanctum tuum* (providentiam tuam particularem) *ne auferas a me...*
Ps. 5, 9. *Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam.*

IV. TEPIDI CAECITAS ET NUDITAS.

Ap. 3, 17. *Et caecus et nudus.*

Pars I. Tepidus Religiosus est *caecus.*

1°. *Circa veritates religionis et perfectionis.* Hoc minime mirum. Cum enim DEUS sua lumina substrahat, ut in superiore meditatione vidimus, quid aliud remanere potest, nisi caligo et tenebrae?

Spiritus Sanctus *lumen* est *cordium,* quod lumen si abest, non potest homo nisi errare, nec remanet in eo nisi stultitia ad omnia quae ad Deum ac salutem pertinent... Sic impii, qui sero ipsi se agnoscent *insensatos,* per summam stultitiam *vitam iu-* Sap. 5, 4, 6. *storum putant insaniam,* eo quod *iustitiae lumen non lucet illis, et sol intelligentiae non est illis ortus...* Sic Christus 1 Cor. 1, 23. crucifixus, mysterium sublimissimum, in quo maxime *DEI sapientia* elucet, *gentibus* erat *stultitia, Iudaeis scandalum...* Quod verum est etiamsi veritates illae supernaturales verbis clarissimis exponuntur. Si enim Spiritus Sancti lumen non accedit, manent obscurae neque intelliguntur. Habemus exemplum in Apostolis ante adventum Spiritus Sancti, quibus cum Christus Dominus lucidissime exponeret suae passionis ignominias, et id quidem saepius, et beatitudinem etiam tolerantiae et persecutionum declarasset, tamen *ipsi,* ut ait Scrip- Luc. 18, 34. tura, *nihil horum intellexerunt, et erat verbum hoc absconditum ab oculis eorum, et non intelligebant, quae dicebantur...*

Hoc ergo Spiritus Sancti lumen cum tepido in poenam negligentiae substrahatur, vere caecus est ad veritates supernaturales intelligendas, unde nec illarum consideratione movetur. Non desunt libri, non desunt doctrinae, contiones, adhortationes, sed haec omnia licet clarissima, illi sunt obscura, ideoque nec fructum ex illis capit ullum. In morte, iudicio, inferno, in quibus olim multa videbat terribilia, in caelo, in amore divino, in quibus multa perspiciebat summe amanda et desideranda, iam nil videt, quod magnopere terreat aut alliciat. Legit vel audit de mortificatione, de humilitate et abnegatione sui, de patientia, de oboedientia caeca.... Haec quae in novitiatu aliquando bene intellexerat, nunc sunt my-

steria inintelligibilia, vel videntur *deliramenta,* sicut discipulis tepidis vdebantur ea, quae sanctae mulieres dicebant de Christo redivivo. Legit et meditatur vitam Iesu Christi et Sanctorum, regulas, etc. sicut rudis homo vel rusticus librum aliquem doctum inspicit, quem non intelligit. Hinc fit, ut licet centies audiat vel legat, nil tamen de illis practice sciat. Toties audit auream S. P. N. Ignatii epistolam de oboedientia, regulas huc pertinentes, de oboedientia praestanda non operis tantum, sed voluntatis etiam et intellectus, de spectando in Superioribus Christo... et tamen nil horum videtur intelligere, cum libere Superiores carpat, murmuret, egregie se rem gessisse putet, cum exterius agat quocumque modo ea quae iniuncta sunt, aut etiam iniuncta negligat, modo ne id Superiori innotescat... Toties audit regulas de mortificatione in omnibus quaerenda, de horrore concipiendo ab omnibus quae mundus amat et amplectitur, et de concupiscendo totis viribus quidquid Christus Dominus Noster amavit et amplexus est,... sed nil horum capit. Immo aestimat divitias, honores, iucunditates, horret paupertatem, contemptum, incommoda, sicut aliquis e statu saeculari. Amat horrenda, horret amanda... Laudat vituperanda, vituperat laudanda... Huc scilicet recidunt tot doctrinae, tot lectiones spirituales, tot meditationes, ut adhuc tam sit stupidus in rebus spiritualibus, ac si eas numquam tractasset. *Luc. 24, 11.*

Hae sunt caecitates, quas DEUS spargit in poenam tepiditatum, ut ait S. Augustinus.

Haec illa caecitas quam David tantopere timebat, et quam ut averteret, assidue orabat: *Domine, da mihi intellectum, Dominus illuminet vultum suum super nos.* Cuius exemplo etiam ego idem precabor. *Ps. 118, 34.* *Ps. 66, 2.*

2º. Tepidus religiosus est caecus circa proprium animae suae statum. Hoc est vere terribile. *Est miser, et miserabilis, et pauper.* Et tamen ipse dicit: *Quod dives sum, et locupletatus, et nullius egeo.* Vident eius defectus aequales, admonent eum Superiores. Ipse non credit. Omnia putat per iniuriam dici, vel ob nescio quas vanas rationes plus aequo exaggerari. Non videt se talem qualis revera est. Agnoscit quidem aliquos in se defectus (nam non potest non agnoscere, nisi plane stultus esset factus), sed omnes tam parvos putat tam exigui momenti, ut propter illos inquietum esse necesse non sit. Verbo, se ipsum minime cognoscit. Nec mirum. Cognitio enim sui ipsius difficillima est et indiget singulari DEI auxilio, quod DEUS indigno, tepido non dabit. Itaque cadit fere in eum maledictio illa in legis transgressores a Moyse lata. *Percutiat te Dominus amentia et caecitate, et palpes in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris...* Sed quam terribile hoc est! Quod naturaliter ex hac caecitate sequitur est, ut iam non *diri-* *Ap. 3, 17.* *Deut, 28, 28.*

Deut. 28, 29. *gat vias suas.* Quod enim facere potest caecus, nisi ubique offendere et assidue cadere? Hinc ergo peccata sine numero, et ut priora peccata pepererunt caecitatem, ita caecitas haec nova parit peccata... Deinde malum fit sine remedio. Caecus cum sit, putat se tamen bene videntem. Itaque si quis oculos mentis eius vult curare, non esse necesse respondet. Laborat gravi morbo, sed putat se bene valere, ideoque medicinas non admittit, medicos ipsos repellit. *Miser est, miserabilis, pauper sed*
Ap. 3, 17. *quia divitem se existimat, et locupletatum, et nullius egentem,* si quis illi auxilium ferre parat, aliquid ei spiritualis eleemosynae tribuendo, repellit, aegre fert, irascitur, quasi de iniuria et ignominia, quod stipem diviti obtuleris... Denique omnino securum se putat et extra periculum. Quidquid ex veritatibus aeternis merito ei terrorem incutere deberet, ipse sibi hoc timendum esse non putat. Concutiuntur Sancti et omnibus artubus contremiscunt, dum iudicium, infernum cogitant,... tepidus, cui maxime timendum esset, non commovetur, quasi de caelo sibi revelatum esset, se certo salvandum. Meditatur de tepiditate, eiusque horrendis damnis... haec omnia aliis aptat, non sibi, ac dum alii, qui minus hoc tepiditatis morbo laborant, horrore ac timore complentur, metuentes ne forte ad illam tepidorum classem pertineant, ille cuius tepiditas fere ad extrema devenit, nil in se sentit, nil sibi videt timendum, quia *caecus est*...

Mrc. 10, 47, 51. Timeam mihi de tam horribili caecitate, clamabo cum caeco illo Evangelico: *IESU Fili David, miserere mei!.. Domine ut videam.*

Praeter negationem auxilii Divini ad sui cognitionem necessarii, est etiam alia huius caecitatis causa in tepido. Scilicet, quia tepidus numquam serio ad se reflectit, numquam
Agg. 1, 5, 7. se attente examinat, non *ponit* umquam *cor super vias suas,* semper est dissipatus, cogitat de nugis, de commodis corporis, de rebus denique temporalibus. Ita explicant Sancti Patres verba de episcopo Laodicensi, quod scilicet curabat facultates ac divitias conservare et augere, et hinc sui curam, et quae sui
Ap. 3, 17. erant muneris negligebat. Hinc dicebat: *Dives sum*... Videbo hic, an soleam esse collecto animo, an non contra dissipatio animi et evagatio mihi ubique sit communis ac propria. Si ita, valde mihi timendum est, ne me non cognoscam. In hac porro ignoratione mei ipsius ac caecitate nil facilius, quam ut ambu-
Prov. 14, 12. lare me putem in *via, quae* mihi *videatur iusta,* et tamen *novissima eius* me *deducant ad mortem.*

Pars II. Tepidus religiosus est *nudus.* Hic est cumulus omnium eius miseriarum. Significat enim eum spoliatum esse veste gratiae DEI, prolapsum in aliquod grave peccatum. Ita explicant SS. Patres de isto episcopo, quod scil. aliquod letale peccatum commisisset... Porro hoc non est difficile creditu

in tepido religioso... 1°. Peccatum grave est si, licet in rebus parvis, contemptus earum admittatur. Iam quis non timeat, ne tepidus tam libere multa violans, formalem contemptum admittat?.. 2°. Tenetur religiosus sub peccato gravi tendere ad perfectionem, quod si non facit, est in statu peccati mortalis. Potestne dici vel etiam cogitari, tepidum huic obligationi satisfacere? An ille tendit ad perfectionem, qui media ad perfectionem negligit, regulas et instituta suae religionis? Qui de mane usque ad vesperam non est nisi voluntas propria ambulans in domo DEI? Tepidus ne desiderat quidem perfectionem, quomodo ergo ad eam tendit?... 3°. Homo semper minus facit quam sibi proponit. Cum ergo tepidus tendat solum ad id, quod est omnino ad salutem necessarium, pronum est ut ab hoc ipso deficiat. Quod si vel parum deficiat, iam excidit a suo proposito..... Nec mirum si in grave peccatum incidat, in tam languida volutate serviendi DEO, in tanto passionum non mortificatarum vigore, in tanta agendi licentia, in tanta tentationum multitudine denique in tanta luminum et gratiarum paupertate. Nam et DEUS parcus est erga eum, qui ipse tam avare, tam sordide agit cum Eo... et quis audeat hac in re DEUM incusare?... Verissime dicit Thomas a Kempis: religiosus tepidus et negligens *gravi patet ruinae*... Labitur itaque miser in peccatum letale, et labitur nesciens nec advertens. Nam sunt utique peccata, quae sola cogitatione, unico momento committi possunt, quorum aliquod ut facile committit, ita per suam dissipationem negligit, confiteri obliviscitur... En *nudum*, gratia DEI spoliatum, peccato gravi irretitum et in hoc statu haerentem. O horrendum statum! Religiosus cum peccato mortali! Religiosus qui cum DEO foedus iniit, ut monstrum hoc, quacumque possit, persequatur, et, si possit fieri, illud e toto mundo expellat, hoc malum ipse in se recipit! Socius IESU, mancipium diaboli! socius IESU, hostis DEI! socius IESU, victima inferni!.. Is qui idcirco mundum deseruit, per multas victorias et per multas preces, ut impense non in salutem modo, sed in perfectionem etiam proximorum incumberet, non modo non alienam, sed ne suam quidem salutem assequitur. Millenas animas debebat caelo lucrari... et suam perdet! Huc recident tot gratiae peculiarissimae a DEO concessae! Huc recident tot pia opera, tot labores, tot mortificationes factae! Perierunt omnia, omnes preces, omnes victoriae sui, omnes communiones, omnia merita!.. Quid? quod in hac nuditate ipse porro vivit, in hoc statu sacramenta suscipit, in hoc cor introducit toties venerabile IESU corpus! Quid mirum, si Deus tandem talem religiosum abiciat, expellat, denique misere perire sinat?

Hic salutarem horrorem concipiam ac timorem, ne forte ita mecum aut iam actum aut futurum sit... Humiliabo me

Ps. 50, 19. profundissime coram Domino: *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Rogabo, ut me potius omnibus poenis afficiat, quam in tantam miseriam devenire permittat, ut graviter peccem. *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in* Ps. 37, 2. *ira tua corripias me.* Statuam caute ambulare, et serio fervore concepto tantum periculum declinare. *Dirige Domine in conspectu tuo vias meas, ut non moveantur vestigia mea.* Ps. 16, 5.

V. REMEDIA TEPIDITATIS.

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuae, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Ap. 3, 18.

Pars I. Remedium miseriae, miserabilitatis, paupertatis et nuditatis est *emere aurum ignitum probatum,* i. e. charitatem, non qualemcumque, sed perfectam, ab omni scoria peccatorum venialium et defectuum depurgatam. Qualiscumque charitas non sufficit ad curandum torporem, et experientia constat, tepidum qui tepide tantum convertatur facile relabi. Quare sollicite quaerere debeo ardentem spiritus fervorem. Hoc aurum si habuero, 1°. *Locuples fiam,* quo cessabit *miseria* illa, quam ex multitudine et gravitate peccatorum venialium contraxeram, nam *charitas operit multitudinem peccatorum.* (1 Petr. 4, 8.) Desinam esse *miserabilis,* pacem conscientiae recuperabo, *pacem illam, quae exsuperat omnem sensum,* (Phil. 4, 7.) passiones me iam non ita torquebunt, *iugum* Domini fiet *suave et onus leve.* (Mth. 11, 29.) *Pauper* ultra non ero, sed potius *dives* et virtutum et meritorum et gratiarum, quia *venient mihi omnia bona pariter cum illa, et innumerabilis honestas per manus illius*... (Sap. 7, 11.) 2°. *Vestimentis aliis induar.* Charitas enim aut reddet mihi albam vestem gratiae, si per meam tepiditatem perdireram, aut mundabit vestem gratiae DEI ab illis maculis, quibus eam peccando foedaveram... His considerationibus excitabo magnum desiderium *emendi hoc aurum* charitatis quocumque pretio. Nam si bene intellexi, ut intelligere debui in praecedenti meditatione, horrendum esse malum tepiditatem, tepidumque ipsum esse *miserum, miserabilem, pauperem, nudum,* quomodo non tanti mali remedium, tamquam summum bonum, optem atque emere curem?... Dicam ergo Domino: Quidquid petieris dabo, tantum da mihi hoc charitatis aurum... *Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet eam*... (Cant. 8, 7.) Amorem tui solum...

Pars II. Sed quo pretio emendum est hoc aurum ignitum, probatum? Emendum est, inquit Rupertus Abbas, triplici pretio, 1°. piae confessionis, 2° iugis memoriae propriae fragilitatis, 3° iugis memoriae beneficiorum DEI.

1. Pretium est *pia peccatorum confessio.* Haec confessio generalis, quae ex regula fit, saepe est initium vitae sanctae, ait S. P. Ignatius... Itaque haec sit mihi initium seriae emendationis. Frustra alia adhibebo remedia, nisi per confessionem animam meam emundavero. Sed notandum, debere esse confessionem piam... Avertat Deus, ne etiam haec... ut alia opera faciebam hactenus, negligenter faciam... Sic enim profundius mergerer, et magis mihi viam ad integram cum DEO reconciliationem praecluderem. Sit ergo *pia* i. e. sit *diligens,* inquirendo et exponendo etiam minimos defectus, accurate quantum fieri potest. Sit *humilis*... nec poterit non esse humilis si est diligens. Quomodo non humilier, videns me innumeris peccatis ac defectibus plenum? Sit *dolorosa,* quod quidem maxime omnium requiritur, ut confessio sit pia. *Confitebor adversum me iniustitiam meam, et tu remisisti impietatem peccati mei*... *Ps. 31, 5.*

2. Pretium est *iugis memoria propriae fragilitatis.* Ex hac orietur timor ac diffidentia nostri ipsorum, cum videamus nos ut infantes non posse consistere, nisi Deus manum nobis tenendam porrigat. Orietur contra salutaris confidentia in DEO, qui *solus potest facere mundum de immundo conceptum semine* et de peccatoribus iustos et sanctos, quia *operi manuum suarum porriget dexteram.* Orietur etiam vigilantia super nos ipsos assidua, cum cogitemus, in tanti nos periculis tam debiles et labiles versari. Orietur ardens invocatio divini auxilii, quod unicum agnoscimus praesidium ac firmamentum nostrum, dicemusque cotidie ex intimo corde: *sine tuo numine nihil est innoxium*... *Dignare Domino, die isto sine peccato nos custodire,* et cum S. Philippo Nerio: *Domine, nisi me teneas, ego te hodie tradam, sicut Iudas*... Haec porro est dispositio ad magnas gratias obtinendas. Haec humilitas Deum attrahit in cor nostrum. Ille, ut *superbis resistit, ita humilibus dat gratiam. Alta a longe cognoscit,* sed *humilia respicit.* Hinc Sanctissima Virgo MARIA in suo cantico: *respexit humilitatem ancillae suae,* de qua S. Bernardus *virginitate, inquit, placuit, humilitate concepit*... Haec memoria propriae fragilitatis debet esse *iugis et practica,* quod quidem difficile non erit, si miserias ad quas tepiditate mea perveni saepe recogitabo, et quam multa bona proposita, quam multa efficacissima ad sanctitatem media effectu caruerint...

Iob. 14, 4, 5. *Iac. 4, 6.* *Ps. 137, 6.* *Luc. 1, 48.*

3. Pretium, quo emam aurum ignitum, probatum charitatis, est *iugis memoria beneficiorum DEI.* O quot et quanta sunt haec DEI beneficia in nos! Praeter communia beneficia creationis, redemptionis, vocationis ad fidem, quot exquisita beneficia in vocatione ad religionem, et quidem ad hanc, in qua tot eximia exsistunt divinae liberalitatis argumenta!... Me ad illam vocavit, suavissimisque suae Providentiae viis

nihil tale cogitantem deduxit, nullis meis meritis, immo ob peccata mea plane indignum, cum tot millenos forte aeternum perituros in mundo reliquerit, qui longe melius quam ego serviissent... Beneficia immerenti collata dicuntur a S. Paulo
Rom. 12, 20. *carbones super caput hominis congesti,* quorum igitur talis coacervatio accendat in me amorem DEI. Quod si accedit etiam cogitatio, me hactenus pro tot beneficiis ingratum exstitisse, nihilque adhuc praestitisse, quod tanta DEI in me liberalitati respondeat, quomodo non concipiam charitatem ardentem, ignitam?.. Sed etiam haec memoria sit *iugis,* i. e. assidua atque ita familiaris, ut in variis occasionibus, in quibus generosa mei ipsius victoria opus est, recurrat, ut si quid difficilius agendum aut patiendum veniat, cogitem, hanc esse occasionem referendae aliqualis gratiae pro tantis DEI mune-
Ps. 136, 5, 6. ribus... O Domine, *si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea: adhaereat lingua faucibus meis, si non meminero tui.*

Pars III. Remedium caecitatis meae proponit Salvator his verbis: *Collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Collyrium est medicamentum acre, mordens ac pungens, quod acredine sanat lippitudinem. Collyrium ergo, spirituali sensu, est aliquod re-
Ap. 3, 18. medium, acre quidem sed purgans, quod sanat tepidi caecitatem. Est autem triplex.

1. *Examina conscientiae.* Haec tanti fiebant a S. Patre nostro, ut etiam aegrotos omnino ea facere iubeat. His se potissimum iuniores socii, qui ante stabilitam Societatem in Parisiensi Universitate litteris operam dabant, conservarunt. Sunt acerba, si bene fiunt, quia vitia nostra videre, et nos propterea reprehendere ac confundi naturaliter nolumus,... sed oculos mentis ita illuminant, ut in rebus animae nostrae non caecutiamus. Haec si bene facimus, procul aberit a nobis, ut dica-
Ap. 3, 17. mus: *quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo*... Immo vel haec sola possunt hominem vere sanctum facere... Sed eheu ego hactenus faciebam semper. .. bis quotidie integrum illis quadrantem impendebam... nec tamen fructum ex illis tantum cepi, caecutivi in rebus meis. Quare? Quia acredinem collyrii timeo, ideo non applico illud bene oculis meis. Sufficit mihi leviter inspexisse quid egerim... cetera negligo, nec dolorem in cotidianis defectibus, nec propositum magnopere curo. Quid mirum, si semper maneo qui eram, nec me sive melius cognosco sive meliorem facio?.. Servanda in examine puncta a S. Patre nostro praescripta, 1° gratiae agendae 2° invocandum lumen, 3° examinanda facta, verba, cogitationes, per omnes horas discurrendo, 4° dolor sincerus excitandus, 5° propositum emendationis serium concipiendum... et haec omnia accurate, cum vero proficiendi desiderio. Generali examini particulare adiungendum secundum regulas quas S. Ignatius tradit... Quid iuvat, habere tam praeclara non salutis modo

sed perfectionis assequendae media, si illis non utor aut negligenter utor? Quomodo satisfaciam obligationi status mei, qua sub gravi peccato teneor ad perfectionem tendere, si hoc tam efficax medium ad perfectionem negligo? Profecto animus non ita silvesceret, si noxiae peccatorum spinae ac defectuum zizania, identidem pullulantia, cotidiano examine evellerentur. Si examina bene faciam potero cum Davide dicere: *Anima mea in manibus meis semper*... nec melior via est, qua ad eum statum perveniam, in quo omni tempore paratus sim ad subeundum strictum illud examen divini iudicii in morte. *Ps. 110, 109.*

2. *Meditatio.* Haec numquam omittenda, immo nec minimum illi horae subtrahendum, neque spatium unius *Pater noster.* Haec securos nos reddit de perseverantia in Societate Iesu et de salute nostra... contra eius neglectus fere certum defectionis prognosticum. Experientia teste, nemo Societatem deseruit, nisi prius meditationem neglexerat... Est quidem acerba, praesertim tepidis. Nam vincendus torpor, custodiendi sensus per diem pro praeparatione remota, praeparanda diligenter materia ut proxima praeparatio, pugnandum contra irruentes distractiones, toleranda saepe ariditas... Sed oculos animae curat eximie, illuminat mentis caliginem, dat lumina practica, ut et nos ipsos cognoscamus et officia nostra, et quomodo diurnae actiones sint instituendae, ut bene fiant, et simul voluntatem accendit, ut bona, quae cognoscimus, exsequamur. Expertus haec est David, qui de se testatur: *Lex tua tota die meditatio mea est,* et *testimonia tua meditatio mea est.* At quo fructu? *Super inimicos meos prudentem me fecisti. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae. Dilexi legem tuam, Domine*... Et alio loco: *in meditatione mea exardescet ignis*... Sed ego meditor quidem cotidie, vel certe hora constituta meditationi vaco, et tamen fructum non capio: unde hoc? Fortasse quia non servas S. Ignatii additiones, non facis praeparationem, aut negligenter facis, cum tamen moneat Spiritus Sanctus: *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse, quasi homo, qui tentat DEUM.* Curasne distractiones repellere, vel potius eas arcessis ipse, et lubens in illis haeres, ut hora citius transeat. Sed ita nil mirum, si non proficis, iuxta illud horrendum maledictum: *oratio eius fiat in peccatum.* Fors etiam meditaris quidem satis attente, sed tantum speculatione generali, non applicando rem ad tuam spiritualem necessitatem, nec ad casus et actus particulares. Et hoc quidem est aerem verberare, sive ut P. Balt. Alvarez dicebat, sclopetum vel tormentum bellicum in ventum explodere, sine directione ad aliquem scopum... Quidquid hic reformandum vides, statim serio aggredere. Agitur de summa rerum. Nam cum in meditatione non exardescat ignis, taedium fastidium-

Ps. 118, 97, seqq.

Ps. 38, 4.

Eccli. 18, 23.

Ps. 108, 7.

que rerum spiritualium introducitur, dein vita ipsa religiosa desipit, ad ultimum teporis gradum devenitur, ac tandem ruina subsequitur... Contra etiam hoc mihi persuadere debeo, quod est certissimum, tum demum fore mihi meditationem iucundam, cum illam cum debita praeparatione et ferventer instituam.

3. Denique est *lectio spiritualis.* Haec etiam plurimum iuvat. Per eam non tantum a tepida sed a peccaminosa vita multi ad sanctitatem fuere conversi, ut S. Augustinus, ipse S. Pater noster, alii plurimi... Sed ut sit fructuosa, debet fieri cum attentione, non tam ad pascendum curiose intellectum, quam ad incendendam pie voluntatem. Praemittenda est oratio ad implorandum lumen divinum, subiungenda oratio ad implorandum auxilium divinum ut ea, quae didiceris, exsequaris... O si his tribus remediis semper fuissem recte usus, quam non modo procul abessem ab illa caecitate et miseriis, in quibus me nunc constitutum deploro, sed quam multum etiam profecissem in scientia sanctorum et in omni sanctitate, summo animi mei bono. Abhinc saltem incipiam bene illis uti, ut si minus me a morbo ac caecitate praeservarunt, saltem nunc, divina gratia adspirante, ab eis liberent.

VI. REMEDIA TEPIDITATIS ET EXCUSSAE TEPIDITATIS EMOLUMENTA.

« Ego quos amo, arguo et castigo. Aemulare ergo, et poe-
Ap. 3, 19-22. *« nitentiam age. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit « vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, « et cenabo cum illo, et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei se- « dere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum « Patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat quid Spi- « ritus dicat.*

Pars I. « Ego quos amo arguo et castigo. Aemulare ergo, et poenitentiam age ».

1. Magnum amorem erga tepidum ostendit Christus Dominus, cum eum arguat et poenis etiam immissis castiget.
Ap. 3, 14, 15. Nam indiget ille acri reprehensione, ut emendetur. *Ego, qui sum testis fidelis et verus, scio opera tua.* Tu in eo dubio ac medio statu non potes bene de te iudicare et caecus es. At ego, qui mentiri non possum... testor, quod *tu sis tepidus* ac proinde in statu valde periculoso,... quod *sis miser et miserabilis et pauper et caecus, et nudus.*

2. Hortatur ergo tepidum, ut etiam ipse se arguat. Ego, inquit zelo boni tui te arguo et increpo. Tu meum hunc zelum *aemulare,* et ex simili zelo te ipsum etiam argue, reprehende,

increpa, castiga et poenitentiam age. Hoc autem omnino necessarium, alias reprehensio Christi non iuvabit... sicut nec Superiorum reprehensio inferiorem iuvat, si ipse inferior se non reprehendat.

Igitur, cum Dominus me hoc triduo de tepiditate mea arguerit ac increpaverit, debeo hoc *aemulari.* Quare in conspectu eiusdem Domini mei meam accusabo negligentiam... Increpabo me ut tepidum, et culpa mea miserum, miserabilem, pauperem, caecum, nudum; ut superbum, iracundum, gulosum, sensualem, inoboedientem, indevotum, dissipatum, vanum... Ad hanc increpationem mei ipsius adiungenda *poenitentia,* qua culpas deleam et malos etiam effectus peccatorum eorumque reliquias auferam. Ardens propterea dolor de commissis concipiendus, et pro illis satisfaciendum per mortificationes, quae in Societate consuetae sunt.

3°. Praeter hanc expositionem verba: *Aemulare et poenitentiam age,* habent etiam alium sensum valde ad statum nostrum accommodatum. Quem proin attente perpendamus.

Aemulare i. e. zelare zelum salutis tuae et aliorum. Aemulare ad sanctitatem. *Aemulamini charismata meliora.* Quid *1 Cor. 12, 31.*
semper haeremus in infimis, qui vocati sumus ad summa? Vocationem nostram pensemus... Quo modo possumus intepescere? Omnes nos vocavit Deus ad sanctitatem... quomodo possumus esse quadam mediocritate contenti? Etiamsi totis viribus adnitamur et omni studio ad perfectionem tendamus tamen vix eum gradum assequemur, qui nos securos reddat et satis respondentes dignitati vocationis nostrae... Quomodo non accendimur tot exemplis Sanctorum Societatis, virorum et iuvenum, quibus historia plena est? Vere *filii sanctorum sumus,* et tale Institutum habemus, in quo viventes innumeri *Tob. 8, 5.*
fere ad sublimem sanctitatis gradum adscenderunt. Sanctissimos Patres nostros degeneres filii invocabimus?.. Mercator temporalis quantam curam habet, ut suas opes augeat! Quam saepe duram vitam agit, cum commoditates, quietem deserat et ipsam saepe vitam in longis ac molestis itineribus periculo exponat! Quam est vigilans, quam industrius in nulla lucri occasione praetermittenda! An non *aemulabimur* in mercatura multo nobiliori, in lucris infinities dignioribus? Utique nobis dictum: *negotiamini dum venio,* et ad hanc negotiationem ta- *Luc. 19, 3.*
lenta, pecuniae datae. Cur tepescimus? Ergone semper *filii huius saeculi prudentiores* in suis rebus erunt, *quam filii lucis* *Luc. 16, 8.*
in multo praestantioribus?.. Et tamen in mercatura mundana non a voluntate et studio tantum, sed plurimum a fortuna dependet, et saepe unus improvisus casus omnes industrias ad nihilum redigit, cum nobis nil nisi voluntas bona necessaria sit. Deus enim gratiam offert. *Velis,* aiebat S. Thomas sorori suae, quaerenti, quomodo sancta fieri posset: *velis et eris.*

Quare tam parvum in nobis desiderium sanctitatis? Desideremus saltem habere hoc desiderium omnimodae perfectionis, et oremus... Dabit Deus humiliter petentibus. *Concupivit*
Ps. 118, 20. *anima mea desiderare iustificationes tuas.*

Verum non nostram solum, sed aliorem etiam salutem *aemulari* nos oportet. Haec duo apud nos coniuncta sunt... Qui alterum sine altero velit consequi, neutrum obtinebit... Zelus animarum debet esse vita nostra. Sine hoc non Iesuitae sumus, sed inania Iesuitarum phantasmata. Hic zelus iam nunc exercendus erga externos, bono exemplo, studiis huc directis, precibus, mortificationibus... erga domesticos, eos iuvando consiliis, exemplis, piis colloquiis. Errantes si viderimus, utamur medo a regulis praescripto... Superioribus rem indice-
Gen. 4, 9. mus, ne dicamus sicut Cain: *Num custos fratris mei ego sum?..*

Poenitentiam age. Desiderium sanctitatis et procurandae perfectionis tam nostrae quam aliorum, sine mortificatione pa-
Io. 12, 24. rum proficiet. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet...* S. Paulus, vas illud electionis, tantus apostolus, pro Christi nomine tot laboribus perfunctus, tantaque pro eo perpessus, carceres, verbera, naufra-
1 Cor. 9, 26. gia, timebat tamen, ut ipse dicit, *ne in vacum curreret, ne aerem verberaret,* nisi mortificatione uteretur, et ideo: *Castigo,* inquit, *corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis praedicavero, ipse reprobus efficiar.* Si ita necessariam sibi putat S. Paulus mortificationem, ut sine illa sibi timendum dicat, ne *reprobus* fiat, quomodo ego non perfectionem modo, sed etiam salutem sperem sine afflictione corporis... O si vere *aemularer,* quam ardenter exercitia mortificationis amplecterer! Quam dulcis mihi esset ipsa illa mortificatio, si illam strenue exercerem! *Mortificatio,* aiebat propria experientia edoctus S. Aloysius, *quae amara est fugientibus, suavissima est quaerentibus.* Consuetas ergo mortificationes numquam, dum per valetudinem potero facere, omittam. In usu cotidiano rerum, in observatione minimorum, in stricta observantia legum ac regularum, vitam vere mortificatam agere curabo. Quod si quid extraordinariae afflictationis occurrat, quod putem DEUM a me suscipi velle, ad illud me generoso animo offeram, non autem inconsulto Superiore vel confessario.

Pars II. Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum.

1°. Dominus IESUS stat ad ostium cordis nostri, et pulsat. Quasi ipse indiget nostra opera... Quanta charitas! Alias
Prov. 8, 34. dixit: *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas cotidie, et observat ad postes ostii mei...* nunc ait, se ipsum vigilare ad fores nostras, et observare ad postes ostii nostri... Alias nos iussit

pulsare, *pulsate et aperietur vobis*... nunc autem ipse pulsare se dicit apud nos... Quam incomprehensa haec Domini cura de nostro bono! *Luc. 11, 9.*

2°. Sed quomodo fieri potest, ut tali ac tanto Domino pulsanti, et ob hospitis bonum pulsanti, non aperiatur ianua? Quam hoc indignum! Et tamen ita fit. Ideo dicit: *si quis audierit*..., indicans alios esse tam surdos vel tam dissipatos, vel tanto strepitu in domo sua tumultuantes, ut ne pulsantem audiant quidem, alios, licet audiant, contemnere nec aperire ianuam... O quoties etiam ad cor nostrum frustra pulsavit, in meditationibus, in lectionibus spiritualibus ac doctrinis, in monitis Superiorum, in Sacramentorum usu, in millenis occasionibus, in quibus me sua inspiratione ad meliora vocabat, et ego saepe audiens saepe non aperui. Et quoties pulsavit, cum ego nec audiverim, nec adverterim? Ecce hoc triduo stetit Dominus et pulsavit, et etiam hodie stat et pulsat... Audivimusne?... Nonne ergo aperiemus? An diutius exspectare iubebimus?... Vae nobis! Abibit, et diu multumque erit quaerendus, ut sponsae accidit in cantico, quae cum *Cant. 5, 6.*
moram in aperiendo fecisset, postea *aperui*, inquit, *dilecto meo: at ille declinaverat atque transierat... quaesivi, et non inveni illum... vocavi et non respondit mihi*...

3°. Sed si quis aperuerit, quam beatus erit!

Intrabit IESUS *ad illum*. Qui quodnam bonum non introducet secum! quantam pacem, quantum gaudium, quantas divitias gratiarum, quantam salutem! Ingressus domum Za- *Luc. 19, 9.*
chaei dixit Dominus: *hodie salus huic domui facta est;* nonne dicet idem ingressus ad me? *Esse sine IESU*, inquit Thomas a Kempis *gravis est infernus, et esse cum IESU dulcis paradisus.*

2°. *Cenabo, inquit, cum illo, et ipse mecum.* Quibus verbis excussam innuit tepiditatem eiusque molestias feliciter commutatas. Qui tepidus est, nec ipse cenat cum Christo, nec Christus cum eo. Qui tepidus est non tantum ex ore Christi eicitur, quia desipit illi ac nauseam creat, sed ipse etiam Christum a se eicit; fastidit enim spiritualia, non gustat divina, nauseat anima eius, cum de vita perfectiori, de sanctitate fit mentio. Considerat hanc ut rem valde insipidam, molestam... Nonne ego hactenus talis fui? Quod si ad vitae fervorem rediero, non tantum non ero ego Christo amplius nauseae, nec ille mihi; non tantum intrabit in me, *ut in me maneat, et ego in* *Io. 6, 57.*
illo, quod contingit omnibus, qui sunt in gratia, sed etiam *mecum cenabit*, hoc est singularem e meis actionibus voluptatem capiet; *et ego cenabo cum illo*, quia vicissim incredibilem animi laetitiam ex abundantiori rerum spiritualium gustu percipiam... Nunc ergo Domino IESU, qui tam patienter tamdiu stetit ad ostium et pulsavit, aperiam alacriter, deprecans, quod tam diu indignissime eum fecerim exspectare. Intro-

ducam illum ad intimum penetrale cordis mei, omnes ei recessus ostendam, (nam licet omnes ille bene noscat, delectatur tamen si simplici animo ostendantur); denique conabor abhinc dulcissimo huic hospiti continuam sibi cenam parare per ferventius perfectionis studium, ut et ego ab illo pascar.

Pars III. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.

His verbis Christus Dominus proponit supremum honorem et gloriam, tamquam praemium victoriarum, et efficaciter ad certandum nos excitat... Promittit sessionem secum in throno, quia non alia gloria erit praemium nostrum, nisi gloria ipsius Christi et DEI, et eadem beatitudine fruemur qua ipse beatus est, immo sedebimus cum ipso iudicantes, sicut promisit Apostolis, et iuxta aliquorum Patrum sententiam etiam religiosis... *Dabo ei sedere mecum, sicut ego sedi cum Patre meo.* Sed qua conditione tantum bonum promittit? *Qui vicerit,* inquit, *sicut ego vici.* Sine victoria nostri non acquiremus virtutes. Si certare detrectamus, manebimus tepidi, quales fuimus. Si vim nobis ipsi inferre nolumus, nil proficiemus. Ita
2 Tim. 2, 5. neque coronabimur. *Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Vincenti* tanta gloria promittitur, *vincenti dabitur.*

Cogitabo hic, quanta sustineant, quanta faciant, quantis se periculis exponant illi, qui militiam sequuntur, spe victoriae et gloriae. Et tamen illis non promittitur, ut sedeant in throno cum principe, pro quo militant. Immo si quis exercitus dux post insignes victorias vel minimum videatur affectare, ut cum principe sedeat, iram huius incurret, et pro omnibus suis meritis aut mortem sibi aut aeternam ignominiam contrahet. Omne quod sperare potest, est aliquis fumus laudis humanae, est aliqua principis gratia, quae tamen ipsa et parum illi praestare potest, et ad breve tempus, et adeo mutabilis est, ut saepe in odium convertatur. Tamen milites pro tali praemio tantopere vincere optant... Quid nos sentire par est, cum tantam nobis gloriam caelestis Princeps proponat... *Aemulemur* ergo... Vincere omnino, vincere debeo. *Persequar ini-*
Ps. 17, 38. *micos meos,* amorem proprium, vanitatem, sensualitatem, superbiam, iracundiam, *persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non quiescam donec deficiant. Agonizare pro*
Eccli. 4, 33. *anima tua, et usque ad mortem certa pro iustitia... Nondum*
Hebr. 12, 4. *usque ad sanguinem restitisti.*

Pars IV. Concludam hanc meditationem et totum hoc triduum attenta consideratione. Meminerim verborum, quibus
Ap. 2, 29. Christus Dominus suam admonitionem conclusit: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat.* Quibus insinuat, non omnes habere aurem, aut certe non omnes audire. Sunt quidam, praesertim inter tepidos, qui plane surdi sint. Omnes monitiones, omnes increpationes audiunt ac si non audirent. Inspiratio

DEI *vox* est *lenis*... si multus est strepitus, non auditur. Si religiosus dissipatus est, garriendo, audiendo nugas, immiscendo se rebus, quae ad se non pertinent, non audit vocem DEI monentem, et hinc surdus est ad omnia, et manet semper in eadem tepiditate. Nisi quis habeat animum recollectum, ad veram sanctitatem adspirare non potest... Quid vero nos? Nonne curabimus audire, et quae audivimus hoc triduo, cum divino auxilio exsequemur? Si haec omnia non iuvant, nonne timendum est, ne ex numero illorum simus, in quo cadit horrenda maledictio, ut *audiant et non intelligant*. Quos post mortem manet terribilis sors. *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit, qui adspiceret. Despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo*... Avertat tantum malum infinita Domini misericordia!

Iob. 4, 16. *Marc. 4, 12.* *Prov. 1, 24, 28.*

Colloquium ad Dominum IESUM, qui est *testis fidelis et verus... et principium creaturae* DEI, rogando ut suo testimonio aures mihi aperiat, caecitatem depellat, spiritum novum creet in visceribus meis, et per hanc renovationem faciat me *novam creaturam.*

Ap. 3, 14. *Gal. 6, 15*

DE GAUDIO SPIRITUALI

Delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui.

Quod ut fiat: 1° *Non tristandum.* 2° *Non delectandum in aliis.* 3° *Delectandum in Domino.*

NON TRISTANDUM.

I. Id est non admittenda tristitia, maeror, anxietas, pusillanimitas.

Non de malis corporis, qualia sunt molestiae sensuum undecumque ortae, sive ex morbis aut indispositione corporis, sive ex aeris intemperie, sive ex fatigatione, sive ex paupertatis effectibus, sive ex quibuscumque rebus quae dolorem sensui afferunt.

Gloriabor in infirmitatibus meis... Cum infirmor tunc potens sum... Benedicite frigus et aestus Domino... Egestas et *dolor* Christi comites individui... Haec pars filiorum DEI... Gaudere, quod iustitiae divinae eiusque decretis in peccatorem latis satisfiat. Unusquisque persuasum habeat, *tanto se in studiis spiritualibus promoturum esse, quanto...*

2 Cor. 12, 9. *Dan. 3, 67.*

Non de adversis animi, qualia sunt inopia mentis ad ea quae facienda sunt, indispositio capitis, successus minus prosperi in rebus quibuscumque, ignominiae etiam vel contemptus, taedia...

Marc. 14, 36. Ps. 118, 71. Ps. 72, 23. *Gloriabor in infirmitatibus meis... Non quod ego volo, Pater, sed quod tu vis, fiat.... Bonum mihi quia humiliasti me... Iumentum sum apud te et ego semper tecum*... Christi Domini exemplum, cui comes item individuus fuit *contemptus*... Haec pars filiorum DEI.

Non de defectibus et peccatis,.. Humiliari, non turbari. Non inordinate desiderandus profectus, sed perfectionis desiderium etiam sive quoad gradum sublimiorem vel minus sublimem, et quoad tempus, quo ad illum me perducere dignabitur DEUS, in divinum beneplacitum resignandum est, salva animi applicatione et conatu humili ac sedato.

Thren. 3, 1. Ps. 62, 4. Ps. 102, 13, 14. *Bonum mihi quia humiliasti me*... Ego undecumque divino conspectu indignissimus... *Ego vir videns paupertatem meam... Misericordia Domini super vitas... Quo modo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Benignitas Domini ducit nos per *imperfectiones* ad *perfectionem*, per *miserias* ad *felicitatem*.

Non in temporis angustiis, dum mens obruitur rebus agendis, aut intempestive interpellatur.

Ps. 118, 60. *Paratus sum et non sum turbatus ut custodiam mandata tua*... Offeram me cum integra et perfecta resignatone in verum holocaustum sanctissimis manibus tuis.

Io. 21, 22. *Non de alienis, specie zeli,... Quid ad te? tu me sequere.* Defectus alterius DEO minus displicet, quam tua propter talem defectum inordinata sollicitudo.

Neque de publicis malis... Fiat voluntas tua in quibuscumque adversis, sive externis... sive corporis... sive internis... Cum nihil sim, nihil mihi debetur et iusta est *omnis boni* delectabilis privatio; cum peccator magnus sim, mala mihi debentur et iusta *omnis poenae* immissio. Sunt ergo omnia adversa, cuiuscumque generis, *mihi debita*... DEI vero immittentis *misericordissima iustitia*, in qua et de qua non tristandum, sed *delectandum*.

NON DELECTANDUM IN ALIIS.

II. *Non in rebus sensui et amori proprio iucundis*... Haec non modo contemnenda, sed et abhorrenda et detestanda Socio Iesu. Non haec pars filiorum DEI... *Omnia arbitror ut stercora*... Omnino et non ex parte abhorrere ab omnibus.... Laquei et catenae,... Vexillum Luciferi.

Phil. 3, 8.

Non in bonis quarumcumque rerum successibus. Quatenus successus sunt grati, periculosi semper, saepe noxii... Neque haec pars filiorum DEI.

Non in virtutibus, nam 1° dubium an ulla vera sit in me, 2° non ut in *meis* gaudendum... non enim mea, sed DEI sunt.

Non in me, quia nihil sum, immo minus quam nihil.

Non in ulla re quae iuxta voluntatem accidat... NB. in parvis ut in maioribus...

SED DELECTANDUM IN DOMINO.

III. 1° *Ut praesente... Providebam Dominum in conspectu* *Ps. 15, 8.*
meo semper,... Memor fui DEI et delectatus sum. *Ps. 76, 4.*

2° *Ut Salvatore... Ego autem in Domino gaudebo, et exsultabo in DEO Iesu meo.* *Hab. 3, 18.*

3° *In miseriis* delectandum in Domino ut *misericordi... In inopia animi,* ut in adiutore humilium et eo qui infirma mundi eligit. *In peccatis, propitiaberis peccato meo, multum est enim.* *Ps. 24, 11.* *In Domino* ut *fratre,* qui fratribus similis factus in omnibus *absque peccato.* *Hebr. 4, 15.*

Ut *exemplari* in omnibus rebus ingratis, quae accidere possunt, cum ipse talia inde a conceptione usque ad crucem elegerit. Cui per ista maxime similes reddimur.

Ut *duce* ac *rege* cuius vox est: *Sequere me.* Non ergo vult ut nos praecedamus, sed ipse praecessit... Nemo plus patietur quam ego. *Io. 21, 22.*

In *DEO* omnipotente, sine cuius nutu nihil, sive parvum sive magnum, accidere potest et cuius omnes viae iustitia et bonitas... *Beatus populus qui scit iubilationem. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt et in nomine tuo exsultabunt tota die... Quoniam gloria virtutis eorum tu es et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Quia DEI est assumptio nostra, et Sancti Israel Regis nostri.* *Ps. 88,16. 19.* *Repleti sumus mane misericordia tua, exsultavimus et delectati sumus.* *Ps. 89, 14.*

INDEX